571/C/1

HISTORIA ANATOMICO-MEDICA,

SISTENS

Numeroſiſſima Cadaverum humanorum Extiſpicia, quibus in apricum venit genuina Morborum ſedes; horumque reſerantur cauſæ, vel patent effectus.

TOMUS SECUNDUS.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30415627_0002

HISTORIA ANATOMICO-MEDICA,

SISTENS

Numeroſiſſima Cadaverum humanorum Extiſpicia, quibus in apricum venit genuina Morborum ſedes; horumque reſerantur cauſæ, vel patent effectus.

OPUS QUADRIPARTITUM,

Cujus Liber primus recenſet læſiones internas abdominis. Secundus exhibet variam ſtragem pectoris. Tertius prodit diverſam labem cerebri. Quartus vero vitia externa colligit.

AUCT. JOSEPHO LIEUTAUD,

Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis, & Societatis Regiæ Londinenſis; Cubiculario Sereniſſimi DELPHINI, necnon Stirpis Regiæ Medico.

Recenſuit & ſuas obſervationes numero plures adjecit, uberrimumque Indicem noſologico ordine concinnavit ANTONIUS PORTAL Doct. Med. & Societatis Regiæ Scientiarum Monſpelienſis necnon Sereniſſimi DELPHINI Profeſſor Anatomes.

TOMUS SECUNDUS.

EDITIO PRIMA VENETA.

VENETIIS MDCCLXXIX.

APUD THOMAM BETTINELLI

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PROSPECTUS

Librorum, Sectionum, & Claſſium Tomi ſecundi hujuſce Operis.

SECTIO SECUNDA.

De Corde.

Articulus I. *Cor ingens & mire dilatatum.* Pag. 1
II. *marcidum & exiguum.* 8
III. *inane.* 9
IV. *adipe obrutum.* 10
V. *cruſta obductum.* 11
VI. *Concreta ſanguineo-lymphatica.* ibid.
VII. *Cordis inflammatio.* 14
VIII. *abſceſſus.* 15
IX. *purulentia.* 16
X. *eroſio & exulceratio.* ibid.
XI. *Cor gangrenoſum.* 18
XII. *putridum.* 19
XIII. *Cordis tumores.* ibid.
XIV. *Oſſa, & cartilagines in corde.* 20
XV. *Cordis lithiaſis.* 21
XVI. *Vermes in corde.* 22
XVII. *Valvulæ cordis oſſeæ, vel lapideæ.* 23
XVIII. *invicem annexæ.* 26
XIX. *abſumptæ.* 27
XX. *Auricularum inſolita dilatatio.* ibid.
XXI. *Cor ſaucium.* 28
XXII. *extra ſitum.* ibid.
XXIII. *falſò incuſatum.* 29

SECTIO TERTIA.

De Pericardio.

Art. I. *Hydrops pericardii.* ibid.
II. *Pericardium ſanguine turgens.* 35
III. *Pericardii inflammatio.* 37
IV. *Pericardium purulentum.* 38
V. *Pericardii flatulentia.* 40
VI. *Pericardium craſſiſſimum.* 43
Art. VII. *Pericardium cordi accretum.* ibid.
VIII. *tumores & puſtulæ.* 44
IX. *Lapides in pericardio.* 45
X. *Vermes pericardii.* ibid.
XI. *Cor pericardio deſtitutum.* ibid.

SECTIO QUARTA.

De Plevra.

Art. I. *Plevræ inflammatio.* 46
II. *purulentia & putredo.* 47
III. *gangræna.* 48
IV. *Plevra cartilaginea vel oſſea.* 49
V. *Plevræ tumores & tubercula.* ibid.
VI. *hydrops.* 50

SECTIO QUINTA.

De Mediaſtino, Thymo, &c.

Art. I. *Mediaſtinum adipe obrutum.* ibid.
II. *Mediaſtini hydrops.* 51
III. *Mediaſtinum inflammatum & purulentum.* ibid.
IV. *putridum & gangrænoſum.* 52
V. *Thymus tumens & ſcirrhoſus.* ibid.
VI. *putris.* 53
VII. *calculoſus.* ibid.
VIII. *Ductus thoracici læſiones.* 54
IX. *Aortæ vitia.* ibid.

SECTIO SEXTA.

De Diaphragmate.

Art. I. *Diaphragma inflammatum.* 55
II. *exulceratum & purulentum.* 56
III. *perforatum.* ibid.
IV. *Tumores diaphragmatis.* 57
V. *Nodus in nervo diaphragmatico.* 58
VI. *Cruſta hærens diaphragmati.* ibid.
VII. *Diaphragma oſſeum.* ibid.

Art. VIII. *Diaphragma extra ſedem.* 59
IX. *Defectus diaphragmatis.* ibid.

SECTIO SEPTIMA.

De Tumoribus in Pectore.

Art. I. *Anevriſma internum.* ibid.
II. *Tumores anomali.* 67
III. *lymphatici.* ibid.
IV. *Lapides extra pulmones.* 68

SECTIO OCTAVA.

De Colluvie pectoris.

Art. I. *Hydrops pectoris.* 69
II. *Latex cruentus in pectore.* 78
III. *Colluvies ſordida.* 80
IV. *Humor lacteus.* 81
V. *Pectus falſo inſimulatum.* 82

LIBER TERTIUS.

Tradens Læſiones internas Capitis.

SECTIO PRIMA.

De Meningibus.

Art. I. *Meningum craſſities.* 84
II. *Meninges aridæ.* ibid.
III. *hydatibus obſeſſæ.* 85
IV. *Meningum coalitus.* ibid.
V. *Meninges inflammatæ.* 86
VI. *puſtuloſæ.* 87
VII. *Meningum purulentia.* ibid.
VIII. *Meninges eroſæ.* 88
IX. *putres & ſyderatæ.* 89
X. *Oſſificationes in meningibus.* 90
XI. *Aneuriſma & varices meningum.* 92

SECTIO SECUNDA.

De Cerebro.

Art. I. *Vaſa cerebri flatulenta.* 93
II. *ſanguine turgida & varicoſa.* ibid.
III. *Carotides oſſeæ.* 94
IV. *Cerebrum tumidum.* 95
V. *parvum.* 96
VI. *exangue.* ibid.
VII. *aridum.* ibid.
VIII. *Cerebri durities.* 97
IX. *color morboſus.* 99
X. *inflammatio.* 100
XI. *abſceſſus & purulentia.* ibid.
XII. *Ulcus & eroſio cerebri.* 104
XIII. *Cerebrum gangrænoſum.* 105
Art. XIV. *Cerebrum putre.* 106
XV. *Plexus choroides varicoſus.* 108
XVI. *Hydatides in plexu choroide.* ibid.
XVII. *Plexus choroides ſcirrhoſus.* 109
XVIII. *putris.* 110
XIX. *Glandulæ pinealis ingens.* ibid.
XX. *lapidea.* 111
XXI. *Cerebellum laxiſſimum.* ibid.
XXII. *ſcirrhoſum.* ibid.
XXIII. *Abſceſſus cerebelli.* 112
XXIV. *Cerebellum putre.* 113
XXV. *Marcor nervorum.* ibid.
XXVI. *Nervi abſumpti.* ibid.

SECTIO TERTIA.

De Tumoribus internis.

Art. I. *Tumores cyſtici.* 114
II. *fungoſi.* 115
III. *ſcirrhoſi.* 116

SECTIO QUARTA.

De Colluvie ſanguinea.

Art. I. *Sanguis effuſus extra cerebrum.* 118
II. *intus & extus effuſus.* 121
III. *effuſus in ventriculos.* 122
IV. *intra ſubſtantiam cerebri.* 127
V. *in cerebellum.* 129

SECTIO QUINTA.

De Colluvie ſeroſa.

Art. I. *Hydrocephalos.* ibid.
II. *Aqua extra cerebrum.* 132
III. *in ventriculis cerebri.* 135
IV. *intus & extra cerebrum.* 139

SECTIO SEXTA.

De Materia viſcida, & gelatinoſa.

Art. I. *Humor mucoſus in ambitu cerebri.* 146
II. *Materia mucoſa in cerebro.* 148

SECTIO SEPTIMA.

De Colluvie ſordida.

Art. I. *Colluvies purulenta.* 150
II. *ſanioſa.* 154
III. *nigra & putris.* ibid.

SECTIO OCTAVA.

De Corporibus extraneis.

Art. I. *Vermes.*
II. *Scorpiones.* 155
III. *Lapides.* 156
IV. *Hydrargirus.* ibid.
V. *Globulus plumbeus.* 158 ibid.

LIBER QUARTUS.

Exhibens Læſiones externas.

SECTIO PRIMA.

De Capite externo.

Art. I. *Pediculi ſub pericranio.* 160
II. *Cerebri hernia.* ibid.
III. *Fuligo in cranio.* ibid.
IV. *Cranii prava conformatio.* 161
V. *craſſities.* ibid.
VI. *Sutura oblitterata.* ibid.
VII. *Suturarum laxitas.* 162
VIII. *Oſſa capitis mollia.* ibid.
IX. *Cranii exoſtoſes.* ibid.
X. *caries.* 163
XI. *fractura.* 165
XII. *Auris læſiones.* 166
XIII. *Narium læſiones.* 167
XIV. *Oculorum læſiones.* 167
XV. *Oris læſiones.* ibid.

SECTIO SECUNDA.

De Cervice.

Art. I. *Cervices muſculi corrupti.* 168
II. *ſecti.* ibid.
III. *tumores.* 169
IV. *anevriſma.* ibid.
Art. V. *Tophus circa vertebras.* 170
VI. *Laryngis inflammatio.* ibid.
VII. *obſtructio.* 171
VIII. *ulcus.* ibid.
IX. *Tracheæ infarctus pituitoſus.* 172
X. *Trachea pure ſcatens.* ibid.
XI. *Sanguis effuſus in tracheam.* ibid.
XII. *Tracheæ diverſimode obſtructa.*
XIII. *carie læſa.* 173
XIV. *Laryngis & tracheæ tumores.* 174
XV. *Œſophagus inflammatus.* 175 ibid.
XVI. *ſcirrhoſus.* 176
XVII. *cartilagineus.* ibid.
XVIII. *tumore compreſſus.* 177
XIX. *obturatus.* 178
XX. *Ulcus pharyngis & œſophagi.* 179
XXI. *Œſophagus perforatus.* ibid.
XXII. *putris & ſphacelatus.* 180
XXIII. *ſumme dilatatus.* ib.
XXIV. *diviſus.* ibid.
XXV. *inſtar muſculi carnoſus.* 181

SE-

SECTIO TERTIA.

De Thorace externo.

Art. I. *Cutis aduſta a fulmine.* ibid.
II. *Mammæ cancroſæ.* ibid.
III. *oſſeæ.* 182
IV. *Tumores externi pectoris.* ibid.
V. *Anevriſma externum.* 183
VI. *Fractura oſſis ſterni.* ibid.
VII. *Oſſificatio cartilaginum.* 184
VIII. *Coſtæ luxatæ & fractæ.* ibid.
IX. *Caries coſtarum & ſterni.* ibid.

SECTIO QUARTA.

De Abdomine externo.

Art. I. *Umbilicus urinis pervius.* 185
II. *Hernia ventriculi.* 186
III. *umbilicalis.* ibid.
IV. *inguinalis.* 187
V. *femoralis.* 188
VI. *veſicæ.* ibid.
VII. *Hernia uteri.* 189
VIII. *Uteri prolapſus.* ibid.
IX. *Vagina obſtructa.* ibid.
X. *Fiſtula ad ventriculum pertingens.* 190
XI. *Sanguis effuſus intra muſculos.* 191
XII. *Abſceſſus muſculorum abdominis.* ibid.
XIII. *Muſculi abdominales abſumpti.* ibid.
XIV. *recti tranſverſim ſecti.* 192
XV. *Tumor cyſticus inguinalis.* ibid.
XVI. *Proſtata tumens.* 193
XVII. *Ulcus proſtatæ.* 194
XVIII. *Cicatrices in urethra.* ibid.
XIX. *Teſtes ſcirrhoſi.* ibid.
Art. XX. *Infarcta ſeminis receptacula.* 195
XXI. *Teſtes putridi.* ibid.
XXII. *Teſtium defectus.* ibid.
XXIII. *Podex impervius.* 196
XXIV. *Oſſa pelvis fracta.* ibid.
XXV. *carioſa.* 197

SECTIO QUINTA.

De Dorſo.

Art. I. *Fiſtula dorſi.* ibid.
II. *Hernia dorſalis.* 198
III. *Abſceſſus dorſi & lumborum.* ibid.
IV. *Tumores dorſi & lumborum.* 199
V. *Medulla ſpinalis reſciſſa.* ibid.
VI. *Spina bifida.* 200
VII. *Medullæ ſpinalis hydrops.* ibid.
VIII. *Vertebrarum caries.* 201
IX. *luxatio.* 202
X. *Vertebræ invicem ferruminatæ.* 203

SECTIO SEXTA.

De Artubus.

Art. I. *Muſculi exſiccati.* ibid.
II. *Oſſificatio arteriarum artuum.* ibid.
III. *Tumores brachii.* 204
IV. *femoris.* ibid.
V. *Oſſa molia.* 205
VI. *a convulſionibus fracta.* 207
VII. *carioſa.* ibid.
VIII. *Femoris fractura.* ibid.
IX. *luxatio.* 208
X. *Coxæ purulentia.* ibid.
XI. *caries.* 209
XII. *Artus cretacei.* 210
XIII. *Ankiloſes.* ibid.
XIV. *Hydrargirus in capſulis articularibus.* 211
Appendix. 212

LIBRI SECUNDI,

LÆSIONES INTERNAS PECTORIS COLLIGENTIS

CONTINUATIO.

SECTIO SECUNDA.

DE CORDE.

ARTICULUS I.

Cor ingens, & mire dilatatum.

OBSERVATIO 405. Juvenis viginti quinque annorum, poſt vehementiora animi pathemata, in *cordis palpitationem* incidit, cum pulſu validiori. Poſt varias remiſſiones exacerbatur morbus; *tumet regio hypochondriaca*; mens perturbatur, ingruunt *convulſiones*, & urget *ſpirandi difficultas*. Interea vires deficiunt, cum *tremore cordis* & pulſu debiliori, nonnunquam plane oblitterato. Poſt ſex hebdomadas a morbi exacerbatione, prævio extremorum frigore obiit. COR.

Reſerato pectore cor ingens deprehenditur, ob enormem auricularum & ventriculorum dilatationem a copia atri ſanguinis huc collecti. Pulmo ſiniſter ſtupenda cordis mole compreſſus & exiguus occurrit: majora vaſa & præſertim venæ cavæ, ul-

COR. tra modum dilatata etiam cernebantur. Similem læſionem exhibebant venæ hepatis, a mora ſanguinis tumidæ. CLAR. SENACUS.

OBS. 405. (*a*) Matrona nobilis & annoſa jamdudum obnoxia erat levibus *cordis palpitationibus*, de quibus parum curabat; cum ſubito nullo prævio ſigno, mire ingraveſcit hic morbus moleſtiſſimuſque evadit. Nulla adhibita medela pergunt cordis palpitationes, horis matutinis ſemper ferociores. Circa tertium menſem opem medicam efflagitat; ſed incaſſum: primario enim morbo ſolitam ſævitiem exercenti accedunt motus convulſivi fugaces, appetitus languet, noctes fiunt moleſtæ, & ingruunt a ſomno ſpirandi difficultates, quæ vel levi motu exacerbantur. Pulſus, ſubtumidis artubus, inæqualis exploratur. Poſt nonnullas inducias omnia recurrunt ſymptomata vel truculentiora. Interea accedit vomitus pertinaciſſimus: urget orthopnæa, cum ſputo craſſo. Sequuntur lypothymiæ, quibus demum, ſexto ſuperato menſe, obiit.

Cor ſolito majus deprehenditur; auricula ſcilicet dextra ſumme dilatata a naturali forma degener. Ventriculus dexter a copioſo ſanguine ultra modum etiam diſtenditur & latera exhibet exiliora. Stagnat ſerum ad nonnullas uncias in utroque pectoris cavo; paulo majorem copiam continebat dextrum hepar; poſtremo ſolito majus occurrit, & veſicula fellis arida plures pſeudo-lapides recondebat. CLAR. SENAC.

OBS. 405. (*b*) Mulier quædam luſtri ſexti ultimum peragens ſtadium, gravidam ſe ſentiens de *maxima ventris intumeſcentia*, & de *pondere gravativo in regione hypogaſtrica* querebatur. Emenſo graviditatis termino, fœtum demortuum enititur: lochiis ſufflaminatis, ſudores frigidi ubertim profluunt; convulſiones oriuntur; fatiſcunt vires; & anima ad æthereas ſedes convolat.

Corporis penetralia inveſtigando, in conſpectum veniunt ovaria ingentia, tubæ Fallopianæ mire diſtentæ, ſero rubeſcente intus contento, tenuia æmulabantur inteſtina: ſanguis concretus ſtagnabat in uteri cavo, eumque ad tantam diſtendebat magnitudinem, ut ferre totam abdominis occuparet capacitatem, inteſtina ſurſum propellebat, vaſaque ſanguinis valde anguſtabat, cordis pericardio accreti ſtupenda erat moles: uterque ventriculus concretiones polypoſas fovebat. PORTAL.

OBS. 405. (*c*) Quædam fœmina quinque & viginti annorum, paulo poſt contuſionem pectoris a caſu, *cordis palpitatione* corripitur. Rariores primo paroxyſmi ſenſim increbreſcunt & exacerbantur; adeo ut non ſolum viſu, ſed etiam auditu percipiebatur morbus. Interea urgebat ſumma *ſpirandi difficultas*, præſertim erumpentibus catamæniis. Pulſus erat vehemens, & vibrationem carotidis dextræ oculis cernere licebat, cum ſubito obiit.

Portentoſa erat cordis moles ob enormem ventriculi ſiniſtri dilatationem, cujus latera etiam ſolito craſſiora videbantur. Valvulæ ſigmoideæ minime depreſſæ tuberculis oſſeis vel lapideis erant exaſperatæ; libero tamen patente cordis oſtio. CLAR. SENACUS.

OBS. 405. (*d*) Juvenis largioribus potationibus deditus, ante menſem thorace & ſtomacho laborabat, cum quadam duritie ad umbilicum, ſine febre. Poſt remiſſionem nonnullorum dierum, recidivam patitur. Facies erat ſubtumida, tumebant crura; ſitiebat & difficilis erat decubitus. De *pectoris anguſtia*, & *ingenti pondere* querebatur: *pulſus in neutro carpo* percipi poterat; etſi vires minime deficiebant. Noctu febricitabat. Tandem rejecto multo per os ſanguine, occubuit.

Luſtrato cadavere in propatulum venit cordis ſtupenda moles: ſanguinem atrum continebat prædictum viſcus ſine polypoſa concretione. Pars tenuium inteſtinorum erat quaſi inflammata. Hepar durum & maximum inveniebatur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 406. Vir conſiſtentis ætatis *palpitatione cordis* laborabat; quod cum tanto impetu & ſtrepitu in ſiniſtrum latus arietabat, ut ſonitus ad notabile ſpatium audiretur, & vibrationis impetus in thorace perciperentur. *Difficilis* erat *reſpiratio*, cum maxima *pectoris anxietate*, & *dolore circa cartilaginem xiphoidem* continuo. Non poterat ſupra dorſum, nec ſupra latera decumbere. Denique præfocationes periodicas patiebatur; quas graviſſimas quater aut quinquies intra biennium habuerat. Viribus poſtremo deficientibus obiit.

Pul-

Pulmones erant ſemi-conſumpti. Cor mole maximum, & vere monſtroſum ſeſe obtulit; pluribus exiguis ulceribus in ſuperficie exeſum, & pericardio accretum. FANTONUS.

OBS. 407. Puella tredecim annos nata, inter varias ægritudines, *cordis palpitationi* obnoxia, *febre erratica* prehenditur, cum ejectione nonnullorum lumbricorum. Dolore capitis vehementi torquebatur, cum vigiliis. Septimo a decubitu die urget graviſſima *cordis palpitatio*, quum preſſo pede ſequuntur convulſiones, & mors.

Luſtratis interaneis, pulmo dexter intus & extus totus putris apparuit, ac coſtis & diaphragmati cohærens; ſiniſter nonnihil ſcirrhoſus & putridus, cum abſceſſu in declivi parte. Cor maximum erat & flaccidum, cum vaſis coronariis ſanguine nigro turgidis. Jecur erat etiam maximum. Meſenterium & pancreas ſcirrhoſa etiam deprehendebantur. BONETUS.

OBS. 407. (*a*) Virgo ſexagenaria laboribus fracta in graviſſimam *ſpirandi difficultatem* incidit cum ſtridore & ſibilo. Ingruunt *cordis palpitationes*: exploratur *tumor in epigaſtrio* dextro. Accedit demum anaſarca, quæ urgente orthopnæa lethum tandem accerſit.

Præter aquæ copiam in abdomine, hepar mole portentoſum deprehenditur. Lien erat contractus & tuberculoſus. Uteri ſuperficies multis hydatidibus erat exaſperata; ac vagina cartilagineam duritiem referebat. Pulmones vicinis partibus hærebant. Pericardium aquæ copia ſcatebat: cor vero mire erat dilatatum & elongatum, ut eo majus nunquam antea a nobis viſum fuerit. CLAR. BAADERUS.

OBS. 407. (*b*) Virgo triginta annorum jamdiu *orthopnœa*, & *pulſatione* vehementi & moleſtiſſima *circa cartilaginem enſiformem* laborabat. Pulſus frequens & inæqualis, ſenſim debilitatur & quaſi oblitteratur. Crura œdematoſa mire tument, cum variis fiſſuris & gangrænæ notis. Tandem lypothimia rapitur.

Vena cava inferior ad brachii craſſitiem accedebat. Auriculæ cordis & præſertim ſiniſtra portentoſam dilatationem præ ſe ferebant. Pulmo occurrebat exiguus & corrugatus: nulla tamen erat ſtagnatio in pectoris cavo. CLAR. SENACUS.

OBS. 407. (*c*) Vir quinquagenario major, & vitreæ valetudinis in otio langueſcebat, cum in *cachexiam ſcorbuticam* incidit, quæ brevi ingraveſcens hydropem accerſit. Pulſus interea inæqualis & intermittens exploratur; & adventat mors.

Cor ingens & ſolito firmius deprehenditur, ac concretionibus polypoſis, denſiſſimiſque ſcatens. Columnæ carneæ & ipſæmet valvulæ ſemi-putridæ levi tactu diſrumpebantur; nec hujuſce labis immune erat ſeptum medium. CLAR. SENAC.

OBS. 408. Juvenis quinque & viginti annorum, habitu gracili & *aſthmaticus*, *angina inflammatoria* corripitur, e qua evaſit, ſuperſtite *ſpirandi difficultate*, cum *cordis palpitatione*, præcipue cum citato greſſu ambularet. Præterea querebatur de ſepulto *præcordiorum angore*, cum *pulſabili pondere* ſupra diaphragmatis centrum. Tandem poſt paſtum lethali ſyncope corripitur.

Dexter pulmo coſtis hærebat. Cor triplo majus, vaccini molem æquabat, & expreſſo omni cruore libras duas & ſemi pendebat: diaphragma, œſophagum, aortam & ventriculum ſuo pondere premebat. Parca erat ſanguinis copia in ventriculo dextro & auricula: maximam vero recondebant ventriculus ſiniſter, & appenſa auricula. LANCISUS.

OBS. 409. Vir quinque & ſexaginta annorum per aliquot annos *difficultate ſpirandi* tenebatur. Ingruit *febris tertiana*, ſub qua invaluerunt *pectoris anguſtiæ*, cum *cordis palpitatione*, quæ tanta vehementia perſtiterunt ut aphonus & pene deſperatus relinqueretur, circa vigeſimum a febris initio diem. Paulo poſt magnum materiæ gelatinoſæ copiam exſcreat. Interea a largo vini potu inflammantur oculi, hinc cæcitas. Tandem circa quadrageſimum diem obiit.

Pulmones pleuræ arcte hærebant. Horum ſubſtantia atro colore erat infecta. Pericardium ſerum atro-flavum ad ſemilibram continebat. Cor erat ea magnitudine ut bubulum æquaret. Aorta cartilaginea ampliſſima etiam obſervatur. CLAR. MORGAGNUS.

COR. OBS. 410. Quidam nauta mediæ ætatis in *cordis palpitationem* incidit, quæ tum opportuna cura fugatur. Ter quaterve recrudeſcebat paroxyſmus in anno. Poſt quadriennium morbus quaſi continuus evadit. Pulſus interea inæqualis & tremulus exploratur; donec ultimis vitæ diebus penitus oblitteraretur.

Pulmo dexter purulentus aquæ putri innatabat. Cor ad minimum triplo majus erat ſolito, mucrone quam baſi latius. Ventriculus præcipue ſiniſter in fundo ampliſſimus deprehendebatur, & adeo extenuatus ut membranulæ albeſcentis inſtar facile diſrumperetur. Cæterum ſanguine concreto, vel ut inquiunt polypoſo, & columnis accreto replebatur. CLAR. HAEN.

OBS. 411. Virgo viginti annorum *ſpirandi difficultate* premebatur, cum difficili decubitu de vehementi *circa cartilaginem enſiformem pulſatione* querebatur. Pulſus interea fere oblitteratur. Tument artus inferiores, quorum cutis phlogoſi tacta pluribus in locis dilaceratur. Ac demum obiit.

Cor ingens deprehenditur cum ventriculo dextro, & appenſa auricula mirum in modum dilatatis. Mole ampliſſima etiam occurrebat vena cava, tum ſuperior, tum inferior. Præter ſtupendam ſanguinis copiam intra prædicta receptacula ſtagnantem, inveniebantur in auricula dextra laminæ denſiſſimæ concreti ſanguinis quarum nonnullæ erant friabiles. CLAR. SENAC.

OBS. 412. Quidam de *palpitatione cordis* conquerebatur, cum pulſu inæquali. Paulo poſt decubuit, cum *ſpirandi difficultate*, & tibiis œdematoſis. Variis incaſſum tentatis, urget ſuffocatio: pulſus oblitteratur: exſurgit *tuſſis cum ſputo cruento*, & paulo poſt interiit.

In conſpectum venit uterque cordis ventriculus ſanguine concreto repletus, & ultra modum diſtentus. Reperiuntur in ſiniſtro carunculæ rotundæ, ſubſtantiam pulmonis æmulantes; quarum major ad avellanæ molem accedebat & aortæ oſtium præcludebat. RIVERIUS.

OBS. 413. Vir quatuor & triginta annorum *hypochondriacus* evadit. Poſt octodecim annos accedunt *cordis palpitationes*, quarum tanta fuit vehementia, ut non ſolum admota manu percipiebantur; ſed etiam in conſpectum veniebant. Poſt biennium in hydropem lethalem incidit.

Secto cadavere præter aquam copioſam in pectore, & abdomine ſtagnantem; cor ingens reperitur, a dilatato præſertim ventriculo ſiniſtro. Pericardium ſolito craſſius cordi arcte hærebat. Aorta ſub egreſſu e corde oſſea deprehenditur. Pancreas mole maximum, durum & ſcirrhoſum, cæteris viſceribus parum læſis. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 414. Vir ſeptem & viginti annorum, per quadriennium, *continua cordis palpitatione* laboravit, qua ultra modum ſæviente, tandem ſyncope correptus interiit. Cor palpitabat non in loco proprio, ſed circa diaphragma lateris ſiniſtri.

Cor maximum apparuit, etſi unico ventriculo conſtare videbatur, uncias octodecim ſanguinis nigerrimi continente. Cordis corpus erat emaciatum. Loco dextri ventriculi vena cava aſcendens in ingentem elevata tumorem conſpicitur. E MISCELLAN. CURIOS.

OBS. 415. Vir ætatis conſiſtentis tetra *ſcabie* laborabat cum pruritu moleſtiſſimo, & ſiti inextinguibili. Alias bene ſe habebat, cum præter expectationem nocte quadam, ex improviſo mortuus eſt.

Pancreas erat ſcirrhoſum, capſulæ atrabilares mole majores & friabiles. Pulmo dexter plevræ hærebat. Cor valde depreſſum & planum, ac inſignis magnitudinis. Auricula dextra varicoſa, cordis ventriculo æqualis videbatur. Uterque ventriculus concretiones polypoſas fovebat. FANTONUS.

OBS. 416. Quidam incidit in *morbum thoracis* abditum, cum *magna pulſatione* conjunctum. *Difficilis erat reſpiratio*, quæ ſingulis menſibus in modum paroxyſmi, cum metu ſuffocationis, invaleſcebat. Interea levi febricula corripitur. Manu admota ſub ſiniſtra mamilla percipiebatur pulſatio vehemens. Excernebantur pauca ſputa, & nonnihil cruenta. Accedit macies cum tumore pedum œdematoſo. Tandem viribus exolutis obiit.

Cor maximum reperitur, cum parietibus validioribus. Aorta a corde ad diaphragma multo latior & rigidior, & in-

tus.

tus oſtendit lamellas oſſeas. MORGAGNUS.

OBS. 417. Mulier valetudinaria incidit in *febrem ſpirandi difficultate* ſtipatam, cum difficili decubitu, præſertim in dorſum, & enormi flatuum emiſſione. His ſic ſe habentibus, hydrope lethali prehenditur.

Secto cadavere occurrit hepar ingens, cum cyſti fellea inani. Ventriculus ab hepate depreſſus ſedem habet in regione umbiliculi. Pancreas pene ſcirrhoſum; & omentum ſemi-conſumptum conſpiciebantur. Cor ingens verſus dextram thoracis partem propellebatur, ab inſigni aquæ copia ſtagnante in cavo ſiniſtro. FANTONUS.

OBS. 418. Vir quinque & quinquaginta annorum de *dolore thoracem gravante* in ſiniſtra parte, in quam cubare non poterat, queritur. Crebro *tuſſiebat*, & ſeroſa exſpuebat: identidem pectoris oppreſſionibus vexabatur, cum *ſpirandi difficultate*, & *cordis anxietatibus*. Pulſus erat rarus durus & vehemens. Abdomen non tumidum, ſed tenſum. Tandem ad plures migravit.

Siniſtrum pectoris cavum ſero replebatur. Cor occurrit magnum præter modum. Auricula dextra erat ſumme dilatata. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 418. (*a*) Vidua quinquagenaria iracunda, anxietatibus & ſpaſmis erat obnoxia; cum vires deficiunt, *difficilis* fit *reſpiratio*, haud ſine hydropis pectoris ſuſpicione: ſub quo rerum ſtatu obiit.

Luſtrato cadavere, pectus ſero ſcatens deprehenditur. Cor erat mole maximum. Oſſiculum oblongum longitudine octo linearum occurrit in ſubſtantia partis ſuperioris ſiniſtri ventriculi. Valvula auricularis dextra naturali duplo major & craſſior annotatur. CLAR. HAEN.

OBS. 418. (*b*) Fœmina ſeptem & triginta annorum debilis *ictero* corripitur, quem excipit *ſpirandi difficultas*. Accedit febris & ingraveſcit anhelitus, quibus e medio tollitur. De nullo cordis dolore, nec palpitatione conqueſta fuerat, & nuſquam pulſum intermittentem, nec inæqualem habuit.

Extinctæ ſecto cadavere, cor ingens ad duas libras accedebat, ob diſtenſionem præſertim ſiniſtri ventriculi. Inſuper aorta partim oſſea mire dilatata conſpiciebatur. CLAR. HAEN. COR.

OBS. 419. Quidam *ſpirandi difficultate* laborabat, cum quodam *dolore circa mucronatam cartilaginem*. Sub hac rerum conditione, inter diſſentientes medicos ſuffocatus interiit.

Corpore examini anatomico ſubjecto, cor tantæ magnitudinis apparuit, ut triplo major cavitatem totam fere occuparet; & pericardio ubique adhæreret. Pulmones vero exiles, ſed nulla læſione tacti deprehendebantur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 420. Anus octogenaria jamdiu *ſpirandi difficultate* premebatur. Pulſus erat durus & vehemens. Difficilis erat decubitus, adeo ut in lectulo ſedere cogebatur. Quibus tandem ingraveſcentibus ſuffocata interiit.

Plurima aqua reperitur tum in pericardio, tum in utroque pectoris latere. Cor ingens deprehenditur cum concretionibus polypoſis. Aorta ſupra cor erat admodum dilatata, ad duritiem oſſeam accedens. Siniſter pulmo erat ſemi-corruptus. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 421. Juvenis octo & viginti annorum crebro *ſtomachi dolori* obnoxius, bis *lypothymia* a morte vix abſimili, correptus fuerat. Ob virium debilitatem laborioſe ſe movebat, & *anxie reſpirabat*. Tandem ſexta poſt cœnam hora ſubito e vivis tollitur.

Lien duplo major occurrit. Auricula cordis dextra ſumme erat dilatata. Dexter cordis ventriculus mire diſtendebatur a maxima ſanguinis copia. Serum præterea reperitur tum in ventriculis cerebri, tum inter meninges. CLAR. VALSALVA.

OBS. 422. Mulier juvenis fera *cordis palpitatione* frequenter oppreſſa, delapſa eſt in phthiſim, quæ corpori macie confecto vitam celeriter extorſit.

Abdomen ſero limpido plenum fuit. Hepar mole & pondere inſigne occurrit, cum ingenti veſicula fellea atro & piceo ſucco plena. Stupenda erat cordis moles, ut quartam ferme pectoris partem occuparet.

Pectus

COR. Pectus cruento ſucco replebatur. Pulmo arctiſſime coſtis hærens ſcirrhoſus & purulentus annotabatur. RIVALERIUS.

OBS. 423. Vir nobilis poſt *naufragii terrorem* queritur de *cordis palpitatione*. Pulſus erat inæqualis: dein in *ſpirandi difficultatem* incidit. Interea tumenc pedes & crura. Poſtremo ſanguinem craſſum & nigerrimum excernit, quibus ad extrema redactus moritur.

Perſcrutatis viſceribus, deprehendebatur uterque cordis thalamus concreto ſanguine mirum in modum diſtentus. MANGETUS.

OBS. 424. Sexagenarius, inter magnates conſpicuus & obeſus, mœrore & ſollicitudinibus anxius, vitamque peragens ſedentariam, noctu, ſi adſtantium famulorum relatui ſit fides, *catharro ſuffocativo* extinguitur.

Inſtituta cadaveris ſectione deprehendebantur præter ſtupendam adipis copiam, cordis ventriculi, & præſertim dexter ſanguine compacto ultra modum repleti, & diſtenti. E NOSTR. ADVERSARIIS.

OBS. 425. Vir quatuor & quinquaginta annorum *aſcite* detentus, de graviſſimo *oris ventriculi dolore* poſt paſtum; & *reſpirandi difficultate* querebatur. Poſt quatuordecim menſes morbo victus, naturæ debitum perſolvit.

Latebant in abdomine ſexdecim aquæ citrinæ menſuræ; & quatuor in thorace. Hepar erat durum & ſcirrhoſum. Cor bovino majus, totam ferme thoracis cavitatem replebat; unde compreſſione extenuati pulmones conſpiciebantur. POZZIS.

OBS. 426. Quidam *palpitatione cordis*, & *dyſpnea* laborabat. Tandem per os excrevit ſanguinem nigerrimum, craſſum & conglomeratum, cum *tuſſi* moleſta; unde reſpiratio facta eſt facilior. Sed tantus fuit ſanguinis proventus ut viribus exhauſtis interierit.

Reperiebatur uterque cordis ventriculus ſanguine concreto ultra modum diſtentus. Pulmo etiam totus ſanguine multo refertus videbatur. BONET.

OBS. 427. Mulier quadragenaria, per ſexennium, *ſpirandi difficultate* premebatur, cum *ſputis* craſſis & *purulentis*. Demum circa ultimos vitæ menſes integra fuit in carpis pulſus oblitteratio.

Occurrit cor magnum, cum pericardio duriore, craſſo & quaſi tendineo. Polypoſæ inerant concretiones. Aorta ad intercoſtales erat dilatata, cum tunicis craſſioribus & nonnihil offeis. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 428. Quidam auriga triginta annorum in curru expiravit. Longo autem tempore *abdominis dolores*, ad jugulum aſcendentes, patiebatur, ut inde ſe crederet *ſuffocari*.

Omentum erat putridum cum inſigni fœtore. Hepatis moles erat ingens. Conſpiciebantur pulmones lividi & prope gulam inflammati. Cor vero occurrebat ingens & quovis bubulo majus. BARTHOLINUS.

OBS. 429. Cuidam *febre acuta* prehenſo ſtatim livere cœpit ſupercilium ſiniſtrum; & antequam viginti horæ elapſæ eſſent, *totum corpus ſphacelo* fuit tentatum; hinc brevi acceſſit lethum.

Secto cadavere cor invenitur duplo majus, quam ſanis eſſe ſolet; cum venis tumentibus & inflatis ad digiti craſſitiem. SAXONIA.

OBS. 430. Juvenis nobilis poſt immodicas curſiones, & validiores corporis conatus, *ſpirandi difficultate* corripitur cum difficili decubitu. Interea vehementiores ingruunt *cordis palpitationes*, *ſputo cruento* nonnunquam ſtipatæ. Omnibus demum in pejus ruentibus occubuit.

Cor ingens deprehendebatur, cum repulſo ſubjacente diaphragmate in modum foveæ. Aortæ inſuper principium mire dilatatum occurrit. CLAR. SENAC.

OBS. 430. (*a*) Luſtrato cadavere *ſyphtilitici*, oſſa carie exeſa occurrunt; veſiculæ ſeminales materia purulenta infarciebantur, & glandulæ meſenterii cum pancreate tumefactæ & induratæ aortam comprimentes anguſtabant. Cor ingens deprehendebatur cum concretionibus polypoſis; aorta ſupra cor erat valde dilatata; & pectus ſero cruento replebatur. PORTAL.

OBS. 430. (*b*) Reſerato cadavere cujuſdam mulieris ſexageſimum annum peractæ

&c.

& *morbo ignoto* demortuæ, cor apparet valde dilatatum, præcipue in auriculis: ſecta ejus ſubſtantia, inter valvulas quibus cor auriculis proſpicit, materies quædam lapidoſa (non vero oſſea) annulum efformans accreta erat; ovaria pariter lapidibus ſcatebant. PORTAL.

OBS. 431. In cadavere cujuſdam juvenis robuſtiſſimi a *vapore muſti* effervescentis ſubito enecati, in conſpectum veniebat cor ſanguine obrutum, & ultra modum dilatatum, non ſecus ac appenſæ auriculæ. Pulmones variis echymoſibus erant ſignati, & vaſa ſanguine etiam turgebant. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 432. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam *cordis palpitatione* ſæpius laborantis, annotabatur cor valde amplum, & arteria quæ ducit in pulmonem duplo latior naturali. Eidem obſervantur duæ coſtæ mendoſæ in latere ſiniſtro a ſuis cartilaginibus abruptæ. CÆSALPINUS.

OBS. 433. Sexagenarius jampridem *ſpirandi difficultate* laborabat, haud raro accedentibus *cordis palpitationibus*. Morbo tandem ingraveſcente ultimum diem clauſit.

In apricum venit cor mole maximum, & concretionibus polypoſis ſcatens. Præterea aorta e corde emergens varias laminas oſſeas intus exhibebat. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 434. Vir quadraginta annorum crapulæ deditus de *ſpirandi difficultate* & *hypochondriorum anguſtia* jam diu querulus, morte repentina tandem e vivis tollitur.

Aperto cadavere nil præter naturam ſe prodidit in regione hypochondriaca. Verum in thorace cor adeo amplum obſervabatur, ut tria naturalis magnitudinis æquaret. BONETUS.

OBS. 435. Juvenis viginti annos natus, per aliquot annos, *cordis palpitationibus* conflictatus, tandem ſubito interiit.

Exenterato cadavere, adeo omnes cordis valvulæ, & magna arteria diſtendebantur, ut cor triplo amplius videretur. BALLONIUS.

OBS. 436. In cadavere vetulæ *pulmonum inflammatione*, cum alvi profluvio, extinctæ, præter phlogoſim pulmonis dextri ſumme tumidi & gravis, reperitur cor præter expectationem ingens, cum ventriculorum parietibus craſſioribus & polypoſis. CLAR. MORGAGNUS. COR.

OBS. 437. Quidam affectione *incubo* ſimili, conflictatus, itemque *difficili reſpiratione*, cum febre, poſt quamdam remiſſionem, morbo recrudeſcente, obiit.

Thorax aqua ſcatebat: cor maximum deprehenditur. Aorta prope cor ad miram anguſtiam erat contracta. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 438. Quidam febre lenta & macie laborans *ſpirandi difficultate* premebatur, cum crebrioribus *cordis palpitationibus*. Tandem occubuit.

Luſtrato cadavere, reperitur pectus aqua ſcatens, cor erat ingens, & arteria pulmonaris variis tuberculis lapideis, intus & extus exaſperata. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 439. Juvenis graviori *ſpirandi difficultati* obnoxius erumpente e naribus ſanguine, levabatur. Tandem poſt longum iter ſubito concidit.

Cor invenitur mole maximum, & bubulo majus; ingenti ſanguinis copia diſtentum, cum contractis pulmonibus. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 440. Sexagenarius ſæviſſima *orthopnæa* corripitur; qua perſiſtente, imo & ingraveſcente, ſexto die rapitur.

Pulmones parte poſtica duri, & atro colore infarcti, reperiuntur. Cor occurrit prægrande: ventriculus præſertim dexter, cum appenſa auricula, a concretione polypoſa erat ultra modum dilatatus. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 441. In cadavere cujuſdam *apoplexia* illico ſublati, antea omnino ſanus, in conſpectum veniebat cor ſupra modum tumens, continens libras tres, & ultra, ſanguinis. Præterea aortæ oſtium ita patebat, ut vas brachii æquaret magnitudinem. LAURENTIUS.

OBS. 442. Quidam juvenis præviis *cordis palpitationibus*, tandem in nonnullas

ſan-

COR. *ſanguinis ſputationes*, & denique in *ſyncopem* lethalem incidit.

Secto cadavere, cor mole amplum, & cruoris copia infarctum deprehenditur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 443. In cadavere cujuſdam qui de *ſenſu gravitatis & conſtrictionis in regione cordis*, cum pulſu duro & vehementi querebatur, occurrit Ventriculus cordis ſiniſter mire dilatatus. Aorta etiam ſolito major deprehenditur; cujus latera firmiora ſquammis oſſeis exaſperabantur. MALPHIGI.

OBS. 444. Sexagenarius in auxilium uxoris apoplecticæ veniens, illico præ *dolore & mœrore* obiit.

Inſtituta cadaveris ſectione deprehendebantur vaſa pulmonum admodum turgida. Cor inſigni ſanguinis copia obruebatur. PANTHOLUS.

OBS. 445. Vir ſex & viginti annorum, ad conſpectum duorum amicorum pugnis decertantium, ac fauces mutuo ſibi præcludentium, *illico extinctus* concidit.

Cor ingens annotatur; vaſa pulmonum, alias male affectorum, inſigni ſanguinis copia diſtendebantur. PANTHOLUS.

OBS. 446. In corpore cujuſdam *phthiſici* inveniebatur aquæ copia in thorace, præſertim ſiniſtro. Dexter pulmonum lobus plevræ firmiter annectebatur. Cordis erat ingens mole. Lien ſcirrhoſus deprehendebatur. Pancreas ſimili modo afficiebatur. BARTHOLINUS.

OBS. 447. Quidam *ſpirandi difficultate* tenebatur. Tandem macie confectus obiit.

Reſerato pectore, pulmones ſani ſe præbent: cor vero majuſculi capitis magnitudinem æquabat. BALLONIUS.

In hoc tractu locum obtinent obſervationes Lib. I. 645, 807, 854, 959, 1765. Lib. II. 38, 40, 44, 56, 70, 93, 100, 140, 155, 213, 317, 540, 556, 566, 620, 635, 701, 705, 724, 861, 944. Lib. III. 261. Vide præterea *Valvulæ cordis oſſeæ*, *Hydrops pericardii*.

ARTICULUS II.

Cor marcidum & exiguum.

OBS. 448. Vir quinque & triginta annos natus, gracilis & melancholicus, de *pectoris anguſtia* conquerebatur, cum *tuſſi* rara. Accedunt *febris lenta*, cibi faſtidium & macies. Sub hoc rerum ſtatu ingruunt capitis & dorſi dolores cum vigiliis pertinaciſſimis. Dein ingraveſcit ſpirandi difficultas; febris exacerbatur, & erumpit alvi fluxus nulla arte domandus. Atrophia demum confectus interiit.

Reſerato pectore deprehenduntur pulmones lividi & ſcirrhoſi. Thymus ſimili ferme modo læſus conſpicitur. Cor vero aridum, & mire contractum occurrit. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 449. In cadavere juvenis quartum luſtrum ſuperantis, & *febre ardente* extincti, in propatulum veniebat cor exiguum aridum & corrugatum, vel tabe confectum. Pulmones purulenti colluviei ichoroſæ innatabant. Hepar ampliſſimum varias inflammationis & gangrænæ notas præ ſe ferebat. Supra modum turgebant bilis vaſa & receptacula; atque amurcæ cujuſdam æruginoſæ copiam recondebat ipſemet ventriculus, alias ſanus. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 450. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam *phthiſici* ad hydropem vergentis, in conſpectum veniebat cor adeo exiguum & extenuatum, ut ſiniſter ventriculus vix mediocre corium, dexter vero ſimplicem tunicam craſſitie adæquaret. Inſuper accuratiori examini ſubjectis cordis lateribus conſpiciuntur columnæ carneæ fere oblitteratæ; ſuperſtitibus dumtaxat paucis veſtigiis. PEYERUS.

OBS.

OBS. 451. Vidua ſexagenaria *febre duplici tertiana* laborans, terroribus, curis & mœrore confecta, in motus convulſivos lethales incidit.

Cordis parenchyma ita erat abſumtum, ut nihil ferme præter vaſa, ſub membrana latitantia, appareret, cum tantillo ſanguinis nigri in ventriculis; pericardio omni humore plane deſtituto. HELVVINGIUS.

OBS. 452. Juvenis ardente ſyrio in *cauſum* incidit, cum lingua nigra, ſiti clamoſa, & viſcerum ardore. Opportunis adhibitis remediis convaluit. Poſt duos menſes debilis factus, recidivam patitur & obiit.

Inſtituta cadaveris ſectione, deprehendebatur cordis involucrum rugoſum, humore plane exhauſto; atque ipſamet cordis ſubſtantia marcida apparebat. ZACUTUS.

OBS. 453. Quidam ab infantia, de *dolore in pectoris latere ſiniſtro* querebatur; quo demum exacerbato occubuit.

Reperiebantur pulmones tumidi, & maculis nigris notati. Horum ſuperficies innumeris veſiculis, atro humore turgidis, obſita conſpiciebatur. Cor erat ſtupendæ exilitatis; adeo ut ad dimidium ſolitæ magnitudinis vix accederet. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 454. Quidam *melancholicus* variis tentationibus vexatus *proprio gladio ſe confodit*: vulnus intra duos menſes ſanatur. Sed iterum abſurdis cogitationibus afflictus, inter vomitum, expiravit.

COR.

Luſtrato cadavere cor arefactum invenitur, cum copioſa aqua citrina in pericardio. BONET.

OBS. 455. Quidam juvenis *febre ardentiſſima*, gravioribus ſymptomatibus ſtipata, corripitur, & intra triduum ad libitinæ rationem venit.

Cadaver examini anatomico ſubjectum, exhibet cor torrefactum pyri toſti imaginem repræſentans, pericardio plane ſicco. PANAROLUS.

OBS. 456. Quidam *melancholicus* jamdiu *mœrore* & vigiliis conflictatus, tandem vivere deſinit.

Examini tradito cadavere, deprehendebatur cor exhauſtum, & quaſi exſiccatum; nullo humore in pericardio. JORDANUS.

OBS. 457. Luſtrato cadavere cujuſdam, qui, poſt *morſum lupi rabidi*, *hydrophobia* perculſus obiit; in apricum veniebat cor exiguum, & ſua capſula arcte obductum. SENACUS.

In harum numero adſcribi debent obſervationes Lib. I. 210, 543, 600, 601, 632, 706, 872, 1026, 1591, 1633. Lib. II. 15, 46, 702, 707, 727, 930.

ARTICULUS III.

Cor inane.

OBS. 458. In cadavere cujuſdam viri *fulmine perempti*, ſequentia obſervata fuere. Abdominis ſcilicet & membri genitalis inflatio: cutis lateris ſiniſtri igne torrefacta: ſanguinis ex aure dextra ſtillicidium; vulnuſque in ſummo vertice, intacto cranio. Luſtratis partibus internis, inveniebatur ſerum copioſum, tum in ventriculis cerebri, tum in theca vertebrarum; ſanguine in vaſis contento fluidiſſimo. Pulmones nonnihil nigricabant. Cordis ventriculi & auriculæ æque ac proximiora vaſa, ſanguine vacua deprehendebantur. Stomachus & inteſtina flatu mire diſtendebantur. EX ACTIS PETROPOLITANIS.

OBS. 458. (*a*) In cadavere cujuſdam *arthritici* qui nullam evacuationem morboſam paſſus fuerat; cujus pulſus ſemper fuit durus & fortis, niſi paucis diebus ante obitum, reperiuntur utriuſque ſortis vaſa ampla ſed flaccida & inania, vel continentia filum ſeu chordam tenuem, albam & po-

COR. & polypoſam; craſſitudine inæqualem; quæ in majori ſuo diametro vix ſeſqui lineam habebat. Cor etiam craſſum, pallidum & vacuum pauculum grumoſi vel polypoſi cruoris continebat. CLAR. HAEN.

OBS. 459. Quædam fœmina *febre quartana* detenta, in *hydropem* incidit. Nonnullis ante obitum menſibus de calore intenſo in viſceribus conquerebatur.

Secto cadavere ingens aquæ copia reperitur in abdomine. Inteſtina omnino nigricabant, & quaſi torrefacta conſpiciebantur. Cor & vaſa nullum ſanguinem continebant, ob venæ ſectionis abuſum. Inanis etiam erat veſicula fellea. LAIGNEAU.

OBS. 460. Quædam mulier jamdudum *colica*, & *affectibus convulſivis* miſerrime afflicta, & pene attrita, in *apoplexiam* demum lethalem incidit.

Inſtituta cadaveris ſectione, in conſpectum veniebant cor & vaſa ſanguine plane inania. VVILLISIUS.

OBS. 460. (*a*) Luſtrato cadavere fœminæ caſu in flumen illapſæ & pluribus horis *in aqua ſubmerſæ* reperiebatur aquæ in trachea, & bronchiis, non ſecus ac in ventriculo. Pulmo totus niger fuit & cor exſangue. CLAR. HALLER.

OBS. 461. Febre tertiana decumbenti *vicies ſepties vena* fuit *aperta*; quam enormem ſanguinis profuſionem mors tandem ſequitur.

Luſtrato cadavere, ne gutta quidem ſanguinis inventa eſt in corde & majoribus vaſis proximioribus. ROLFINKIUS.

OBS. 462. In cadavere cujuſdam qui ad extremum uſque halitum *febre* laboraverat, cor & majora vaſa prorſus inania obſervabantur.

OBS. 463. Cadavera variorum inter *variolas* extinctorum, cor & vena cava aere turgebant; & nullum fere ſanguinem recondebant. CHIRAC.

Inter affines numerantur obſervationes Libr. I. 129, 543, 1014, 1061. Libr. 40, 46, 621, 645, 661, 698. Libr. III. 55, 74.

ARTICULUS IV.

Cor adipe obrutum.

OBS. 464. Quinquagenarius oppipare vivens, & inter obeſos celebratiſſimus, ſumma *ſpirandi difficultate* premebatur; præſertim inter quemvis corporis motum. Omnis ipſi denegatur decubitus, & noctes plerumque inſomnes ducit. Tandem ſubitanea morte rapitur.

In conſpectum venit cor portentoſum, & adipoſa mole quaſi obrutum. Mediaſtini etiam erat ſtupenda craſſities. Hinc pulmones, alias ſani, contracti & depreſſi annotabantur. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 465. Quidam crapulæ indulgens incidit in *ſpirandi difficultatem*, cum dolore punctorio hypochondrii dextri: ſupervenit loquelæ impedimentum cum ſudore copioſiſſimo; donec ſuffocatus interiit.

Cor erat maximum, & adipe obrutum. Plevra etiam tanta undique tegebatur pinguedine, ut exiguo ſpatio ſupramodum contracti pulmones continerentur. BINNINGERUS.

OBS. 466. In cadavere pueri ultra modum obeſi, & *ſuffocatione* extincti, cor abeſſe videbatur. Latebat enim ita pinguedine obvolutum, ut non appareret. Ventriculi cerebri continebant aquam limpidam; & plexus choroideus obſeſſus erat hydatidibus, quarum una ad nucis avellanæ magnitudinem excreverat. KERCKRINGIUS.

OBS. 466. (*a*) Luſtratis cadaveribus nonnullorum *macie* confectorum, vel *phthiſi* peremptorum deprehendebatur major adipis copia circa baſim cordis; imo haud raro

ro paſſim occurrebant tumores adipoſi cæteris partibus internis adnati. PORTAL.

OBS. 467. Inter exenterationem cujuſdam *obeſi* febre tertiana maligna ſublati, pulmones nonnullas inflammationis notas referebant. Pericardium erat aqua deſtitutum. Cor quaſi aduſtum, tanta pinguedine ſubviridi obrutum, ut mirabile videretur. GUARINONIUS.

OBS. 468. Luſtrato cadavere viri ſumme *obeſi*, & *repentina morte ſublati*; deprehendebantur cor, & pericardium in ſtupenda adipis mole ſepulta. BONETUS. COR.

Haud abſimiles caſus præbent obſervationes Libr. I. 410, 1573. Libr. II. 107, 329, 626, 666, 897.

ARTICULUS V.

Cor cruſta obductum.

OBS. 469. Virgo viginti annorum ultimis vitæ temporibus ſuppreſſione menſium laborabat. Acceſſerunt *difficilis reſpiratio*, *tuſſicula*, febricula, dolores pungitivi circa ſcapulas, *anxietates*, appetitus proſtratus, & tumor pedum: donec tandem repentina *ventriculi inflammatio*, cum ſubſequente vomitu, & ſubitanea denique *ſuffocatione*, miſeriæ finem impoſuiſſet.

Pectoris cavum dextrum aqua replebatur. Pulmonis ejuſdem lateris ſubſtantia tuberculis duriſſimis erat referta. Præterea cor obducebatur materia quadam quaſi lardoſa in villos, vel columnas diviſa pericardio accreta. EX ACTIS PETROPOLITANIS.

OBS. 470. Quædam muliercula jamdudum *ſpirandi difficultate* premebatur; atque febre quadam inordinata laborabat. Accedunt *anxietates* moleſtiſſimæ, cum quodam *pondere circa ſcrobiculum cordis*. Quibus ingraveſcentibus tandem ſuffocata interiit.

Luſtrato cadavere, præter aquam ſtagnantem in dextro pectoris latere, reperitur cor cruſta quadam villoſa obductum, qua paſſim pericardio annectebatur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 470. (*a*) In cadavere cujuſdam varioloſi pericardium ſero nigerrimo turgebat, & cor cum ſuis auriculis cruſta quadam craſſitie plurium linearum & colore nigricante donata tegebatur; arteriæ coronares, quæ ſubtus deliteſcebant, maxime diſtentæ & etiam diſruptæ conſpiciebantur. PORTAL.

Inter affines recenſeri debent obſervationes Libr. II. 1, 140, 177, 356, 672, 729.

ARTICULUS VI.

Concreta ſanguineo-lymphatica.

OBS. 471. Quidam *tuſſi*, *ſputo ſanguineo* & *difficili reſpiratione* corripitur. Die decimo ſeptimo febris exſurgit intermittens, cum ſopore. Vigeſimo quinto crura tument, cum eryſipelate. Vigeſimo ſeptimo abdomen tenſum exploratur, alvo ſicca: & poſtridie obiit.

Stagnabat aqua copioſa in thorace. Pulmones, imprimis ſiniſter, coſtis annectebantur, nigro & coagulato ſanguine infarcti. Deprehenditur in utroque cordis ventriculo, materia craſſa fibroſa, quaſi carnea, polypum vulgo dicunt, quæ in omnia vaſa ma-

COR. majora extendebatur; annexa erat cordis columnis carneis, quas ſuis fibrillis amplectebatur. Erat humor copioſus in pericardio. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 472. Puer decimeſtris *tuſſi* laborabat, & febricula. *Reſpiratio* erat crebra, & *laborioſa*, cum lingua ſicca. Ingruunt inquietudines cum jactatione totius corporis; & intra biduum extinguitur.

Aperto cadavere, pulmones deprehenduntur ſanguine ſtagnante infarcti, & paſſim nigricantes. Cordis ventriculi recondebant ingentes polypos concretionibus adipoſis ſimiles, in omnes majores arterias exporrectos, earum cavitates quaſi obſtruentes. BALLONIUS.

OBS. 473. Juvenis ſupra viginti annorum, per triennium, perpetuo conquerebatur de inſigni *pectoris dolore*, & *gravitate* in ſiniſtrum latus vergente.

Aperto poſt obitum corpore repertus eſt in ipſius cordis lævo ventriculo anguiculus, capite rubro, cætero corpore apprime candicans & lucidus, cujus cauda erat bifurcata. (Merum delirium, etiam minime expers fuit *Aurelius Severinus*.) ZACUTUS LUSITANUS.

OBS. 474. In corpore cujuſdam *tabidi*, paulo ante obitum *lypothymiæ* obnoxii, obſervatur oſtium dextri ventriculi uſque adeo a carnea concretione obturatum: eamque tum arcte inter fibras tricuſpides impactam fuiſſe, ut pennæ anſerinæ aditus in ventriculum pro influxu ſanguinis vix reſtaret: quin & ſiniſter ventriculus pari ferme modo obturatus fuit. LOUVER.

OBS. 475. Plures nautæ ex indiis orientalibus reduces *tuſſicula ſicca*, & *ſpirandi difficultate* corripiebantur cum *cordis palpitatione* fere continua, pulſu intermittente, & convulſivo. His accedebant anxietates, cum lapſu virium, & difficili decubitu in dorſum ob ſuffocationis metum; donec ad plures migraverint.

Secto cadavere exhibebant in corde ingentes concretiones polypoſas, quæ non ſolum cordis ventriculos & auriculas replebant; ſed etiam ad majora vaſa propagabantur. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 476. In cadavere cujuſdam viri quinquaginta annorum, *cordis palpitationi* obnoxii, repertum eſt concrementum, ſeu polypus ingens, qui dextræ auriculæ adnatus extendebatur in ventriculum, uti pariter adhærebat parieti inferiori. Porro progrediebatur ſurſum & exibat per venam arterioſam, in cujus ramos porrigebatur. Simile quid reperiebatur in altero cordis ventriculo & in majoribus vaſis. LANGELOTIUS.

OBS. 477. Quinquagenarius vertigini obnoxius incidit in gravem *dyſpnæam*, cum ſuffocationis periculo, pulſu inordinato, ſiti intenſa & pedibus intumeſcentibus. Poſt nonnullam remiſſionem omnia recurrunt; & deteriora fiunt; donec fatis ceſſit.

Reperitur ſiniſter pulmonum lobus decolor & durus. In ſiniſtro cordis ventriculo occurrit polypus duarum fere ſpitamarum longitudinem æquans, & in aortam productus. Hepar erat mole majus; & ren ſiniſter ſcirrhoſus. BONETUS.

OBS. 478. In cadavere cujuſdam juvenis quinque & viginti annorum, qui poſt diuturnam *febrem quartanam ſuffocatus* obiit, reperiebatur ingens copia ſeri in ventriculis cerebri. Pulmones firmiter annectebantur plevræ & diaphragmati. In dextro cordis thalamo, auricula vacua, deprehenditur polypus, inſtar gelatinæ pellucidæ ſurculos in arteriam pulmonarem extendens. Siniſter ejuſmodi coagulum, ſed minus, fovebat. Lien præterea in tantam excrevit molem ut ultra tres libras ponderaret. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 479. In diſſectione cujuſdam *phthiſici*, præter ſolitam pulmonum ſtragem, reperiuntur in utroque cordis ventriculo carunculæ quædam intus albicantes, extus vero colore rubido; figura pyramidali; peculiaribus fibris in ipſis ventriculis radicatæ; per vaſa cordis ramulos ſuos diſpergentes, digiti minoris craſſitie, & longitudine ſeſqui palmæ. BARTHOLINUS.

OBS. 480. In corpore cujuſdam qui in vita jampridem *anxietatibus* & *aſthmate* vexabatur, reperitur in dextro cordis ventriculo corpus quoddam inſolitum, album & firmum digiti minimi craſſitie, quod venam cavam ad trium fere digitorum latitudinem ingrediebatur. Simile quod ob-

ſervatur in ſiniſtro cordis ventriculo, quod etiam protenditur, tum in venam pulmonarem, tum in aortam. DIEMERBROEK.

OBS. 481. Puella ſexennis toto vitæ tempore morbis fuit obnoxia; dein *cordis palpitationi*, & *aſthmati*. Tandem atrophia periit.

Huic inventa fuit auricula dextra prætumida, cui inerat materia quædam alba, membranoſa, craſſa & oblonga. In ipſo ventriculo dextro materia occurrit pinguedini ſimilis. C. BAUHINUS.

OBS. 482. Puella quatuordecim annorum cum per diem *capitis gravitatem*, vertigines, & *anxietates* paſſa eſſet; die ſequenti ſubito extincta eſt.

Cerebrum immune deprehenditur: ſed in arteria magna, & in vena cava totus ſanguis ita coaleſcebat, ut apprehenſo illius concreti uno principio, totum educeretur; ac gladius e vagina extrahi ſolet. SALIUS DIVERSUS.

OBS. 483. Puer quinquennis *ſpirandi difficultate* diu laboravit. Supervenit *hypothymia*, qua tandem e medio tollitur.

Pulmonis pars ſiniſtra diaphragmati firmiter hærebat. Siniſtra cordis auricula ſolito amplior recondebat materiam craſſam & compactam, omnino albam, lardum coctum referentem. RIVERIUS.

OBS. 484. Quidam integro quadrimeſtri *febre continua* laborabat, cujus comites erant crebræ *lypothymiæ*, & *reſpiratio intercepta*, quibus tandem obiit.

Aperto cadavere, & diſſecta ſecundum longitudinem vena cava deſcendente, reperiebatur proxime cor polypus, inſignis craſſitiei, & longitudinis ſemi ulnæ. RUSSEUS.

OBS. 485. Fœmina octo & viginti annorum per ſex menſes catameniorum defectu laboraverat, & *febribus* nunc *tertianis*, nunc *quartanis*: *cachochymica* hinc facta, tandem vivere deſiit.

Reperitur polypus in utroque corde: ſed potiſſimum in ſiniſtro, arcte cordis parietibus affixus, & valvularum marginibus accretus. CLAR. DE HAEN.

OBS. 486. In cadavere cujuſdam *ſuffocatione* interempti reperiuntur in dextro cordis thalamo, & vaſis pulmonicis portiones aliquot materiæ cujuſdam albæ, teretis, tenacis & viſcoſæ, pithamæ circiter longitudine. E MISCELLANEIS CURIOSIS. COR.

OBS. 487. Juvenis viginti annorum *melancholicus*, & *noſtalgia* tactus, macie ſenſim conficitur. Progrediente morbo *ſomnolentus* evadit; & intra triduum fatisceſſit.

Occurrunt concretiones polypoſæ in corde & ſinubus cerebri. Cyſtis fellea bile ſaturata flava & craſſa turgebat. BARRERUS.

OBS. 488. In cadaveribus variorum *morbo cardiaco* extinctorum cor ſanguine lento & coagulato erat pleniſſimum, non ſecus ac majora vaſa; ita ut inciſis illis partibus ſatis longa illius coagulati ſanguinis portio extrahi potuerit. SPIGELIUS.

OBS. 489. Adoleſcentula, poſt morbillos, de *gravamine circa pectus* querebatur. *Reſpiratio* erat *difficillima*. Viribus attritis expiravit.

Invenitur polypus cordis in arterias pulmonicas illapſus & eas fere in totum obſtruens. VVILLIS.

OBS. 490. In cadavere fœminæ diu *aſthmaticæ*, *cordiſque palpitationi* obnoxiæ, & tandem ſyncope cardiaca interemptæ, reperitur corpus pituitoſum vel fibroſum longiſſimum, cor & aortam occupans. VVEPFERUS.

OBS. 491. Carnoſas quaſdam excreſcentias in utroque cordis ventriculo, ſe vidiſſe in variis qui *dolorem cordis*, & *leipothymiam* paſſi fuerant, & quibus pulſus intermitens explorabatur, teſtatur VESALIUS.

OBS. 492. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam viri *orthopnææ*, ſenſim & ſine cauſa manifeſta ingraveſcente extincti, repeпriebatur concretum polypoſum in utroque cordis ſinu, quod magnitudinem fabæ haud excedebat. KERCKRINGIUS.

OBS. 493. In cadavere cujuſdam *morbo attonito* repente ſublati, occurrit in ſiniſtro

COR. ſtro cordis ventriculo polypus qui conſtabat ex alba & concreta pituita, incluſa membranaceo involucro, & inhærente ſuis radicibus, columnis carneis. TULPIUS.

OBS. 494. Luſtratis cadaveribus variorum *catarrho ſuffocativo* extinctorum, reperta ſunt corpora quædam calloſa, viſcida, & glutinoſa in corde & in vaſis cerebri; vel ſinubus duræ meningis. SEGERUS.

OBS. 495. In cadavere cujuſdam juvenis *febre ardentiſſima* ſublati, ſanguinem concretum rubro flaveſcentem in cordis ventriculis maxime adhærentem, ut ſeparari non poſſet citra dilacerationem, vidit PANAROLUS.

OBS. 496. Inter exenterationem cujuſdam fœminæ *aſcite* & *leucophlegmatia* extinctæ, corpora fibroſa, ſeu pituitoſa contenta erant in ſiniſtro cordis ventriculo, & in aorta. VVEPFERUS.

OBS. 497. Examini anatomico traditis cadaveribus nonnullorum *repentina* & *inopinata morte* extinctorum, reperiebantur fruſtula carnea, pugni magnitudine, intra ventriculum dextrum. RIOLANUS.

ARTICULUS VII.

Cordis inflammatio.

OBS. 498. In corpore cujuſdam, qui *pleuritide* laborabat, cum pulſu inæquali, in propatulum veniebat concretio quædam ſanguineo-pituitoſa, & flaveſcens in utroque cordis ventriculo. ERASTUS.

OBS. 499. Corpus viri triginta annorum renum ulcere extincti, qui integro die ante obitum *ſine pulſu* jacebat, exhibuit utrumque cordis ſinum duobus quaſi turundis oblongis adipis concreti obſtructum. VELSCHIUS.

OBS. 500. Inſtituta ſectione cadaveris cujuſdam fœminæ, quæ frequenter *animo deficiebat*, deprehenſus fuit in ſiniſtro cordis ventriculo quidam grumus ſanguinis, qui inibi concreverat. BALLONIUS.

OBS. 501. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam viri a *quavis ſpirandi difficultate* ſemper *immunis*, in propatulum veniebat in utroque cordis ventriculo polypus ad unciam unam accedens. BONETUS.

OBS. 502. In fœmina diu *aſthmatica*, cum *cordis palpitatione*, & tandem ſyncope cardiaca extincta, corpus pituitoſum, ſive fibroſum, ulnæ longitudinem ſuperans ex aorta extraxit VVEPFERUS.

OBS. 503. Juvencula jamdiu *cordis anxietate* & *palpitatione* querula, tandem lypothymia derepente e medio tollitur.
Reperitur fruſtum quoddam adipoſum dextrum cordis ventriculum fere replens; & aliud parvum in ſiniſtro. VESALIUS.

OBS. 504. Exenterato cadavere cujuſdam virginis *cordis palpitationibus* obnoxiæ occurrit corpus quoddam adipoſum, ſatis firmum in dextro ventriculo, magnitudinem ovi columbini ſuperans. DIEMERBROEK.

OBS. 505. In corpore cujuſdam *ſubitanea morte* rapti, deprehendebatur pinguedo nimia pulmones comprimens, cum polypo in ſiniſtro cordis ventriculo. BARTHOLINUS.

OBS. 506. In alio etiam *ſubitanea morte* ſublato, haud citra veneni ſuſpicionem, deprehendebatur polypus in corde qui ad majora vaſa protendebatur. BARTHOLINUS.

OBS. 507. Juvenis viginti quatuor annorum *melancholicus*, moleſtiſſima ſiti laborans, ſubito occubuit.
Uterque cordis ventriculus pituita vi-

trea, tenaci & ſubalbida repletus erat. RUMLERUS.

OBS. 508. In cadavere cujuſdam *ſubitanea morte* extincti repertum fuit in utroque cordis ſinu pinguedinis fruſtum magnæ candelæ ſebaceæ formam referens. ROLFINKIUS.

OBS. 509. In alio etiam *derepente e vivis ſublato*, inſignis maſſa pinguedinis ſiniſtram cordis cavitatem occupabat. BOSCHUS.

His adde obſervationes Libr. I. 853, 1721. Libr. II. 21, 35, 37. 62, 152, 180, 183, 199, 200, 205, 244, 309, 315, 326, 415, 772, 840, 874, 878, 892, 893, 930. Libr. III. 63, 88, 350, 466. Libr. IV. 126. Vide etiam *Pulmonum inflammatio. Cordis læſiones.*

ARTICULS VIII.

Cordis abſceſſus.

OBS. 510. Juvenis novemdecim annorum *gonorrhea* pertinaciſſima laborans, *febre acuta* corripitur, cum dolore immani in regione hypogaſtrica; quibus remiſſis ingruit *cordis palpitatio* continua & violenta; quam brevi ſequitur *ſpirandi difficultas*, cum artuum inferiorum intumeſcentia. Interea pulſus debilis exploratur; urgent anxietates, ac tandem inter graviſſimam pectoris anguſtiam obiit.

Reperitur in regione hypogaſtrica abſceſſus inter peritoneum & muſculos abdominales. Luſtrato pectore deprehenditur circa apicem dextri cordis ventriculi abſceſſus pure ſincero repletus, & ultra pollicem longus. BARRERUS.

OBS. 511. In cadavere mulieris, cujus *urina* per quatuor menſes erant *purulenta*, & nonnunquam *cruentæ*, cum dolore renum, deprehendebantur renes inculpati; ſed in corde inventi ſunt duo calculi, & abſceſſus multi qui expurgabantur per urinas; atque in tranſitu, pus dolorem infligebat renibus. HOLLERIUS.

OBS. 512. Puer triennis admodum mœſtus & gemebundus repente obiit, *morbo* prorſus *ignoto*.

Aperto cadavere præter ſerum in capſula cordis, repertus eſt abſceſſus, inſtar ovi, prope ſiniſtram cordis auriculam. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 513. Luſtrato cadavere cujuſdam *palpitationibus cordis*, & *animi deliquiis* obnoxii, in conſpectum veniebat cor quaſi inflammatum, & abſceſſum fovens. HOLLERIUS.

OBS. 514. Inter ſectionem cujuſdam qui dum in vivis, de *cordis palpitatione* conquerebatur, reperiebatur abſceſſus in vena arterioſa. HOLLERIUS.

OBS. 515. In cadavere cujuſdam *repente interempti*, deprehendebatur abſceſſus, haud parvus, prope ſiniſtram cordis auriculam. FONTANUS.

OBS. 516. In alio inter *cordis palpitationes* ſublato inventus fuit abſceſſus in cordis ſubſtantia. FORESTUS.

Vide *Pericardium purulentum.*

Cor.

ARTICULUS IX.

Cordis purulentia.

OBS. 517. Fœmina quatuor & viginti annorum a loco calido in frigidum ſe contulit. Hinc horripilatio & *dolor* acutiſſimus *lateris ſiniſtri*, cum magno calore & ſiti immani. Paulo poſt accedunt *difficilis reſpiratio*, *anxia cordis palpitatio*, & ſummus *ardor in thorace* ſiniſtro. Interea labuntur vires, pulſus fit exiguus, & frigent extrema. Ingruunt *anxietates*, & *animi deliquia*; ac ſexto morbi die occubuit.

Pulmones erant ruberrimi, tumidi & inflammati. Pericardium cujus facies interior erat eroſa, valde diſtentum pure tenui replebatur. Cordis pars anterior ad magnam profunditatem ſuppurata inveniebatur, & verſus baſim penitus gangræноſa. Aorta etiam ex ſuo principio ad pollicis longitudinem ſuppuratione affecta fuit. CLAR. STORCK.

OBS. 518. Quidam laborabat tuſſi, febricula, & *dolore in thorace*. Urgebat *ſpirandi difficultas*. Paucis diebus ante mortem accedunt *animi deliquia*, quæ demum miſellum ægrum, mente conſtantem, de medio tollunt.

Repertus eſt alter pulmo conſumptus, cavitate plena ſanguine putrido & concreto. Pericardium pluſquam menſuram puris albi continebat. Tota cordis ſuperficies abſumpta erat & putrida, admodum extenuato corde. Hepar ingens deprehendebatur, cæteris viſceribus ſanis. J. BAUHINUS.

OBS. 519. Puer octodecim menſes natus, toto vitæ decurſu languidus, *reſpiratione* plerumque *anhela* laborabat cum quodam ſibilo. Frequens aderat *cordis palpitatio*, cum tuſſicula ſicca, & *pectoris oppreſſione*: quibus tandem ingraveſcentibus obiit.

Invenitur jecur maximum. Ren dexter abſceſſum avellanam æquantem recondebat. Pulmones prægreſſæ inflammationis notas gerebant. Auricula cordis dextra pure ſcatebat, quod e ventriculis cordis manabat. BONETUS.

OBS. 520. Juvenis quatuor & viginti annorum, qui brevi nuptias celebraturus bene ſe habere videbatur, ſubito *acerbioribus ventris doloribus* corripitur, & *derepente obiit*.

Inventum eſt omentum ſemi-putridum. Pulmones conſpiciebantur circa coſtas corrupti. Cor demum erat flaccidum & ſuppuratum. POTERIUS.

Vide *Cordis exulceratio*, *Pericardium purulentum*.

ARTICULUS X.

Cordis eroſio & exulceratio.

OBS. 521. Virgo quatuordecim annorum vomitu & cardialgia, dein alvi fluxu & febre, cum pulſu intermittente, laborabat. Non poterat in latus ſiniſtrum decumbere, quin ſtatim *cardialgia* & *tuſſi* corriperetur. Tuſſis interea noctu urgebat, cum *ſpirandi difficultate*, & *dolore lateris* ſiniſtri per intervalla pungente. Dolor magis ſæviebat cum ægra in latus ſanum decumberet; & contra gravior erat anhelitus, quando ſupra latus dolens decumbebat. Procedente morbo *febris* exacerbatur. Tandem die morbi trigeſimo quarto ſubito correpta eſt *ſanguinis ſputo* copioſiſſimo, prævia in faucibus titillatione. Poſt quamdam remiſſionem recrudeſcit hæmorrha-

morrhagia, qua crebro recurrente extinguitur.

Inveniebatur pulmo albicans plevræ & diaphragmati undique accretus, non ſecus ac pericardio; cum quo unum corpus continuum efficiebat. Cor vero ſubalbicans, parte qua diaphragma reſpicit exeſum & exulceratum inveniebatur; adeo ut fibræ carneæ ſemi-putridæ ſummis digitis avellerentur. RIVERIUS.

OBS. 522. Sexagenarius lacertoſus, jam pridem de *dolore obſcuro*, *circa præcordia*, querulus, *febre* corripitur *tuſſi* ſicca & *difficili reſpiratione* ſtipata. Circa nonum morbi diem excernuntur *ſputa* ſeroſa & *cruenta*. Procedente morbo, nec mitiora, nec graviora perſiſtunt ſymptomata; & die decimo tertio obiit æger.

Pulmo dexter tumidus, partim ſcirrhoſus, partim putridus, plevræ & mediaſtino arcte hærebat. Siniſter ſanus deprehenditur. Pericardium ſumme diſtentum aqua ſanioſa & purulenta ſcatebat; cum cordis ſuperficie eroſa & exulcerata. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 522. (*a*) In cadavere cujuſdam qui diuturna *cordis palpitatione* laboraverat, dexter cordis ſinus, cui vena cava inſeritur, inferiore ſui parte erat durus, exaſperatus undique & quodammodo ſquamoſus; adeo ut inſerta manus ſquamarum ſcabritie offenderetur: quo in loco continebatur fruſtum condenſati humoris pituitoſi, lenti, ſanguini immerſum; quod medullam cruris bovilli calefactum ſubſtantia & forma referebat. SMETIUS.

OBS. 523. Muliercula viginti annorum, ad *cardialgiam* proclivis de *dolore lateris* ſiniſtri querebatur. Acceſſit *febris*; cum pulſu intermittente. Haud poterat ægra in ſiniſtrum latus decumbere, quin ſtatim *cardialgia* & *tuſſi* corriperetur. Tandem erumpentibus *ſputis cruentis* copioſiſſimis, derepente extinguitur.

Luſtrato cadavere inveniebatur cordis ſuperficies inferior exeſa & purulenta; atque nonnihil putrida. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 524. Vir quidam longi temporis tractu *emaciatus*, tandem fractis viribus ſupremum diem clauſit.

Inveniebatur magnum ulcus, quod non ſolum cordis capſulam ſed etiam magnam ſubſtantiæ cordis partem exederat; uſque dum tandem penetraſſet in ſiniſtrum ventriculum, & ægrum ſic occidiſſet. MARCHETTIS. COR.

OBS. 525. In quodam qui ſenſim *contabeſcens* & liqueſcens, tandem ultimum diem clauſit, reperiebantur tria ulcera in cordis ſubſtantia, non parum cava & ſordida; ac multo jam tempore, uti videbatur, contracta. FERNELIUS.

OBS. 526. In cadavere cujuſdam viri *diuturno morbo* extincti deprehendebatur ſub altera cordis auricula, ulcus profundum, & ſordidum, quod pro antiquo ab omnibus adſtantibus habebatur. TRINCAVELLIUS.

OBS. 527. Puer trimus *tuſſi*, *febricula* & *ſpirandi difficultate*, cum inſolito ſopore laborabat. Tandem accedentibus animi deliquiis repente obiit.

Pulmones flaccidi aquæ innatabant. Siniſtra cordis auricula variis ulceribus erat exeſa. TULPIUS.

OBS. 528. In cadavere cujuſdam *phthiſici*, præter ſolitam & vulgatiſſimam pulmonum defœdationem, occurrit cordis ſuperficies exulcerata, cum ſtagnante colluvie ſanioſa in pericardio, nonnihil læſo. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 529. Quidam crebro *cordis dolore*, ſequente *ſyncope*, corripiebatur. Tandem accedente *febre acuta* e medio tollitur.

Cadavere aperto, in apricum veniebat ulcus in corde; alias concretionibus polypoſis ſcatente. MALPIGHIUS.

OBS. 530. In cadavere cujuſdam *hydropici* pericardium continebat tres libras liquoris acris & turbidi. Cor vero profunde erat exeſum, adeo ut ipſius ſubſtantia in lacinias, vel villos putreſcentes, abierit. PEYERUS.

OBS. 531. Introſpecto corpore *pleuritici*, præter pulmonum & plevræ purulentiam, deprehendebatur haud ſine magno ſtupore, cor totum albidum & tomentoſum, inſtar ſcilicet pellis. PANAROLUS.

COR. OBS. 532. In cadavere cujuſdam, qui dum viveret, jampridem *animi deliquiis* obnoxius erat, deprehenſum fuit cor ulcere exedente profundo, circa auriculam dextram, affectum. MECKEREN.

OBS. 533. Mulier enormi *ſcabie* affligebatur, cum *palpitatione* cordis crebro recurrente. Tandem *hydropica* obiit.

Omnia viſcera ſana apparebant; ſed ulcuſculum repertum fuit in ipſa cordis ſubſtantia. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 534. In cadavere cujuſdam juvenis *ſcorbutici*, ſubito præter expectationem extincti, occurrit pericardium pene abſumptum, cum tota cordis ſuperficie exulcerata. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 535. Corpus cujuſdam *diuturno morbo* extincti, exhibebat humorem acrem in pericardio, e quo latice tum pericardium, tum membrana cordis, erant eroſa & excoriata. SYLVIUS.

OBS. 536. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam juvenis, qui pila palmaria ludens; *e veſtigio exanimis* corruerat, reperitur cor ſiccum, nigricans & ulceratum. GUIBERTUS.

OBS. 537. Secto puero *affectu quodam chronico* ſublato, in conſpectum veniebant, pericardium materia purulenta turgens; & ulcus ſordidum in baſi cordis. CHESELDEN.

OBS. 538. In cadavere cujuſdam *ſyncope* rapti, inventa eſt pluſquam media pars cordis ſanioſa, & putredine abſumpta. CORNAX.

Hanc claſſem ſubeunt obſervationes Libr. II. 146, 406, 627, 848, 850. Libr. IV. 72. Inſuper, vide *Cordis purulentia. Pericardium purulentum.*

ARTICULUS XI.

Cor gangrænoſum.

OBS. 539. Quamdam virginem viginti annorum corripit in utroque inguine *bubo peſtilentialis*. Nullo alio ſuccedente gravi ſymptomate, ſubito extinguitur.

Luſtrato cadavere, inveniebatur cor maculis purpuro-lividis obſitum, mole majus, ſanguine atro & craſſiori ſcatens. Hepar maximum deprehenditur; & cyſtis fellea maximam bilis atro-viridis copiam continebat. DEIDIER.

OBS. 540. Mulier triginta annorum, temperamento ſanguineo, *febre peſtilentiali* prehenditur. Erumpit bubo ſub axilla ſiniſtra: ingruit ſopor lethargicus, qui brevi ultimum fatum accerſit.

Cor ſtupendæ molis ſanguine atro & congrumato turgebat, auricula ſiniſtra gangrænæ notas præ ſe ferebat. Hepar maculis purpureis erat diſtinctum, & veſicula fellea bile atro-viridi turgebat. DEIDIER.

Haud abſimilem caſum exhibet obſervatio Lib. I. 1618.

ARTICULUS XII. Cor.

Cor putridum.

OBS. 541. In cadavere cujuſdam *derepente mortui*, qui quatriduo ante obitum, chartis ludens, ſanus videbatur; occurrit cor ita corruptum, ut ejus ſubſtantia butyri inſtar mollis fuerit; digitique in apprehenſione facile penetraverint; pericardio penitus abſumpto. ROB. FLUD.

OBS. 542. Sexagenarius de *dolore* vehementiſſimo in *regione lumborum* per tres menſes querebatur, ſine palpitatione, cum ſubito rapitur.

Siniſtrum pectoris cavum ſanguine erat repletum a dilaceratione ventriculi cordis dextri, cujus fibræ molliores videbantur. Prima lumborum vertebra erat carie læſa. E DIARIO MEDICO.

OBS. 543. Inter ſectionem cujuſdam fœminæ diuturno, moleſtiſſimoque morbo extinctæ, deprehendebatur ſuperficies cordis gangræna tacta, & quibuſdam locis mere putrida; ut levi attactu ſolveretur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

De hac cordis læſione mentio etiam ſubjicitur in obſervatione Lib. II. 678.

ARTICULUS XIII.

Cordis tumores.

OBS. 544. Quidam de quadam *pulſatione* in parte antica & læva *pectoris* querebatur, quam per triennium validiorem excipit *tumor*; qui ſpatio duorum annorum, trium tranſverſorum digitorum altitudinem aſſequitur, octo pollices latus. Urgent vigiliæ, ſævit *tuſſis* cum *ſpirandi difficultate* & *ſputo cruento*. Tandem macie confectus inter vomitum ſanguinis extinguitur.

Aperto pectore, occurrit corpus ingens, binos pugnos ſuperans, ſuperficie inæquali, ſquamoſa & friabili; quod pro corde deformi, putrido & ulceroſo, ſanguinem concretum recondente, innoteſcit. SOUMAIN.

OBS. 545. Puella quinquennis incidit in *febrem lentam*, cum proclivitate ab *tabem*. Pulſus erat inæqualis, & intermittens, cum *tuſſi* moleſta. Progrediente morbo vires deficiunt, *pectus gravatur*, & pulſus fit celerior. Tandem toto *corpore emphyſematico*, obiit.

Cerebri ventriculi aquæ copiam continebant. Pancreas erat abſumptum. Meſenterium totum ſcirrhoſum. Pulmones tuberculis ſcatebant, & plevræ hærebant. Poſtremo protuberabat tumor ſcirrhoſus, nucis juglandis magnitudine in baſi cordis prope arteriam pulmonarem. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 546. Quidam miles *hydrope pectoris* laborans, valde conquerebatur de *dolore* graviſſimo in *regione hepatis*, adeo ut, nec erectus ſtare, nec ambulare; ſed uſque ad finem vitæ in lecto incurvus ſedere cogeretur.

Præter acquæ copiam in thorace invenitur cor parvum & exſiccatum; ac innumeris tuberculis in ſuperficie obſitum, pericardio aqua plane deſtituto. Hepar inſuper tres abſceſſus recondebat, quorum maximus ovi anſerini magnitudinem ſuperabat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 547. Mulier poſt diuturnos & acerbos *pectoris*, ac præſertim *cordis dolores*, viriumque evolutionem obiit.

Aperto corpore deprehenditur pericar-

COR. dium humore deſtitutum. Cordis ſinui dextro extenuato hærebat tumor ſcirrhoſus duriſſimus, ovi gallinacei majoris molem exæquans, qui diſſectus exhibuit in ſui cavitate humorem putridum. Pulmones erant putres, & coſtis affixi; atque jecur ſcirrhoſum. LAMONT.

OBS. 548. In cadavere pueri novennis *peſte* intra triduum ſublati, reperitur epiploon inflammatum. Paſſim occurrunt anthraces in inteſtinis. Meſenterium ſcirrhoſum varias gangrænæ notas exhibebat. Cyſtis fellea ſubcærulea, & maculis gangrænoſis defœdata, bilem nigram & viſcidam continebat, quæ etiam redundabat in ventriculo, maculis atro-purpureis ſignato. Lien ſubcæruleus mole major conſpicitur. Renes habebant puſtulas gangrænoſas; ſimilibus puſtulis defœdabatur cor. COUZIER.

OBS. 549. Quidam in ætate conſiſtente, *animi deliquio* aſſidue vexabatur. *Flatulentiæ* obnoxius *orthopnœæ* nonnunquam laborabat. Tandem ingraveſcente malo, derepente occubuit.

Pericardio diſſecto, inter magnæ arteriæ ramum, & venæ arterialis radicem, reperta eſt carnea excreſcentia dura & concreta, ac colore nigerrimo, quæ binas fere uncias ponderabat. ZACUTUS.

OBS. 550. In cadavere cujuſdam qui *poſt hydrargyroſim*, *febre* & *ſpirandi difficultate* extinguitur, occurrit in baſi cordis excreſcentia quædam mole, ovo columbino par, plurimis aliis minoribus circumdata; quorum omnium ſuperficies æqualis & lævis erat: continebant materiam fæci vini non abſimilem. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 551. Quædam mulier *cordis dolore* interdum vexabatur, quo demum ingraveſcente, crebro recurrente ſyncope extinguitur.

In apricum venit fruſtulum nigrioris carnis in baſi cordis, ſupra aortam, quod meſpili formam habebat. BENIVENIUS.

OBS. 552. In cadavere cujuſdam, *morte ſubitanea* ſublati, invenitur corpus carnoſum & membranaceum cordi ſuperpoſitum, mole & figura, aliud cor referens; circa quod venæ erant varicoſæ, quibus diſruptis ſanguis effuſus erat in pericardium. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 553. Inter ſectionem cujuſdam melancholici, *inflammatione hepatis* extincti, præter inflammationis notas in abdomine, deprehendebatur in thorace quoddam cyſticum, atro ſanguine turgidum, & dextro ſinui adnatum. BONETUS.

OBS. 554. In cadavere cujuſdam diu *cordis palpitatione* conflictati, occurrebat corpus carneum, membranaceum cavum, auriculis cordis annexum, & unitum parte ſuperiore. BONETUS.

OBS. 555. Luſtratis cadaveribus variorum *cordis palpitationibus* dum viverent obnoxiorum, in conſpectum veniebant hydatides, cordis ambitum obſidentes. ROLFINKIUS.

Pro affinibus haberi debent obſervationes Libr. I. 856, 1134. Libr. II. 110, 644. Lib. IV. 118.

A R T I C U L U S   X I V.

Oſſa & cartilagines in corde.

OBS. 556. Quidam macilentus viginti annorum jampridem *cordis palpitationem* patiebatur, quæ adeo violenta fuit ut coſtæ extra locum protruderentur; imo *tumor* a vehementi palpitatione *in ſiniſtro pectoris latere* manifeſte videbatur. Ad quemvis motum *anhelus* fiebat, & cum animi deliquio palpitatio augebatur. Tandem poſt crebras lypothymias, & inter vehementiorem paroxyſmum obiit.

Cor-

Cor magnum & magis carnoſum invenitur. Vaſa pulmonaria coagulato cruore diſtendebantur. Vena autem ſiniſtrum cordis ventriculum ingreſſura, cartalaginoſa ſubſtantia interius fere claudebatur; adeo ut aciculum craſſum vix admitteret. MANGET.

OBS. 557. Septuagenarius per totum vitæ curriculum *cordis palpitationibus* laboravit, & *ſpirandi difficultatem*, cum pulſu debili, ſæpius accedentibus cibi faſtidio & nauſeis. Proceſſu temporis ingraveſcens morbus, tandem vitæ imponit finem.

Pulmones utrimque mediaſtino arcte hærebant. Pericardium etiam firmiter cordi accretum reperitur. Baſis cordis variis prominentiis oſſeis erat exaſperata. Septum & apex cordis, duritiem etiam oſſeam contraxerant; corpus ſcilicet oſſeum, ultra quatuor pollices longum intra fibras carneas recondebant. E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 558. In cadavere cujuſdam *hydropici* quadragenarii, qui nuſquam de cordis palpitatione, aliove cordis morbo conqueſtus fuerat, reperiebatur baſis cordis ſemi-oſſea; recondens ſcilicet os quoddam annulare & ſuperficie inæquali, intra propriam ſubſtantiam; quod ratione ſitus non impediebat quominus cordis motus libere exercerentur. E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 559. Inter ſectionem cujuſdam ſeptuagenarii, qui *nullam cordis affectionem* paſſus fuerat, inventum fuit in ipſa cordis ſubſtantia, os quatuor pollices longum, & ultra pollicem latum, inter ventriculos oblique ſitum, e quo fibræ carneæ prodire, vel huic implantari, videbantur. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

Cor.

OBS. 560. In cadavere cujuſdam, qui, dum viveret, *crebros cordis palpitationis inſultus* patiebatur; & demum quotidiano vomitu, virium languore, aliiſque ſymptomatibus extinctus erat, deprehenditur aortæ truncus ſub egreſſu e corde plane oſſeus, vel potius ſaxeus; ejuſque oſtium rimæ inſtar anguſtatum. VVILLIS.

OBS. 561. Luſtratis interaneis cujuſdam adoleſcentis *aſcite* extincti, præter vulgatiſſima hepatis, lienis & renum vitia, reperitur in medio cordis diſſecto os tribus articulis conſtans, cavum, & arenoſa quadam materia repletum. PLATERUS.

OBS. 562. Quidam *ſpirandi difficultate* tenebatur, cum *dolore* circa regionem *cordis*; inter cujus exacerbationem ſudore diffluebat; accedentibus animi deliquiis, tandem e medio tollitur.

Membrana & carnea pars, quæ ſiniſtram cordis regionem tegit, oſſeam duritiem exhibebat. THUANUS.

OBS. 563. Vir conſiſtentis ætatis per multos annos *cordis palpitatione* laborabat. Sex vero ante obitum menſibus pulſus erat quaſi oblitteratus.

Repertum fuit callum ad oſſeam duritiem accedens, in arteria magna, loco cordi proximo. BENIVENIUS.

OBS. 564. In cadavere cujuſdam monachi, *cordis palpitationi*, dum viveret, obnoxii, deprehendebantur arteriæ cordis coronariæ mere oſſeæ. SENACUS.

Circa hanc læſionem, vide obſervationem Lib. II. 705.

ARTICULUS XV.

Cordis lithiaſis.

OBS. 565. *Cachectica* hæmorrhagiæ obnoxia, in *febremननbilioſam* continuam incidit, vigiliis, cephalalgia, ventris intumeſcentia & frequenti *cardialgia* ſtipatam, cum pulſu intermittente. Ingruunt *convulſiones*, cum alvi fluxu ſymptomatico.

COR. co. Tandem ſuccedit *hydrops abdominis* lethalis.

Reperitur abdomen ichore fœtido plenum, omentum putrefactum, hepar ſcirrhoſum, non ſecus ac lien. Occurrit cor duplo majus, cum humore putrido in pericardio. Sed quod notatu dignum, circa valvulas dextri ventriculi, calculus ex tartaro concretus, inſtar minoris nucis caſtaneæ, membranoſæ valvularum ſubſtantiæ adnatus, conſpicitur. HORSTIUS.

OBS. 566. Puer duodecim annorum, poſt febrem acutam valetudinarius vixit per ſexennium. Poſtea cœpit bene valere: ſed ob crebras compotationes incidit in *cordis anxietates* & *lypothymias*. Dein ingruunt *cordis palpitationes*, cum debilitate, & frequenti vomitu. Palpitatio ita ingraveſcit ut ab adſtantibus audiri poſſet; præcipue inter animi commotiones. Tandem e medio tollitur.

Cor communem magnitudinem quater excedebat; & ſubſtantia erat ſolidior. In villis ſepti intermedii tres reperiebantur calculi arenacei, & piſi magnitudinem æquantes. HEURNIUS.

OBS. 567. Inſtituta ſectione cadaveris cujuſdam variis & *diuturnis morbis* extincti, reperiebantur inter dextrum & ſiniſtrum ventriculum duo lapides, quorum alter amygdalæ magnitudinem aſſequebatur; alter duos digitos longus & unum latus. Inſuper erat in orificio dextri ventriculi materia carnoſa & pinguis. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 568. Puella undecim annos nata, de *anxietate & anguſtia cordis* querebatur: quibus pergentibus, tandem inter dolores ſæviſſimos fatis ceſſit.

Reperitur lapillus in corde, ponderis quatuordecim granorum; colore autem, & reliquo habitu referens eum, quem ex India apportant, & bezoarticum dicunt. KERKRINGIUS.

OBS. 569. In cadavere cujuſdam atrociſſimo, & *incognito morbo*, denati, repertus fuit in ſubſtantia cordis lapis, nucis moſchatæ inſtar duriſſimus, ſubnigricans & rotundus, pondo aliquot drachmarum. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 570. Introſpecto corpore cujuſdam, qui dum viveret *cordis palpitatione* frequenter corripiebatur, reperti ſunt in corde tres lapilli, ciceris magnitudine, colore cineritio, oblongi & ponderis unius drachmæ. ZACUTUS.

OBS. 571. Inſtituta cadaveris ſectione cujuſdam vetulæ *hydrope* ſublatæ, conſpiciebantur valvulæ aortæ lapideam duritiem referentes. CHESELDEN.

Similem ferme caſum exhibet obſervatio Lib. I. 644.

ARTICULUS XVI.

Vermes in corde.

OBS. 572. Luſtrato cadavere cujuſdam *cordis palpitationibus* & *tremori* obnoxii, ac tandem inter ferociorem paroxyſmum extincti, deprehendebatur vermis albus, præacuto & quaſi carneo roſtello præditus, ipſimet cordi adhæreſcens: qui ſcilicet vivus inventus mirifice ſe contorquebat. HEBENSTREIT.

OBS. 573. Vir quidam conſiſtentis ætatis ad *ſyncopem cardiacam* proclivis, *palpitationem cordis* per intervalla patiebatur; quibus ingraveſcentibus ultimum diem clauſit.

Reſerato pectore in conſpectum veniebat vermis, cordis ventriculo dextro adhæreſcens & mortuus. ZACUTUS.

OBS. 574. Inter exenterationem cujuſdam virginis, quæ diu, multumque de *cordis dolore* & *tremore* conquerebatur, deprehenſi ſunt vermiculi in corde. STOCHERUS.

AR-

ARTICULUS XVII.

Valvulæ cordis oſſeæ vel lapideæ.

OBS. 575. Quidam *aſthmaticus* ſexagenarius, *tuſſi* premebatur, cum difficili decubitu. Pulſus erat tardus & depreſſus; *artubus* inferioribus *œdematoſis*, & urinis fæculentis parce fluentibus. Procedente morbo, *ad coxas & abdomen propagatur œdema*: increbreſcit febris, & magis urget ſpirandi difficultas. Omnibus tandem in pejus ruentibus, excernuntur *ſputa* craſſiora, copioſiora & *cruenta*, donec viribus attritis e vivis deceſſerit.

Pectus & abdomen aqua ſcatebant. Cordis moles ingens deprehendebatur: thalami & auriculæ maxima ſanguinis copia diſtendebantur. Tres valvulæ aortæ, invicem accretæ, craſſiores tuberculis obſitæ, oſſeam ſubſtantiam exhibebant, infra quas varia occurrebant ſegmenta oſſea, ex ipſomet corde prognata. Depreſſæ & immobiles valvulæ cordis, oſtium aortæ fere obturabant. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 575. (*a*) Cohortis præfectus, mœrore & triſtitia confectus, ſumma *ſpirandi difficultate* premebatur; crebro accedentibus *cordis palpitationibus*. Pergente morbo tument artus inferiores, una cum abdomine; totum denique corpus pervadit intumeſcentia œdematoſa. Exacerbatur orthopnæa; & nonniſi erectus ſpiritum ducit, urgente ſuffocationis periculo. Pulſus ſub hac rerum conditione vehemens & frequens obſervatur; ac tandem leucophlegmaticus obiit.

Cor mole portentoſum deprehenditur. Ventriculus præſertim ſiniſter mire diſtendebatur, & ejus valvulæ ſigmoideæ duritiem oſſeam mentiebantur. Aorta etiam ſub egreſſu e corde nonnihil oſſea deprehendebatur. CLAR. SENACUS.

OBS. 575. (*b*) Vir ſex & quadraginta annorum jamdiu, inter aſcenſum, *cordis palpitatione* laborabat. Exacerbato morbo, pulſus fit inordinatus & nonnunquam debiliſſimus, etiam ſæviente ferociori paroxyſmo, inter quem e vita diſceſſit.

Valvulæ ſigmoideæ, præſertim ſiniſtri lateris, quaſi oſſeæ, invicem coaleſcebant relicta duntaxat rima, glottidis inſtar, per quam ſanguis ægre ad arterias appellebat. Hinc minime mirum ſi cordis ventriculi ſtupendam dilatationem patiebantur. CLAR. SENAC.

OBS. 575. (*c*) Fœmina quinquagenaria *orthopnæa* per plures menſes laborabat, omni denegato decubitu, cum ſubitanea morte rapitur.

Sectum cadaver exhibet cor ingens & ſumme dilatatum. Auriculæ præſertim mire diſtentæ libram unam ſanguinis ad minimum continebant; ultra modum etiam tumentibus venis pulmonaribus. Valvula auricularis ſiniſtra craſſiſſima & cartialginoſa occurrebat; cujus ratione ventriculus ejuſdem lateris ægre ſanguinem recipiebat. CLAR. SENAC.

OBS. 575. (*d*) Egregius juvenis viginti annorum, hereditariæ *cordis palpitationi* obnoxius, tandem inter ferociorem inſultum extinguitur.

Corpore diſſectioni tradito, occurrit pericardium cordi accretum ope variorum ſcirrhorum, quorum nonnulli purulenti videbantur. Ventriculi dextri pars inferior ſemi-lapidea, vel tophacea annotabatur. Valvulæ aortæ partim ſabuloſæ, partim oſſeæ reperiebantur. Valvulæ præſertim venæ pulmonaris, calculoſa materia plenæ, paſſim diſſectis fibris crepabant. Neque cor, neque majora vaſa molem ſolitam exceſſerunt. CLAR. HALLER.

OBS. 576. Agricola quadragenarius acerbiſſimis animi perturbationibus affectus, *febre ardente* corripitur cum pulſu inæquali, oculis fixis & intentis. Progrediente morbo inter bibendum ſubito moritur.

Reperiebatur pauca aqua ſubcruenta in thorace, & pericardio. Sanguis in omnibus vaſis & receptaculis erat fluidiſſimus. Valvulæ ſiniſtri cordis ventriculi ſubduræ, & ſemi-oſſeæ, reperiebantur. Cerebrum

COR. brum valde laxum erat: ventriculi aquam ſubcruentam non multum continebant. Plexus choroides variis hydatidibus erat conſpicuus. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 576. (*a*) Mulier ſexagenaria major per biennium laborabat *præcordiorum anguſtia*, *ſpirandi difficultate*, & *cordis palpitatione*. Accedit leucophlegmatia, cum ardore continuo in præcordiis, ſæviente flatulentia. Poſt varias remiſſiones exaſperatur morbus, qui tandem miſellam in orci fauces præcipitem dat.

Nil præter aquæ copiam notatione dignum occurrit in abdomine. Cor vero mire diſtentum & elongatum conſpiciebatur. Valvulæ ſemi-lunares ad exortum aortæ poſitæ perfecte oſſeæ & immobiles fere erant. CLAR. BAADERUS.

OBS. 577. De *aſthmate*, & dyſpnæa jamdudum querebatur mercator quidam, cui pulſus tandem adeo parvus evaſit, ut nemo adſtantium illum ſentire valuerit per aliquot dies: ſic incidens in continuas *lypothymias* incaſſum variis adhibitis remediis, diem ſuum obiit.

Reſeratum pectus exhibet ſtagnantis laticis aquoſi copiam. Secto corde, Valvulæ ſemi-lunares occurrunt deformes, in oſſeam ſubſtantiam degeneratæ; & ita coalitæ, ut nulla ferme via ſanguini appellenti ſupereſſet. RUYSCHIUS.

OBS. 578. Virgo quædam *hydropica*, *ſpirandi difficultate* corripitur, ac ſubita præfocatione extinguitur.

Cor tantæ molis erat, ut ſtateræ appenſum tres libras civiles ponderaret. Dexter ejus ventriculus, cum auricula turgidus, copioſo ſanguine, & concretionibus polypoſis ſcatebat. Siniſter prope modum inanis exhibebat valvulas mitrales oſſeas, & venam pulmonarem obſtruentes; adeo ut ſanguinis tranſitus e pulmonibus ad cor plane prohiberetur. PEIERUS.

OBS. 579. Mulier quinquagenaria ab octo circiter menſibus *ſpirandi difficultate* premebatur, quovis denegato decubitu. Tandem adveniente truculentiori inſultu, ſubito extinguitur.

Ingens erat cordis, & præſertim auricularum, moles: maximam ſcilicet ſanguinis quantitatem continebant hæc receptacula; non ſecus ac venæ pulmonares ad crepaturam turgidæ. Valvula auricularis dextra craſſiſſima & oſſeo cartilaginea, ſanguinis ad cor appellenti obicem præbebat. E NOSTR. ADVERSARIIS.

OBS. 580. Vir triginta annorum quotidie de *tuſſi*, cum *anhelatione* & *pectoris gravitate* circa hepatis regionem querebatur; ac motu celeri in *cordis palpitationem* incidebat. Aliquot tandem diebus ante obitum crebras *leipothymias* patiebatur.

Cavitas pectoris aqua repleta erat. Occurrebat cor duplo majus quam ſolet. Arteria magna una cum valvulis circa cor, oſſeam ſeu potius petroſam duritiem acquiſiverat, & tam arcte occluſa ut vix craſſiuſculæ aciculæ glandem admitteret. Hepar inſuper plane ſcirrhoſum fuit. MANGETUS.

OBS. 580. (*a*) Quidam hypochondriacus *cordis palpitatione*, pulſu inæquali & intermittente, nec-non *aſthmate* & *vertigine* vexabatur; præſertim e vehementi corporis motu & gravioribus animi pathematibus. Sub qua rerum conditione, vel deteriori, migravit ad ſuperos.

Cadaver exenterationi traditum oſtendit valvulas aortæ oſſeas, vel cartilagineas; hinc anguſtior aortæ aditus. Vena cava & ventriculus dexter, minime vero ſiniſter, miram dilatationem exhibebant. VIEUSSENS.

OBS. 581. Quinquagenarius, alias ſanus & robuſtus, *cordis palpitatione* per triennium laborabat, quoties motu quodam violento ſe exercebat; quam ſequebatur lypothymia cum ſudore frigido; cujus reditu graviori ſubito e medio tollitur.

Reſerato pectore, cor occurrit maximum. Valvulæ vero aortæ, variis tuberculis exaſperatæ, craſſiſſimæ & ſemi-oſſeæ viam qua ſanguis a corde ad arteriam appellit ferme præcludebant. E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 582. Vir quinquageſimum quintum ætatis annum agens, atris curis ſollicitus, jamdudum ad *cordis palpitationes* pronus; tandem morte inexpectata rapitur.

Luſtrato cadavere cor ingens deprehenditur, & ſanguine quaſi obrutum; ultra modum

modum etiam turgentibus auriculis. Valvulæ arteriales craſſiores & cartilagineæ, tranſverſim ſitæ, tuberculis lapideis exaſperatæ deprehenduntur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 583. Muliercula quinquagenaria, quæ per ſex menſes pro *aſthmatica* habebatur; difficili admodum decubitu tandem ſuffocata interiit.

Reperiebantur auriculæ cordis a cruore mirum in modum diſtentæ. Valvula auricularis ſiniſtra, craſſiſſima; & cartilagineo-oſſea, anguſtiorem aditum ſanguini e pulmonibus reduci præbebat. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 584. Quidam ætatis conſiſtentis, jampridem *ſumma ſpirandi difficultate* premebatur, cum crebrioribus animi deliquiis. Pulſus erat debilis & nonnunquam quaſi oblitteratus. Tandem moritur.

Valvulæ ſemi-lunares cordis ſiniſtræ, craſſiſſimæ & tuberculoſæ, oſſeam vel lapideam duritiem contraxerant; relicto parvo foramine, quo cruor ad aortam ægre appellebat. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 585. Vir quinquaginta annorum, a tribus annis *cordis palpitatione* conflictabatur, quæ a nimia corporis exercitatione exacerbabatur.

Poſt obitum inveniebantur in aorta ſupra valvulas ſemi-lunares, tria corpuſcula, membranis tecta, invicem unita, quibus præcludebatur ſanguinis exitus. Quid oſſeum etiam occurrit in principio aortæ. MANGET.

OBS. 586. In cadavere ſeptuagenarii, *cordis palpitationi* obnoxii, & *hydrope* extincti; conſpiciuntur pancreas & meſenterium ſcirrhoſa. Veſicula fellis, ſumme diſtenta calculum fovebat. Occurrit in latere dextro pectoris latex ſordidus ad libras ſex. Stupenda erat cordis moles; valvulæ vero aortæ ſumme duræ & cartilagineæ deprehendebantur. EX ACT. PHYS. MED. GERMANIÆ.

OBS. 587. In cadavere cujuſdam *anaſarca* extincti, & cujus cervicis venæ, dum viveret, pulſationem quamdam mentiebantur; valvulæ auriculares cordis ſiniſtri duriſſimæ & quaſi oſſeæ videbantur; adeo ut oſtium proximioris thalami ita erat anguſtatum, ut vix minimum digitum admitteret. Cor inſuper erat mole maximum. MONRO.

OBS. 588. Virgo quindecim annorum, jam pridem *chloroſi* affecta, crebras *cordis palpitationes* patiebatur. Tandem inter graviorem paroxyſmum ſyncope extinguitur.

Cor ingens occurrit. Thalami & auriculæ majorem ſanguinis grumoſi copiam continebant. Valvulæ aortæ craſſiſſimæ, lapideſcentes, & a nativa forma degeneres annotantur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 589. In cadavere cujuſdam *cordis palpitationibus* obnoxii, & *morte ſubitanea* rapti, præter concretiones polypoſas ampliſſimas, animadvertitur in ſiniſtro cordis ventriculo, altera valvula auricularis in ſaccum pollicis capacem dilatata, & paſſim oſſea. Valvulæ arteriales ejuſdem lateris oſſium etiam ſoliditatem & duritiem mentiebantur. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 590. Vir quinquagenario major, obeſus & ſanguineus, poſt jentaculum *de repente concidit* & expiravit.

Sectioni tradito cadavere, reperiebantur valvulæ ſemi-lunares aortæ, mere oſſeæ; adeo ut vix cultro aliquid abſcindi potuerit. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 591. Fœmina quadragenaria de *cordis palpitatione*, anguſtia & *anxietate*, cum maxima *ſpirandi difficultate* querebatur; quibus tandem ingraveſcentibus mortua eſt.

Non multa aqua ſtagnabat in pectore, & abdomine. Valvulæ vero aortæ ad duritiem oſſeam accedebant. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 592. In cadavere pauperculæ *lypothymiæ* obnoxiæ, & inter graviorem paroxyſmum extinctæ, inveniebantur valvulæ cordis arterioſæ & auriculares, duriores, craſſiores & tuberculis aſperæ. Majores arteriæ æquo ampliores videbantur. CLAR. MORGAGNUS.

COR.

COR. OBS. 593. Luſtrato cadavere cujuſdam *hydrope pectoris* extincti, præter aquæ ſtagnantis copiam in propatulum veniebat ventriculus cordis ſiniſter, mirum in modum dilatatus, cum valvulis auricularibus depreſſis, craſſioribus, denſiſſimis & quaſi oſſeis. CLAR. SENACUS.

OBS. 594. Inter ſectionem viri quinquaginta annorum poſt crapulam *inopinata morte* rapti deprehendebantur valvulæ aortæ duriſſimæ, & quaſi oſſeæ. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 595. In cadavere cujuſdam viri ſexaginta annorum, *febre continua* ſublati, in apricum veniebant valvulæ cordis duriores & cartilagineæ. HARTMANNUS.

In hoc cenſu collocari debent obſervationes Libr. II. 107, 155, 603. Libr. III. 249, 548.

ARTICULUS XVIII.

Valvulæ invicem annexæ.

OBS. 596. Quidam jamdiu *cordis palpitationi* obnoxius, *ſpirandi difficultate* ſæpius premebatur. Tandem accedente quadam febre putrida e medio tollitur.

Exenterationi traditum corpus exhibebat ventriculum ſiniſtrum, cum appenſa auricula, ſtupenda ſanguinis copia diſtentum. Valvulæ aortæ invicem annexæ animadvertebantur, craſſiores & variis tuberculis lapideis exaſperatæ. Rima tandem exigua, glottidis inſtar, ad egreſſum ſanguinis conſpiciebatur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 596. (*a*) Vir ſexagenario major *hydrope pectoris* cum tumore ſupra claviculam ſiniſtram laborans e vivis diſceſſit.

Sero rubente turgebat thorax; cor ſtupenda erat magnitudine, deforme, & pericardio adnatum; valvulæ quibus cor auriculis proſpicit oſſeam naturam, cordis ſeptum cartilagineam redolebant; aorta maxime diſtenta ex arcus ſummitate pendulum ſanguine concreto turgentem gerebat, & arteria pulmonaris anguſtiſſima explorabatur. PORTAL.

OBS. 597. Virgo quindecim annorum *chloroſi* laborans, jampridem *cordis palpitationibus* vehementioribus, & crebro recurrentibus vexabatur. Tandem inſultus ferocior ſyncopem lethalem acceſſit.

Ingens erat cordis moles; ventriculis & auriculis copioſo, atro & grumoſo ſanguine turgentibus. Valvulæ aortæ craſſiſſimæ & arenulis refertæ, invicem coaleſcebant; relicta exigua rimula, qua ſanguis ad aortam ægre appellebat, haud ſine maximo cordis niſu. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 598. In cadavere virginis ſexdecim annorum, quæ ſemper fere a nativitate ægrotans, *difficili reſpiratione* laborabat, reperitur auricula cordis dextra duplo grandior, quam ſiniſtra. Patebat foramen ovale inter auriculas ſitum; ita ut minimum digitum admitteret. Valvulæ arteriæ pulmonaris cartilagineæ & nonnihil oſſeæ, ſic inter ſe erant colligatæ, ut vix exiguum foramen, lenta non majus, relinquerent. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 599. In cadavere cujuſdam *hydropicæ ſubitanea* & inexpectata *morte* extinctæ, reperiebatur in principio aortæ ulcuſculum, cum agglutinata valvula ſemilunari proximiore; quæ hinc ſuis muniis obeundis impar plane fuerat. EX ACT. PARISIENS.

A R-

ARTICULUS XIX.

COR.

Valvulæ abſumptæ.

OBS. 600. Inſtituta cadaveris ſectione cujuſdam juvenis *phthiſici*, qui per aliquot annos continuam fere *cordis palpitationem* paſſus fuerat, in conſpectum veniunt pulmones ulceribus paſſim exeſi & purulentia defœdati; plevræ, mediaſtino & diaphragmati arcte adhæreſcentes. Cor vero ſtupendæ magnitudinis annotabatur, atque atro ſanguine ultra modum turgens. Media valvula ſemi lunaris ventriculi ſiniſtri, vel aortæ plane conſumpta, & deperdita animadvertebatur. GREISELIUS.

ARTICULUS XX.

Auricularum inſolita dilatatio.

OBS. 601. Quidam a novem menſibus de quadam *pulſatione in parte dextra*, & *antica pectoris* querulus, incidit in *peripneumoniam*, febre acutiſſima, dolore pectoris, ſpirandi difficultate, tuſſi & ſputo cruento ſtipatam; e qua evaſit; remanente veteri pulſatione, ſed vehementiori; quæ ſcilicet viſu & auditu percipiebatur cum *ſpirandi difficultate* & *raucedine*. Tum coſtæ mediæ prope ſternum prominent; dein franguntur prorumpente *tumore* ad pugni magnitudinem. Circa ſextum a peripneumonia menſem accedit *ſputum cruentum* copioſiſſimum, quod hæmorrhagiæ inſtar, brevi miſellum ægrum ad libitinæ rationem ducit.

Reperiuntur nonnullæ coſtæ lateris dextri, quarta nempe, quinta & ſexta, variis in locis fractæ, & carie læſæ. Occurrit tumor ingens qui præcipuam pectoris dextri partem replebat; qui nil aliud erat quam enormis auriculæ cordis dextræ dilatatio. (Similem ferme caſum narrat *Dionis*.) E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 602. Juvenis melancholicus terribili *hæmophtoe*, qua ſcilicet libras ſanguinis aliquot ſæpius rejiciebat, corripiebatur. Tandem macilentus, accedente *tuſſi* violenta, cum *febre*, ultimum diem clauſit.

Reſerato pectore, conſpicitur dextra cordis auricula ingentis molis, & inſolitæ figuræ. Arteria pulmonaris copioſo ſanguine turgebat; quaſi anevryſmate affecta, ſacculos cruore repletos, appenſos habebat. Uterque cordis ventriculus ſanguine retorrido ultra modum diſtendebatur. Pulmones materia quadam argilacea & copioſiſſima obſiti erant; ac dorſo coſtis & ſterno firmiter annectebantur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 603. In cadavere aniculæ, quæ jam pridem *orthopnæa* laborabat, in conſpectum venit ſtupenda auricularum dilatatio; adeo ut ſanguinis libram unam, & amplius continerent. Valvula auricularis ſiniſtra a conſueta forma degener, tranſverſim ſita, craſſiſſima, & duriſſima deprehenditur; relicto anguſtiſſimo oſtio, ſanguinem e pulmonibus reducem ægre admittente. Auricula dextra, etſi in immenſum dilatata, nil vitii præ ſe ferebat. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 604. Quidam *palpitationi cordis* obnoxius; tandem ea diu noctuque cum gravi *dyſpnæa*, continuo affligitur. Intra paucos menſes, viribus attritis, obiit.

Luſtrato cadavere, ſinus cordis dexter ſanguine concreto tumidus apparuit. Ejus auricula in immenſum aucta & extenſa, cruoris grumoſi ingentem copiam continebat. Pulmones erant ſumme obſtructi, cruore atro, extravaſato, & ubique ſtagnante, infarcti. VVILLIS.

COR. OBS. 605. In cadavere virginis *cachecti-ca*, quæ diu *febre lenta* detinebatur, reperitur hepar albicans & notabilis magnitudinis. Cætera viſcera ſero immerſa, flaccida, & ad corruptelam diſpoſita annotantur. In thorace maxima etiam reperta eſt colluviei ſeroſa copia, cum pulmonibus lividis. Dextra vero cordis auricula mirum in modum dilatata, & varicoſa deprehendebatur. FANTONUS.

OBS. 605. (*a*) Strumoſa puella quindecim annorum circiter nata, macie & tandem febre lenta conſumpta obiit. Cultro anatomico ſubjectum cadaver, exhibet glandulas meſenterii induratas; pancreas ſcirrhoſum; pulmones erant præduri & præſertim glandulæ bronchiales, cor portentoſum ſanguine concreto infarctum annotabatur. PORTAL.

OBS. 606. In cadavere cujuſdam fœminæ, triginta annos numerantis, & *phthiſi* denatæ, reperiebantur valvulæ auriculares ſiniſtri cordis invicem agglutinatæ & quaſi ferruminatæ; hinc aditus ſanguinis ad cor erat difficillimus; & ideo auricula ſiniſtra ultra modum dilatata maximam ſanguinis copiam continebat. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

Pro affinibus haberi debent obſervationes Libr. II. 56, 348, 618, 635.

ARTICULUS XXI.

Cor ſaucium.

OBS. 607. Captivus quidam *ſe ipſum vulnerat cultro proprio*, ſub maxilla ſiniſtra, ultra manubrium uſque adacto. Per octiduum vixit, abſque gravioribus ſymptomatibus.

Secto cadavere, in conſpectum veniebat vulnus, per lobum pulmonum, in capſulam cordis, ipſiuſque cordis ſubſtantiam penetrans. HORSTIUS.

OBS. 608. Juvenis quatuor & viginti annorum *gladio percuſſus* duobus tranſverſis digitis infra mammam dextram; ſub finem quinti diei interiit.

Cultro anatomico ſubjectum cadaver, exhibebat pericardium læſum. Gladii mucro dextri cordis ventriculi fundum attigerat. BONETUS.

OBS. 609. In cadavere militis qui *in corde ſaucius* vitam ultra quindecim dies ſuſtentavit; præter colluviem purulentam in dextra pectoris cavitate; deprehenditur vulnus penetrans uſque in ſinum dextrum cordis; tota fere hac parte contabeſcente. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

ARTICULUS XXII.

Cor extra ſitum.

OBS. 610. Quidam puer graviſſima *pectoris inflammatione* laborabat; inter remiſſionem quæ fauſtum exitum pollicebatur, perſentitur *pulſatio in latere pectoris dextro*, quam pro arteriæ cujuſdam intercoſtalis dilatatione habebant medici, haud inferioris ſubſellii; hancque, omni ſane quidem metu depoſito, periculo vacare declararunt; cum ſubitanea & inexpectata morte rapitur æger.

Corpore diſſectioni tradito; in conſpectum veniebat in latere pectoris ſiniſtro ingens

ingens & ſtupendus abſceſſus; quo repulſum cor micabat in latere dextro. CLAR. SENACUS.

Proſtant affines caſus in obſervationibus Libr. I. 112, 208, 216. COR.

ARTICULUS XXIII.

Cor falſo incuſatum.

OBS. 611. Luſtrato cadavere cujuſdam fœminæ juvenculæ, quæ multis abhinc annis, *vehementi cordis palpitatione*, *anhelitu*, *anxietate* præcordiorum, tuſſique frequenti, fruſtra variis adhibitis præſidiis, conflictabatur; vitalia viſcera ſanitatem illibatam adeo referebant, ut nihil illibatius, ſi excipias geminam, ſed læviſſimam, pulmonis adhæſionem ad plevram. Deprehendebantur inſuper tres lumbrici in inteſtino illeo. CLAR. HAEN.

De Corde flaccido. *Vide* obſervationem Libr. I. 1394.

De Cordis ſcabritie. *Vide* obſerv. Libr. II. 130.

De Cordis exfoliatione. *Vide* obſervat. Libr. II. 256.

SECTIO TERTIA.

DE PERICARDIO

ARTICULUS I.

Hydrops pericardii.

OBSERVATIO 612. Adoleſcens octodecim annorum *febre maligna* corripitur, e qua poſt quinque hebdomadas evadit. Poſtea quindecim elapſis diebus, ſecunda uti videbatur valetudine; iterum ingruit febris alterius indolis, ephemeræ plurium dierum typum referens; quam excipit inſolita & ſtupenda *virium exolutio*, cujus cauſa omnium adſtantium indagini ſubtrahebatur. Pulſus mirum in modum tardus vix vigeſies intra minutum explorantis digitos feriebat. Poſt tres circiter ſeptimanas, morbo in eodem ſtatu perſiſtente, ſi excipias nonnullas pulſus intermiſſiones, & levem *ſpirandi difficultatem*; plane doloris expers decumbens ſubito, & placide obiit.

Pericardium ultra modum diſtentum libram circiter unam ſeri limpidi continebat. Hinc minime inferendum pulſum tardiſſimum eſſe ſignum hydropis pericardii, uti patet ex ſequenti obſervatione. In juvene viginti circiter annorum poſt febrem catarrhalem, crebra tuſſi & ſputo copioſo ſtipatam, cor & arteriæ haud ultra vigeſies intra minutum micabant: ſed poſt triduum ope alimentorum, & cujuſdam exercitationis duas & quadraginta pulſationes numerantur; quæ tamen in optima ſanitate intra quinquaginta continebantur. E NOSTRIS ADVERSARIIS. PERICARDIUM.

OBS. 612. (*a*) Quidam dyſenteria chronica & *ſpirandi difficultate*, a quinquennio

PERICARDIUM.

nio laborabat; de ſenſu ponderis moleſtiſſimo circa ſcrobiculum cordis querebatur; cum hypochondrio ſiniſtro ſubtumido. Tandem poſt ſeceſſum copioſiſſimum ſanguinis grumoſi interiit.

Abdomen recondebat aquæ ſubflavæ libras ſex. Pancreas ſubdurum deprehendebatur. Plane durus erat appendix vermicularis cæci. Pars ſiniſtra coli dura & ſcirrhoſa conſpiciebatur. Hepar granis ſcirrhoſis ſcatebat. Luſtrato pectore, portentoſum occurrit pericardium continens libras ſex laticis ſubcruenti. Cordis ſuperficies paſſim eroſa & purulenta cernebatur. Pericardium craſſiſſimum ad pollicem in nonnullis locis accedebat, facie interna variis ulcuſculis defœdata. Pulmo dexter gangrænoſus: ſiniſter vero purulentus annotabatur, cum forti adhæſione cum pleura pericardio, & mediaſtino. Ex ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 613. Juvenis ſex & viginti annorum, inter helluones celebris, de *tuſſi ſicca* & *pectoris anguſtia* querebatur. Accedunt vigiliæ cum peculiari palpitatione arteriæ carotidis ſiniſtræ. Pulſus erat durus & inæqualis cum appetitu languido. Urget *ſpirandi difficultas*. *Abdomen tumet*, cum duritie hypochondrii dextri. Tandem macie ſenſim confectus placide migravit ad ſuperos.

Nulla aqua reperitur in cavitate pectoris; ſi excipias ſeri limpidi libras duas, quas pericardium ſumme dilatatum colligebat. Cor erat ingens, cum valvulis craſſioribus & ſemi-oſſeis. Luſtrato abdomine, deprehendebantur omentum putridum, & major hebatis lobus ſcirrhoſus, cum ſtagnante colluvie ſordida & fœtida. EX ACT. PHYS. MED. GERMAN.

OBS. 614. In cadavere fœminæ quadraginta annorum *aſciticæ* ac *dyſpnææ* laborioſiſſima ad mortem uſque divexatæ; præter aquæ triginta menſuras collectas, tum in pectus, tum in abdomen; in conſpectum venit hepar duplo majus, cum duabus fiſſuris ad parenchyma uſque, alte penetrantibus. Veſicula fellea calculis ex ſemi-fuſco nigris ſemi-plena erat. Omentum putrilagine infectum conſpicitur. Pericardium adeo aqua fuit diſtentum, ut cor quaſi ſuffocatum videretur. Aorta demum prope ſuum exortum tantopere fuit ampliata, ut quatuor digitos conjunctos facile admitteret. PLATERUS.

OBS. 615. Vir conſiſtentis ætatis, cannabis carminator, de *dolore & tumore in hypochondrio dextro* querebatur. Pulſus erat minimus, infirmiſſimus, & frequens. Dein *dolore circa ſtomachum* corripitur tam acerbo, ut pulſu & reſpiratione quaſi abolitis, moriturus videretur. Sæpius recurrebant ſimiles paroxyſmi, tumore hypochondrii paulatim evaneſcente. Ecce *dolor* in ipſa *cordis* regione ægrum corripit, cum *ſpirandi difficultate*. Paulo poſt repente mortuus eſt.

Secto cadavere in apricum venit pericardium plurima aqua ſubflava diſtentum. Cor maximum deprehendebatur, & concretiones polypoſas recondebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 616. Virgo defluxionibus capitis obnoxia, *cordis oppreſſione*, ſuccedente *animi deliquio*, corripitur, qua loquela, aliove corporis motu exacerbatur. Medici in contrarias abeunt partes; alii enim cogitant de anevryſmate; alii de polypo; alii de tuberculo pulmonum, &c. Recte erat menſtruata, *reſpiratio* erat *difficilis*: nullus dolor in thorace; nec tuſſis. Interea *cor ſibi gravari*, tanquam ſaxo impoſito ſentiebat. Silens & quieſcens bene ſe habebat. Poſt annum integrum inter haſce anguſtias, tandem obiit.

Inſtituta cadaveris ſectione, deprehendebatur pericardium aquæ uncias novem continens; cum cordis ſuperficie nonnihil eroſa. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 617. Gravida quinque & viginti annorum *tuſſicula* ſicca laborabat a multo jam tempore. Si oblata ſumeret, cum adhuc calerent, *difficili reſpiratione* corripiebatur, ſed fugaci. Alias de ullo thoracis incommodo unquam fuit conqueſta. Ante obitum *dolorem lumborum* patiebatur.

Invenitur fœtus vivens in utero, qui ſacra aqua abluitur. In cavo thoracis dextro erat plurima aqua ſubflava, cum ramentis quaſi membranaceis: ſiniſtrum parciorem ſimilis humoris copiam continebat. Pericardium aqua turgebat; erantque concretiones polypoſæ in utroque ventriculo. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 618. Puella tredecim annorum ſemper valetudinaria, de *laborioſa reſpiratione* queritur, cum *tuſſi*, *ſputo craſſo* & ventris intumeſcentia. Pulſus erat celer, durus & parvus. Sæpius urgebat *pectoris anguſtia*. Tandem famelica & ſiticuloſa inter inſultum graviorem repente obiit.

Præter ſeri flavi in abdomine ſtagnantis copiam; conſpicitur lien nigricans & prædurus. In thorace, majori aquæ copia ſcatente, obſervatur thymus mole major. Pericardium ſeri flavi uncias quinque continebat. Dextra cordis auricula ita erat diſtenta, ut magnitudinem cordis ferme æquaret. Uterque ventriculus polypoſa concretione replebatur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 619. Quidam viginti annorum *febre catarrhali*, cum *tuſſi* moleſta, laborabat; quam excipit *febris lenta*, cum inappetentia, & oris amarore. Ingruit melancholia, quam preſſo pede ſequitur noſtalgia. Interea pulſus exilis frequens, & tremulus brevi poſt ſe trahit ſoporem lethalem.

Vaſa cerebri ſanguine atro turgebant. Præter hydropem lateris dextri, aquæ copiam continebat pericardium. Ventriculi cordis & ſinus cerebri concretiones polypoſas recondebant. Veſicula fellis inanis erat & corrugata. BARRERUS.

OBS. 620. Juvenis viginti quinque annorum a biennio *cordis palpitationi*, & *lypothymiis* erat obnoxius, atque anxietatibus quibus decumbere cogebatur. Tempeſtiva cura miteſcunt ſymptomata, ſeptem menſium ſpatio. Dein omnia quaſi ſubito in deteriora ruunt. Pulſus oblitteratur, & accedit frigus lethale.

Luſtrato cadavere invenitur pericardium multo ſero repletum. Cor erat difforme; ſiniſter enim ventriculus duos pugnos viriles æquabat, & ſanguine concreto ſcatebat. CLAR. STORCK.

OBS. 621. Virgo triginta annos nata vitreæ valetudinis, numeroſiſſimis venæ ſectionibus indulgens, in *febrem intermittentem* incidit, quæ opportunis præſidiis intra quindecim dies fugatur. Dum bene ſe habere videbatur, & maxima affulgebat ſanitatis ſpes, *syncope* lethali percutitur.

Exenterato cadavere, reperiebantur venæ cerebri mero flatu turgidæ. Pericardium aquæ copia diſtentum obſervabatur. Ne minimam ſanguinis copiam recondebant cordis ventriculi & auriculæ. Lien ingens & ſanus occurrit; ventriculo ultra modum contracto. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

PERICARDIUM.

OBS. 622. Vir quinquaginta annorum, hypochondriacus, & *hæmorroidibus* obnoxius, *tuſſi catarrhali* prehenditur, quam ſequitur *aſthma convulſivum*. Dein tumentibus artubus inferioribus urget ſpirandi difficultas cum anxietatibus & vigiliis. Tandem vires deficiunt, mens ægrotat, & accedit mors.

Epiploon occurrit putridum. Inteſtina paſſim ecchymoſibus gangrænoſis erant ſignata. Pancreas & meſenterium ſcirrhoſa ſe præbebant, nullo tamen latice in abdomine ſtagnante. Luſtrato pectore invenitur pericardium multo latice ſeroſo diſtentum: cor erat mole maximum, cum aqua in cavo pectoris. EX ACT. PHYS. MED. GERMAN.

OBS. 622. (*a*) Miles ſexagenarius ſpirante Borea, excubias agens *ſpirandi difficultate* prehenditur; quæ per menſem ſenſim gravior evadit. Dein ingruente alvi profluvio, ſubito e vivis rapitur æger.

Stagnabat ſerum in abdomine; ſed utrumque pectoris cavum hunce laticem majori copia colligebat. Pericardium præſertim ſumme diſtentum ultra libram ſeri flavi continebat. Cor vero multam etiam pinguedinem circa baſim exhibet. CLAR. BAADERUS.

OBS. 623. Puer quindecim annorum *difficillima reſpiratione* conflictabatur, ac ſi pulmones propter infarctum cujuſcumque materiæ non poſſent diſtendi: qua tandem ingraveſcente, ad plures emaciatus æger mittitur.

Aperto cadavere, pulmones paſſim videbantur ſcirrhoſi. Pericardium ſex circiter aquæ cochlearia, limpidæ & ſubſalſæ continebat. Uterque cordis ventriculus polypum recondebat, ſpecie pinguedinis, qui brachia ad vaſa extendebat. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 624. Juvenis duorum & viginti annorum, melancholicus pleuritidem contrahit,

PERICARDIUM.

hit, quam excipit *aſthma grave*, cum purulenta, & ſæpius cruenta, expectoratione, atque *dolore circa lumbos* acerbiſſimo, nephritidem ſemper mentiente. Inter ferociorem paroxyſmum obiit.

Pulmones utrimque coſtis cohærebant; maxime circa vertebrarum corpora, & fere conſumpti annotabantur. Pericardium ultra uncias triginta aquæ limpidiſſimæ continebat. Cor dextrum cum ſua auricula dextra inſignis magnitudinis ſe offerebat, BLASIUS.

OBS. 625. Quidam juvenis poſt *lapſum ab equo* de quadam conſtrictione in cordis regione conqueritur, cum *tuſſi* ſicca & *ſpirandi difficultate*. Inter violentum corporis conatum morbus exacerbatur: tuſſis ſcilicet fit moleſtior: vigiliis pertinaciſſimis vexatur: ſæviunt *cordis palpitationes* ferociores, cum vehementi carotidum pulſatione. Ingraveſcit ſpirandi difficultas, cum ſuffocationis motu. Accedunt tandem *animi deliquia* & mors.

Reſerato pectore, pericardium occurrit mire dilatatum, & aquæ libras duas continens. REIMANNUS.

OBS. 626. Vir quinquagenarius obeſus, poſt exercitium immodicum, in ſummam *ſpirandi difficultatem* incidit; qua fugata, per quindecim annos bene ſe habuit, ſi excipias ſpiritum difficilem corpulentis familiarem. Dein accedit *tuſſis*, *cum ſputo cruento*. Anno elapſo, motui inſolito indulgens, inſultu aſthmatico vehementiſſimo prehenditur; qui dein pluries recurrit, perſiſtente ſputo cruento. Crebiores ſenſim fiunt paroxyſmi, donec ſuffocatus interiit.

Reſerato pectore, reperiebantur pericardium, & mediaſtinum adipis copia referta. Pericardium vero aquæ libram unam continebat. E DIARIO MEDICO.

OBS. 627. Virgo quindecim annos nata, acuta febre, cum diro capitis dolore corripitur. Poſt nonnullam remiſſionem, accedunt circa decimum diem ſitis intenſa, *laborioſa reſpiratio*, & *dolor in ſiniſtra pectoris parte*: quibus ingraveſcentibus, mente libera, deceſſit.

Siniſtrum pectoris cavum ſero plenum invenitur, ſubflavo & turbido. Pericardium aquam craſſiorem & copioſam continebat, cum cordis ſuperficie nonnihil eroſa. Polypoſæ erant concretiones in corde. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 628. Paupercula octo & quadraginta annorum, *ſumma ſpirandi difficultate* premebatur; quæ poſt nonnullas remiſſiones, tandem moleſtior recurrit, cum febre & nauſea. Poſt biduum noctu incidit in paralyſim lateris dextri, prævio inſultu apoplectico. Dein ingruit ſtertor, cum ſanguinis ſputo, & accedit lethum.

Pulmones aridi videbantur: dexter tubercula dura extus exhibebat, quorum majus ad ovi magnitudinem accedebat cum ſtagnante ſero ad libras duas. Pericardium aquæ copia diſtentum deprehendebatur. E DIARIO MEDICO.

OBS. 628. (*a*) Juvenis triginta circiter annos numerans, de pondere in latere ſiniſtro, cum ſumma *ſpirandi difficultate* querebatur abſque ullo pedum œdemate, quibus perſiſtentibus accedit macies lethalis.

Pulmones aridi videbantur; cor polypoſis concretionibus obrutum triplo ſolito majus erat & inter laminas pericardii quantitas ſeri maxima ſcatebat; pericardii exterior lamina mediaſtino pertinaciter adhærebat; interior adeo ſtricte cordi erat adnata, ut vix ſcalpello poſſet diduci. PORTAL.

OBS. 629. Quemdam juvenem invadit, quaſi inopinato inſultu acutiſſimus *lateris ſiniſtri dolor*, cum *ſpiritu difficili* ac ſumma *cordis palpitatione*. Quibus perſiſtentibus emergit febris hectica; ac demum hydrops lethalis.

Invenitur cor juſto majus. Pericardium aquæ quindecim cochlearia continebat; & hinc mire diſtendebatur. Totus pulmo vitiatus, & coſtis accretus obſervatur. Abdomen vero colluvie aquea & citrina replebatur. TULPIUS.

OBS. 630. Juvenis quinque & viginti annorum, poſt appetitum dejectum & fauces nonnihil tumentes, incidit in *convulſionem* brachii ſiniſtri, quæ poſtea totum corpus invadit; adeo ut æger immobilis & rigidus perſtaret. Aderat *febris cum ſudore*. Die quinto fatis ceſſit.

Erat perpaucum ſerum in ſiniſtro cerebri

bri ventriculo. Seri unciæ aliquot repertæ ſunt in ſiniſtro pectoris cavo. Uterque pulmo multum rubebat; & pericardium erat ſero omnino plenum. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 631. Quidam *aſthmaticus* vigiliis contumaciſſimis conflictabatur. *Tuſſis* erat ſicca, & pulſus frequens. Tumebant hypochondria cum dolore; & omnis ipſi denegabatur decubitus ob *metum ſuffocationis*. Tandem ultimum diem clauſit.

Reſerato pectore, in conſpectum veniebat pericardium multa aqua diſtentum. Cor inſuper concretiones lymphatico-ſanguineas recondebat. EX ACTIS BEROLINENSIBUS.

OBS. 632. Mulier quinquaginta annorum a multis jam diebus *difficulter*, nec ſine ſono, *ſpirabat*; libero tamen decubitu. Alterum brachium erat œdematoſum cum dolore. Tument denique crura & paulo poſt interiit.

Thoracis cavitas utrimque aquæ vireſcentis copiam continebat. Pericardium quoque eadem colluvie erat diſtentum; quæ ſcilicet ad duas libras, & ultra, accedebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 633. Virgo duorum & viginti annorum, nonniſi *erecta cervice ſpirare* poteſt. Multum ſitit & *tuſſit*, cum *ſputo* interdum purulento & *cruento*. Adeſt *febris lenta*; facies intumeſcit; & morte moritur.

Stagnabant aliquot libræ aquæ in abdomine, viſceribus illæſis. Thoracis cavum dextrum plenum erat ſero: paucum erat in ſiniſtro. Sed pericardium totum erat aqua oppletum. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 634. Quidam jampridem querebatur de *dolore circa cordis regionem*. Quovis corporis motu, & præſertim inter aſcenſum, urgebat *ſpirandi difficultas*. *Palpitationibus cordis* interdum conflictabatur. Facilis tamen erat decubitus in utrumque latus; & vigebat appetitus; cum poſt paſtum ſubitanea & inexpectata morte rapitur.

Exenterato cadavere, in conſpectum veniebat pericardium, ſumme diſtentum, & aqua repletum. CLAR. SENACUS.

OBS. 635. In cadavere *hydropici* quinquagenarii, præter aquam in abdomine, reperiebatur hepar coloris atri; pulmones maculis nigris variegati humori aqueo etiam innatabant. Pericardium hydrope proprio adeo erat expanſum, ut veſicam bovis urinariam, aere diſtentam, magnitudine æmularetur. Cor magnum deprehenditur. Auricula ſiniſtra ita erat dilatata, ut dimidiatum cor quaſi æquaret. VALSALVA.

PERICARDIUM.

OBS. 636. Adoleſcens decimum ſeptimum ætatis annum agens, poſt graviſſimam *pectoris inflammationem*, indeſinentibus *cordis palpitationibus*, & ſumma *ſpirandi difficultate* conflictabatur. Sæviebat *dolor in regione ſtomachi*; cum pulſu duro. Procedente morbo, ingraveſcit ſpirandi difficultas; omniſque denegatur decubitus. Viribus demum deficientibus fatis ceſſit.

Exenterato cadavere deprehendebatur inter alias læſiones pericardium aquæ copia repletum. CLAR. SENACUS.

OBS. 637. Vir quadraginta annorum gravi *rheumate ad fauces* cum febre corripitur. Dein ſævit acerbiſſimus *lumborum dolor*. Pulſus erat debilis, & poſt aliquot dies obiit.

In altera thoracis parte ſtagnabat humor turbidus. Pericardium aquæ maxima copia erat diſtentum. Serum etiam ſtagnabat inter utramque meningem. CLAL. MORGAGNUS.

OBS. 638. Sexagenarius de *reſpirationis anguſtia* querebatur. Decimo ante obitum die pulſus quaſi oblitteratur. Tandem cruenta expectorat; & moritur.

Introſpecto cadavere, occurrunt pulmones ſani: ſed pericardium aquam copioſam flavam continebat. Cor magnum deprehendebatur; cum auricula dextra craſſiore, & ultra modum a ſanguine dilatata. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 639. Quemdam a pedeſtri itinere defatigatum corripuit *dolor lateris* acutiſſimus, cum *ſpiritu difficili* & ſumma *cordis palpitatione*. Sequuta eſt *febris hectica*, cum aſcite lethali.

Inventum eſt cor flaccidum, ac juſto majus; cum aqua exuberante in pericardio.

PERICARDIUM. dio. Pulmo totus labefactatus deprehenditur, cordique accretus. Venter aqua citrina replebatur. TULPIUS.

OBS. 640. Inſtituta ſectione cadaveris cujuſdam pueri, *variolis* ſublati, ileum inteſtinum inflammationis & gangrænæ notas exhibebat. Hepar & lien nonnihil etiam erant gangrænoſa; non ſecus ac meſenterium. Luſtrato pectore, reperitur pericardium ultra duas ſeri libras continens; cum pulmonibus variis maculis nigricantibus ſignatis. ZVVINGERUS.

OBS. 641. Quidam *cordis palpitatione* laborans, referebat ſe ſentire cor in aqua natare. Non ſitiebat. Pulſus erat mollis: *reſpiratio frequens*, & oculi concavi; tandem moritur.

Inſtituta cadaveris ſectione, deprehendebatur magna aquæ copia in pericardio. Pulmones quoque utriuſque lateris ſimili colluviei innatabant. SAXONIA.

OBS. 642. Virgo octodecim annorum, cum ſcabiem ſæpius repuliſſet, *graviſſima ortophnæa* correpta eſt: qua dein ingraveſcente, interiit.

Jecur occurrit durius & lividius quam ſolet. Pectoris cavitas aqua ſubcærulea implebatur. Pulmo dexter plevræ arcte hærebat. Pericardium congeſta aqua ultra modum diſtendebatur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 643. Vir quidam cui ab aliquo tempore pedes œdemate tumebant, levi laborabat febricula; *reſpirationis difficultas* in dies ingraveſcit, adeo ut erecta cervice ſpirare cogatur. Sub qua conditione *tuſſit*; catarrhalem exſpuit materiam, plurimum ſitit; & tandem obiit.

Cadavere examini anatomico ſubjecto, reperiebatur pericardium uberrima aqua diſtentum. VALSALVA.

OBS. 644. In cadavere pueri duodecim annorum *hydrope extincti*, invenitur hepar obſtructum & hydatidibus refertum, cum aquæ copia in abdomine. Major erat ſeri proventus in pectore; cum pulmone ſemi-putrido. Capſula cordis majorem etiam aquæ copiam recondebat. Cor vero exhibebat in ſuperficie varias, fungorum inſtar, prominentias. MANGOLT.

OBS. 644. (*a*) Luſtratis interaneis hominis *anaſarca* demortui, præter ſummam viſcerum indurationem, & ingentem aquæ effuſæ in cavitatibus quantitatem, ſerum inter pleraſque corporis tunicas, & præſertim plevræ & pericardii ſtagnans explorabatur, quod nos de fabrica celluloſa membranarum certiores facit. PORTAL.

OBS. 645. Quidam de quodam *pondere circa regionem cordis* querebatur. *Reſpiratio erat difficilis*, cum pulſu parvo & languido. Accedentibus tandem crebris lypothymiis, extinguitur.

Inter ſectionem cadaveris, occurrit pericardium craſſiſſimum, & aquæ libram unam continens. Cor vero erat inane. HOFFMANNUS.

OBS. 646. Quidam chirurgus *ſpirandi difficultate*, jamdudum premebatur, quæ ſenſim ingraveſcens plane impedit decubitum. Pulſus erat parvus & inæqualis; facies pallida; & extremitates frigidæ. Tandem viſus obſcuratior ad ultimam rerum lineam ducit.

Mole portentoſum obſervatur pericardium, libras quatuor aquæ ſubviridis, & viſcidæ, colligens. VIEUSSENS.

OBS. 647. Quidam poſt pleuritidem incidit in *ſpirandi difficultatem*, cum difficili decubitu, pulſu parvo & debili. Quovis corporis motu *imminebat ſuffocatio*. Viribus tandem exhauſtis, extinguitur.

Secto cadavere reperitur pericardium ingens & craſſiſſimum, aqua ſublutea & turbida repletum. SERDEKIUS.

OBS. 648. Vir mediæ ætatis *ſpirandi difficultate* conflictabatur cum *anxietatibus*, & *tuſſi ſicca* moleſtiſſima. Accedunt identidem *lypothymiæ* ſine cauſa manifeſta. Tandem macie confectus, obiit.

Præter hydropem pectoris, deprehendebatur pericardium majori aquæ copia diſtentum. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 649. Quidam vehementi *cordis palpitatione* afficiebatur, & *levi febre*; citra tuſſim & dyſpnæam. Per octiduum tantum decubuit, ante obitum.

Pulmones reperti ſunt nigri, quaſi gangræ-

grænoſi, & pure ſcatentes; cum aquæ copia in pericardio. MANGETUS.

OBS. 650. Vir triginta annorum in *febrem catharrhalem* cum *ſpirandi difficultate* incidit. Poſt nonnullam remiſſionem, exacerbatur morbus, cum pulſu debili, & occubuit.

Pericardium aquæ copia turgebat; pulmo vero dexter plevræ & mediaſtino annectebatur. BARRERUS.

OBS. 651. In cadaveribus variorum, qui dum viverent, *cordis palpitationibus plane immunes* fuerant, maximam in pericardio ſeri copiam, nunc limpidi, nunc turbulenti, ſe vidiſſe narrat DIEMERBROEK.

OBS. 652. Anus ſeptuagenaria *difficile reſpirabat*, cum *tuſſi ſicca* & moleſtiſſima. Multum ſitiebat, & nonniſi in dorſum cubare poterat. Dein tumentibus pedibus moritur.

Præter hydropem abdominis pericardium ſero diſtentum deprehendebatur. VALSALVA.

OBS. 653. In cadavere cujuſdam viri pravis alimentis diu nutriti, atque in *cachexiam* pituitoſam delapſi, & ſic tandem mortui; invenitur capſula cordis mire diſtenta & continens ad minimum aquæ turbidæ libras duas. DIEMERBROEK.

OBS. 654. In corpore cujuſdam jampridem *cordis palpitatione* laborantis, cum *ſpirandi difficultate* repertum fuit pericardium in immanem tumorem elatum, & pluribus aquæ libris diſtentum. CAR. PISO. PERICARDIUM.

OBS. 655. Luſtrato cadavere cujuſdam *repentina morte* ſublati, haud ſine ſuſpicione veneficii; in conſpectum veniebat pericardium ingenti aquei humoris mole tumens. JASOLINUS.

OBS. 656. In cadavere cujuſdam *animi deliquiis* obnoxii, pericardium inventum eſt aqua plenum, & cordi ex parte annexum, cum magna hydatide, a mucrone pendente. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 657. Cadaver viri ſexaginta annos nati, cui *cor vehementer palpitabat*, capſulam cordis colluvie ſeroſa plenam exhibuit. RIOLANUS.

His adde obſervationes Lib. I. 27, 75, 232, 252, 253, 258, 521, 697, 875, 1030, 1032, 1045, 1061, 1093, 1576, 1590, 1637, 1715, 1765. Lib. II. 35, 70, 72, 74, 75, 78, 84, 86, 89, 91, 92, 94, 10, 111, 124, 144, 155, 157, 158, 170, 184, 189, 201, 223, 242, 254, 279, 302, 309 (*a*), 330, 341, 342, 347, 348, 356, 362, 370, 409, 471, 760, 769, 777, 783, 800, 839. Lib. III. 55, 56, 67, 102 (*a*), 176, 353, 371, 405, 414, 424. Lib. IV. 96, 209. Vide inſuper *Cordis læſiones*. *Hydrops pectoris*.

ARTICULUS II.

Pericardium ſanguine turgens.

OBS. 658. Quidam ſexagenario major, *arthriticus*, ante biennium *tuſſi* & *ſpirandi difficultate* tenebatur. Deinde *cordis palpitationem* & ſepultum quemdam *ſub ſterno dolorem*, uſque ad humerum propagatum, pectoris anguſtiam, ac profundam pulſationem patiebatur. Poſtea vertigine corripiebatur, cum præcipiti virium lapſu. Poſt prandium, & largum meri potum, aphonia & angore tactus, repente cecidit exanimis.

Luſtrato cadavere occurrit in thorace anevryſma aortæ, ſub egreſſu e pericardio, cujus ambitus laminam oſſeam exhibebat. Pugni magnitudinem ſuperabat hic tumor, qui præter grumoſum ſanguinem, multiplices laminas exſiccati ſanguinis continebat. Pericardium vero ſumme diſten-

 tum

PERICARDIUM.

tum duas libras grumoſi ſanguinis recondebat, a diſrupta ſcilicet auricula dextra. LANCISIUS.

OBS. 659. Vir octo & triginta annorum ad ſudorem proclivis, levi ſpirandi difficultate laborans alias ſanus & robuſtus, *fluxu catarrhali* corripitur. Poſt quindecim dies de dolore in regione renum & ſtomachi, nauſeis ſtipato, queritur; qui brevi opportunis remediis fugatur, perſiſtente *tuſſi*. Poſt plures menſes accedit inappetentia, cum vigiliis & ſenſatione cujuſdam *ponderis in thorace*. Interea *ſputum* hactenus viſcidum & glutinoſum, *nonnihil cruentum* excernitur, cum pulſu frequentiori, & graviori *ſpirandi difficultate*. Tandem vires deficiunt; pulſus oblitteratur; frigent extrema; & obiit.

Pulmones corrugati paſſim plevræ hærebant, & copioſo ſero utrimque innatabant. Pericardium ingens ab effuſi ſanguinis libris tribus ſumme diſtendebatur, nullo apparente vaſis aperti veſtigio. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 660. Quidam triginta annorum *cordis palpitationi*, & *paroxyſmis aſthmaticis* diu obnoxius, de capitis dolore gravativo & ſummo virium languore querebatur. Inter paroxyſmum graviorem, ad feneſtras ſuffocationis metu properans, ſubitanea morte rapitur.

Eviſcerato cadavere ſe obtulit pericardium ſanguine concreto turgidum; & vena cava in ventriculi cordis dextri confinio manifeſte diſrupta apparuit. Corpus quoddam, partim membranaceum, partim carneum, auriculis cordis annexum, ſanguinem aduſtum continens deprehenſum eſt. Pulmones erant purulenti. Capite demum aperto inſignis patet ſeri congeſtio inter utramque meningem. BONETUS.

OBS. 660. (*a*) Paupercula quatuor & ſexaginta annorum, atris curis ſollicita, potuique aquæ vitæ plus æquo indulgens, de continua *cordis palpitatione* querebatur. Alvus erat adſtricta, *reſpiratio difficilis*; *pulſus intermittens* & inæqualis. Tandem ingruit apoplexia, ſub qua venæ jugulares mire pulſabant. Incaſſum adhibitis variis remediis poſt biduum rapitur.

Pericardium ſanguine ſcatebat, nulla patente rima, nec in auriculis nec in vaſis. Ventriculi cordis, auriculæ & majora vaſa concretionibus polypoſis replebantur. CLAR. BAADERUS.

OBS. 661. Sexagenarius doloribus rheumaticis obnoxius, *tuſſim* per intervalla patiebatur ſiccam cum quadam *ſpirandi difficultate*, capite interdum confuſo. Egregie tamen valere omnibus videbatur, cum *tuſſi* correptus, ſpumante ore, ſubito concidit.

Pulmones anterius cum plevra annectebantur. Utrumque pectoris cavum, & præſertim pericardium ſerum cruentum continebant. Cor cum ſuis auriculis inane occurrit. Aorta a corde ad curvaturam uſque latior viſa eſt. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 662. Senex quidam *hypochondriacus*, dolore gravi correptus eſt qui e ventre ad thoracem aſcendebat, cum *anxia reſpiratione*, & nonnullis *motibus convulſivis*; quibus poſt quamdam remiſſionem, tertio die recurrentibus, e medio tollitur.

Secto cadavere, pericardium effuſum habebat ſanguinem; qui illuc per tria foramina e ſiniſtro cordis ventriculo exierat. Is ventriculus adeo erat dilatatus ut cavum triplo majus, quam ſecundum naturam, comprehenderet. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 663. Juvenis quintum luſtrum attingens, *anaſarca*, & *ſpirandi difficultate* laborabat. Brevi ſequitur aſcites cum *dolore* gravativo in ſiniſtro *pectoris* latere, & difficili decubitu. Febris erat aſſidua: urgebat *ſpirandi difficultas*, quibus perſiſtentibus & ingraveſcentibus tandem migravit ad ſuperos.

Præter ſerum ſtagnans in abdomine reperitur major hepatis lobus ſcirrhoſus. Pulmo ſiniſter purulentia erat defœdatus; & pericardium ſero cruento copioſiſſimo erat repletum. E NOSTRIS ADVERSAR.

OBS. 664. Vir quinque & ſexaginta annorum, exſiccatis veteribus crurum ulceribus, noviſſimiſque doloribus rheumaticis obnoxius, poſt prandium de *dolore pectoris* queritur, & *anguſtia*, cum famis, ut ipſi videbatur, ad caput aſcendentibus; quibus vigentibus derepente moritur.

Reſi-

Pericardium deprehenſum eſt nigro & concreto ſanguine diſtentum. Is e ſiniſtro cordis ventriculo exierat per ſciſſuram oblongam, ubi fibræ non recenti corroſione exeſæ conſpiciebantur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 664. (*a*) Vir quinquaginta annorum, *inter vehementem corporis niſum*, *exanimis concidit*, & illico moritur.

Inſtituta ſectione cadaveris reperitur pancreas ſcirrhoſum, cum vaſis biliaribus plus æquo turgidis. Reſerato pectore pericardium occurrit mire tumens & libras duas ſanguinis recondens. Annotatur aorta ſupra cor, minoris anevryſmatis inſtar, dilatata, & prope cor diſrupta, exiguo ſcilicet foramine hians in pericardium. VVALTHERUS.

OBS. 665. Sartor quidam, uti apparebat, ſaniſſimus inclinando corpus, ut ferramentum capeſſeret, *ſubito concidit exanimis*.

Cadavere ſectioni tradito, invenitur pericardium ſumme diſtentum, continens ſanguinis congrumati uncias octo. Aorta ſub egreſſu e corde, ſupra ſcilicet valvulas ſemi-lunares ulcere exeſa occurrit, & perforata. EX ACTIS PETROPOLITANIS.

PERICARDIUM.

OBS. 666. Anus quinque & ſeptuaginta annorum, obeſa bene ſe habere videbatur, cum ſubito *vertigine* corruit; & accedente *ſtertore*, ultimum diem clauſit.

Pericardium majorem ſanguinis grumoſi copiam recondebat. Cor adipe obrutum, pertuſum reperitur circa apicem, foramine, lentis magnitudine: per quod oſtium exitum ſibi paraverat ſanguis; ſiniſtro ventriculo plane inani. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 667. Quidam *inter* ferociorem *iræ impetum repente mortuus*, oſtendit pericardium ſanguine repletum. Cum ejus cauſa ulterius perquireretur, inventi ſunt duo abſceſſus in trunco arteriæ aortæ, prope cor, unde ſanguis exierat. VVELSCHIUS.

OBS. 668. In exenterato cadavere cujuſdam militis qui poſt longum mœrorem, *ſubito extinctus* fuit, deprehendebatur in pericardio aqua, cum copioſo ſanguine concreto. FRAMBESARIUS.

Inter affines numerari debent obſervationes Lib. I. 613. Lib. II. 552. Lib. III. 249. Lib. IV. 72. Inſuper. Vide *Anevriſma pectoris internum*.

ARTICULUS III.

Pericardii inflammatio.

OBS. 669. Quidam juvenis *febre acuta* prehenditur, cum ſiti immani, *anxietate*, *reſpiratione celerrima*, & frequenti. *Æſtuabat thorax* cum tuſſi ſicca. Accedit *cordis tremor*, cum dolore in thorace, verſus ſternum. Ingruunt animi deliquia. Pulſus interea durus & inæqualis exploratur. Triduo e vita ſublatus eſt.

Sectio cadaveris exhibet pericardii inflammationem; nam tota capſula livida & rugoſa viſa eſt; & in multis partibus aſperitates apparuere miliaceæ, nigrore infectæ. ZACUTUS.

OBS. 670. Quidam *febre* corripitur, *ſiti* immani & *tuſſi ſicca*, ſtipata cum *dolore* acutiſſimo & *æſtu* intenſiori in parte antica *pectoris*. Pulſus durus erat & frequens, & *difficilis reſpiratio*. Poſt triduum pulſu prius oblitterato extinguitur.

Corpus ſectioni traditum exhibet pericardium inflammatum, & intus obductum cruſta quadam gelatinoſa. CLAR. SENACUS.

In hanc claſſem revocanda eſt obſervatio Lib. II. 755. Vide præterea *Pericardium purulentum*.

AR-

PERICARDIUM,

ARTICULUS IV.

Pericardium purulentum.

OBS. 671. Vir quinque & quadraginta annorum, temperamento ſanguineo, *febre* corripitur *dolore pectoris & ſpirandi difficultate*, ſtipata. Pulſus erat celer; *tuſſis* crebra, cum *ſputo cruento* & copioſo. Circa quintum diem exacerbatur febris: urget *dolor in latere ſiniſtro*, prope ſternum & diaphragma. Reſpiratio difficilius exercetur & ſufflamminantur ſputa. Poſt ſex horas remittunt ſymptomata; & bene ſe habere videbatur æger: ſed denuo accedente paroxyſmo procelloſiori, poſtero die, vel ſexto morbi, exuvias victori dat.

Reſerato pectore in propatulum venit lobus ſiniſter pulmonum inflammatus, ac cruſta viſcida & purulenta obductus. Pericardium ultra modum diſtentum pus ſincerum & lacteum ad libram circiter unam continebat. Cordis ſuperficies ulceroſa, inæqualis & calloſa obſervatur. Similem ferme læſionem præ ſe ferebat facies interior pericardii, ſolito craſſioris. Cordis ventriculi ſanguine concreto turgebant. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 672. Quidam juvenis novemdecim annorum, poſt quoddam infortunium, mœrore confectus, de *cordis dolore*, & *thoracis anguſtia*, querebatur; cum prævio horrore in *febrem acutam* incidit. Pulſus explorabatur durus & celer: urgebat *ſpirandi difficultas*: ſitis erat intenſa cum anxietatibus, inquietudine & dolore cordis perpetuo. Semper cogitabundus noctes ducebat inſomnes. Sexto morbi die lypothymia prehendebatur: & ſeptimo interiit.

Viſcera abdominalia, non ſecus ac pulmones, ſana & plane inculpata reperiebantur; ſed pericardium puris libram ſemis continebat. Ejus facies interior cruſta quadam ſubpurulenta obducta cernebatur. Cor parvum & compreſſum, quaſi piloſum, ſimili pſeudo-membrana veſtitum comperiebatur. HASENOHRL.

OBS. 673. Vir ſex & quadraginta annorum *ſyncope* corripitur, quam excipit *dolor* acutiſſimus & *ardens in medio thoracis ſiniſtri*, cum *cordis palpitatione*, ſiti immani, & faciei livore. Dein ingruunt anxietates, crebræ *lypothymiæ*, cum reſpiratione denſa & ſublimi, qua omnis denegatur decubitus. Dein vires labuntur, & carnes evaneſcunt. Pulſus innumera ſubit formas. Poſt varias remiſſiones, & exacerbationes, *ſputa* fiunt *purulenta*, & *urinæ ſordidæ*. Tandem debilior fit pulſus; urget ſpirandi difficultas; ſufflamminantur ſputa; urina prodit limpida; tument artus; & ſuffocatione interimitur.

Occurrunt pulmones nigri & compreſſi. Pericardium vero caput humanum magnitudine fere æquans meri puris libras ſex continebat. CLAR. STORCK.

OBS. 674. Quidam quadrageſimum quintum ætatis annum agens, plauſtri onuſti averſionem, ruinamque in ſe paſſus, de punctorio & *gravativo doloris ſenſu in pectore*; nec non de quadam *cordis compreſſione* & *ſpirandi difficultate* conqueſtus eſt. Aliquot elapſis diebus, dum bene ſe habere videbatur, *febre ardente* conflictari cœpit, cum dyſpnæa, delirio, vigiliis perennibus, ſiti maxima genarum rubore & *leipothymia* ſibi mutuo ſuccedentibus. Sub qua rerum conditione, undecimo morbi die vitam finivit.

Secto cadavere invenitur pericardium pure copioſo repletum, cui velut immerſum cor magna ſui parte, ad utramque potiſſimum auriculam, partim exeſum, partim etiam marcidum videbatur. Pulmo quoque ejuſdem labis erat particeps. HILDANUS.

OBS. 675. Vir quinquagenarius de *dolore* continuo capitis & *circa ſcapulæ dextræ regionem* queritur; quem concomitatur *tuſſis* cum *palpitatione cordis*. Quibus perſiſtentibus, imo & ingraveſcentibus tandem e medio tollitur.

Inciſo cadavere inveniebatur hepar ſcirrhoſum, cum liene obſtructo & ſolito majore. Pectus erat humore lymphatico plenum. Conſpiciebatur pars dextra pulmonis

fere

fere abſumpta; ſiniſtra vero inflammata. Pericardium puris & ſaniei libras quatuor continebat. Cor læſum non erat, niſi ſuperficie tenus. MANGETUS.

OBS. 676. Vir triginta annorum *dolore immani in regione epigaſtrica*, & *pectore* laborabat, cum rigore crebro recurrente, & vomitu. *Tuſſis erat ſicca*; pulſus debilis & frequens. Dein accedit delirium, quod excipit *ſpirandi difficultas*; qua ſenſim ingraveſcente tandem accedit lethum.

Introſpecto cadavere, pulmo ſiniſter deprehenditur ſcirrhoſus; arcte hærens pericardio, mediaſtino, plevræ & diaphragmati. Præterea pericardium ſumme diſtentum laticis ichoroſi, & ſubviridis libras duas, & amplius continebat. EX ACT. PHYS. MED. GERMAN.

OBS. 677. Vir quinquaginta annos natus, jampridem *obſtructionibus* laborans, dolore capitis, *tuſſi*, & *diſtillatione ad pulmones* laborabat. Ac demum aliquot menſibus ante obitum *cordis palpitatione* conflictabatur.

Luſtrato cadavere, in conſpectum venit pectus plenum ſeroſo humore. Pulmones inflammati & purulenti coſtis firmiſſime annectebantur. Pericardium vero majorem ſanioſi ſanguinis & materiæ purulentæ copiam recondebat. HILDANUS.

OBS. 678. Quidam *tuſſi* & *febricula* laborabat. Acceſſit *dolor in thorace*, & in anteriore ventris parte. Poſtremo ſequuntur *animi deliquia*, & lethum.

Inciſo cadavere pulmo ſiniſter conſumptus deprehenditur. Cavitas pectoris plena erat ſanguine putrido, & concreto. Pluſquam menſura puris continebatur in pericardio; & cordis ſubſtantia fere tota abſumpta, & putrida conſpiciebatur: hepar denique occurrebat maximum. J. BAUHINUS.

OBS. 679. Vir quinque & triginta annorum robuſtus *acuta febre* detinebatur, cum maxima *reſpirandi difficultate*, *tuſſi* levi & pauca exſcreatione. Urgebat *dolor lateris*, cum difficili ſupra dorſum decubitu. Tandem pulſu parvo, celeri & inæquali, circa nonum diem obiit.

Reperiuntur inteſtina phlogoſi affecta. Hepar erat tumidum in parte cava inflammatum. Pulmones inflammati & purulenti coſtis undique adhærebant. Cor, eroſa ſuperficie & ulceroſa aquæ copioſæ & purulentæ innatabat. FANTONUS.

PERICARDIUM.

OBS. 680. Quidam juvenis *febre acuta* corripitur, cum *lateris dolore*, *tuſſi*, *ſputo cruento* & maxima *anxietate*. *Difficilis erat reſpiratio*; ſitis moleſtiſſima, & calor intenſiſſimus; unde eryſipellas in facie exortum fuit; ac tandem die decimo interiit.

Sectio cadaveris exhibet pulmonem ſiniſtrum inflammatum cum abſceſſu diſrupto, & notabili puris copia in cavitate pectoris: plevra, ubi dolor erat, corrupta. Pericardium maximam puris copiam recondebat, cum tota cordis ſuperficie ulceroſa. FANTONUS.

OBS. 680. (*a*) Miles octo & quadraginta annorum, vino deditus, & totam faciem gutta roſacea defœdatam habens, *pleuritide* corripiebatur, quam ſuperavit. Poſt biennium recurrit hic morbus ferocior & lethalis.

Pulmo ſiniſter purulentia defœdatus conſpicitur. Pericardium ſolito craſſius & intus exulceratum, materiam ſordidam & purulentam recondebat; qua etiam læſa erat cordis ſuperficies. CLAR. BAADERUS.

OBS. 681. Vir quinquaginta annos natus, poſt ſuperatam *peripneumoniam*, *inani tuſſi* vexabatur & in ſiniſtrum latus cubare non poterat. Tandem pulſu fere oblitterato, fatis ceſſit.

Pericardium inventum eſt materia ſeroſa & purulenta diſtentum. Membrana cor veſtiens craſſior pericardio annectebatur binis productionibus craſſis, cilindraceis, ligamentorum inſtar. VALSALVA.

OBS. 682. Quemdam *febris* invadit, cum *ſpirandi difficultate*, *tuſſi* moleſta & *calore intenſo*. Difficilis erat in utrumque latus decubitus. Tandem accedente diarrhæa, brevi extinguitur.

Secto cadavere, pericardium ultra modum dilatatum majorem ſeri & puris copiam recondebat; cum ſuperficie cordis ulceroſa; facie interna pericardii ſimili labe tacta. FANTONUS.

OBS.

PERICARDIUM.

OBS. 682. (*a*) Secto cadavere juvenis ætate viginti quinque annorum *variolis* defuncti, & cujus cutis vix ſignata erat, tuberculis innumerabilibus defœdata viſcera abdominalia apparuere; pulmones ejuſdem mali erant conſortes, ſed præprimis pericardium; putrida enim erit facies interna; puris libra circiter una in ejus cavo ſtagnabat; & cor exaſperatum videbatur. PORTAL.

OBS. 683. Quædam mulier annoſa, & *cachectica*, ad *animi deliquia* proclivis, tandem derepente exanimis concidit.

Pericardium, aqua ſanioſa ultra modum diſtentum, aſperitates craſſiores ulceroſas intus exhibet. Cor etiam ejuſdem mali nonnihil conſors annotatur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 684. Miles triginta annorum *febre* & *ſpirandi difficultate* prehenditur. Accedit diarrhæa; & die decimo ſexto migravit ad ſuperos.

Introſpecto corpore, occurrit hydrops pectoris. Pulmo ſiniſter coſtis hærebat. Pericardium ulcere intus eroſum aquæ purulentæ copiam fovebat. CRENDAL.

OBS. 685. Quidam juvenis in *febrem ſpirandi difficultate* ſtipatam, incidit; ac ſexto morbi die fatis conceſſit.

Reperiebatur utrumque pectoris cavum ſero repletum. Pulmo dexter coſtis annectebatur. Pericardium aqua purulenta erat mire diſtentum. CRENDAL.

OBS. 686. In cadavere cujuſdam fœminæ, quæ *pleuritide*, uti curantibus videbatur, laboraverat, in conſpectum veniebat totum pericardium pure repletum, & quaſi illo obductum; illæſa cordis ſubſtantia. SALMUTHUS.

OBS. 687. Exenterato cadavere cujuſdam juvenis ſeptimo *pleuritidis* die extincti; occurrunt pulmones inflammati, & plevræ accreti; cum aquæ copia in pectore. Pericardium erat purulentia tactum. CRENDAL.

OBS. 688. Inter anatomen cujuſdam qui *cordis palpitationibus* conflictatus fuerat, deprehendebatur cor obductum ſeroſo humore in ſaniem verſo; ob illius partis inflammationem. RONDELETIUS.

OBS. 689. Inſtituta ſectione cadaveris cujuſdam *peripneumonia* extincti; præter pulmonum inflammationem & purulentiam; reperitur pericardium pure ſceroſo ſcatens. EX ACT. PARISIENS. EXT.

OBS. 690. In cadaveribus variorum *inflammatione pectoris* denatorum, in propatulum veniebat pericardium purulentia defœdatum, & partim putridum. CLAR. SENACUS.

Hoc hiſtoriarum agmen ſubire debent obſervationes Lib. II. 177, 357, 388, 393, 761. Vide inſuper *Cordis purulentia*; *exulceratio*. *Colluvies ſordida*.

ARTICULUS V.

Pericardii flatulentia.

OBS. 691. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam viri ſexagenarii, ad *cordis palpitationem* proclivis; deprehendebatur pericardium multo flatu diſtentum; & is flatus in aquam aliquando concreſcit (ſitum redolet hæc opinio). BALLONIUS.

OBS. 692. Cadaver cujuſdam, qui dum viveret *cordis palpitationibus* conflictabatur, examini anatomico traditum exhibebat cordis capſulam aere turgentem, vel utris inſtar inflatam. HOLLERIUS.

Vix abſimilis caſus exemplum proſtat in obſervatione Lib. I. 1672.

AR-

ARTICULUS VI.

PERICARDIUM.

Pericardium craſſiſſimum.

OBS. 693. Vir duodetriginta annorum, poſt *febrem continuam* bene ſe habere videbatur; cum inter paſtum *ſyncope* corripitur, quam preſſo pede ſequuntur convulſiones lethales.

Luſtrato cadavere, in conſpectum veniebat pericardium ſeptem lineas craſſum, & denſiſſimum, quaſi cartilaginoſum; cujus pars anterior, vel ſternum reſpiciens, tuberculis duris erat exaſperata. E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 694. In cadavere puellæ quatuor annorum, *febre continua* extinctæ, quæ neque dyſpnæa, neque tuſſicula, neque phthiſeos ſpecie laboraverat; inveniebantur pulmones coſtis & ſterno firmiter adnati, multis in locis duri, & pure repleti. Pericardium, panni lanei craſſitie, nigricantem cordis ſubſtantiam circumdabat. KERKRINGIUS.

In hac ſerie recipiuntur obſervationes Lib. I. 680, 782. Lib. II. 108, 222, 234, 427, 645, 698 (*e*).

ARTICULUS VII.

Pericardium cordi accretum.

OBS. 695. Quidam trium & quadraginta annorum, rudiori aſſuetus labori, ſpinam ventoſam triginta abhinc annis ad dextram claviculam patiebatur; e qua identidem extrahebantur feſtucæ oſſeæ; cætera ſanus, & difficilis reſpirationis expers. Dein *peripneumonia* prehenditur, e qua evaſit. Succeſſit *febris lenta*, cum *diarrhœa* colliquativa, quibus ſenſim franguntur vires, & ad libitinæ rationem ducitur.

Occurrit clavicula tumens & exeſa; alias nihil in tota vicinia mali. Pulmones arcte cohærebant cum plevra, diaphragmate, mediaſtino & pericardio; adeo ut nullum punctum in univerſo pulmonum ambitu a cohæſione liberum. Simili modo annotatur pericardium arctiſſime cordi, auriculis & majoribus vaſis accretum, ut nemo ſolvere niſi lacerando, poſſet. CLAR. HAEN.

OBS. 696. Vir trigeſimum ætatis annum agens, paluſtrium locorum incola, poſt varios morbos pectoris *febre ardente* corripitur, cum *pectoris anguſtia*. Febre remiſſa, venter & crura tument; major fit *ſpirandi difficultas*, cum *dolore lateris* ſiniſtri, *tuſſi* & ſputo ſeroſo. Tandem accedit lethum.

Secto cadavere, hepar atrum reperitur, cum ſtagnante ſero in abdomine. Pulmo dexter a tergo inflammatus, ſuperne ad coſtas colligabatur. Siniſtri pars ſuperior dura, præ inflammatione, quaſi carnea videbatur. Inferior vero ſaniei gelatinoſæ innatabat. Pericardium undique cordi adhærebat; adeo ut unum cum ipſo corpus efficere videretur: alicubi erat cartilagineum, & ad ſemi-pollicem craſſum. VALSALVA.

OBS. 697. Adoleſcens ſexdecim annorum, nonnihil *aſthmaticus* dolorem in inguinibus patiebatur. *Tumebat abdomen*; & dein ſcrotum cum artubus inferioribus. Interea ſenſim ita increvit abdominis moles, ut æger nil magis quam diſruptionem metueret. Pulſus erat parvus, & tremulus: *reſpiratio difficillima*, cum inani *tuſſi* & *anxietatibus*. Œdematoſum membrum genitale intorquebatur, & ægre hinc fluebat lotium. Tandem viribus fractis obiit.

Reſerato abdomine, & exhauſtis aquis copio-

PERICARDIUM.

——— copioſiſſimis, urinam redolentibus; invenitur omentum putridum, non ſecus ac meſenterium. Pulmo dexter plevræ, diaphragmati, & pericardio arcte hærebat. Pericardium craſſiſſimum, cordi undique erat adglutinatum. PEYERUS.

OBS. 698. Vir quinquaginta annorum, poſt multos labores, de *pectoris dolore*, & *tuſſi* querebatur. Venter & pedes erant œdematoſi. Sitiebat & cum *anhelatione* reſpirabat. A cibo interea valde gravabatur, cum acceſſit *ſanguinis ſputum*, quod intra paucos dies quievit. Tandem ingenti ſanguinis copia e pulmonibus erumpente ſuffocatus eſt.

Venter aqua flaveſcente repletus, exhibebat lienem ingentem; hepar contractum & pallens. Siniſter pulmo contractus & durus ſanioſam continebat materiam; & vicinis partibus arcte hærebat. Pericardium quoque undique cordi annectebatur. Ventriculi cordis prorſus erant inanes. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 698. (*a*) Sexagenarius jampridem *aſthmaticus*, poſt pravam digeſtionem, *lypothymia* corripitur: pulſus ſcilicet oblitteratur & omnia membra frigent. Dein *reſpiratio fit difficilior*; & ipſi in ſolum dorſum decumbere licet; alias imminet ſuffocatio. Poſt novem dies inter haſce anguſtias e vivis derepente deceſſit.

Secto cadavere patet inter pericardium & apicem cordis proceſſus quidam ligamentoſus, breviſſimus; cujus ope firmiter annectebantur prædictæ partes. CLAR. SENACUS.

OBS. 698. (*b*) Quidam pulſu debili & quaſi oblitterato, ad *lypothymias* ſumme proclivis *ſpirandi difficultate*, cum ſuffocationis metu ſæpius premebatur; poſt plures annos, inter haſce moleſtias fatis ceſſit.

Examini ſubjecto pectore, occurrit in apice cordis quidam proceſſus ligamentoſus, duas lineas latus, & tres longus, ſubalbicans & denſiſſimus, pericardio prope diaphragma implantatus. CLAR. SENACUS.

OBS. 698. (*c*) Vir quidam arthriticus vehementiori *cordis palpitatione* corripitur, qua ſedata pulſus parvus & inordinatus exploratur. Sequitur *leucophlegmatia*, quæ immanem *ſpirandi difficultatem* poſt ſe trahit. *Cordis palpitatio* in tremorem faceſſit, cum pulſu frequentiore. Sub hoc rerum ſtatu tandem interiit.

Introſpecto cadavere, animadvertebantur pulmones cruſta quadam lymphatica obducti. Cor vero paſſim pericardio hærebat. CLAR. SENACUS.

OBS. 698. (*d*) Puer *labe ſcrophuloſa* conflictatus, cujus pulſus, debilis & frequens explorabatur; tandem *maraſmo* & *febre lenta* confectus, ad æthereas ſedes migravit.

Inſtituta cadaveris ſectione in propatulum veniebat in pericardii fundo materia quædam craſſa, & gelatinæ inſtar pellucida, quæ cordis apicem ambiebat, & pericardio hærebat; cujus ſcilicet ope annectebantur prædictæ partes. CLAR. SENACUS.

OBS. 698. (*e*) Vir conſiſtentis ætatis, plures *inſultus pleuriticos* paſſus, & ſubobſcuræ *cordis palpitationi* obnoxius, ingruente immani *ſpirandi difficultate* extinguitur.

Aperto cadavere, cor deprehendebatur ſolito majus. Pericardium ſiccum & craſſius carnis faciem præ ſe ferebat. Ejus facies interna, nonnihil aſpera, cordis ambitui variis proceſſibus ligamentoſis, albicantibus, duas treſve lineas longis, hærebat. CLAR. SENACUS.

OBS. 699. Mulier triginta annorum per tres ultimos vitæ ſuæ annos, mœſta valde & melancholica; porro ad motum quemvis *anhela*, cum pulſu parvo & intermittente; *dolore gravativo circa præcordia* conflictabatur. Accedebant crebræ *lypothymiæ*, cum extremorum frigiditate. Tandem viribus ſenſim attritis interiit.

Thorace aperto, reperiuntur pulmones ſatis ſani. Pericardium cordi ubique adeo arcte annectebatur, ut nonniſi ægre ab illo ſeparari potuerit. Craſſa inſuper & calloſa erat hæc membrana. LOVVER.

OBS. 700. Puer quinquennis *ſpirandi difficultate* ſubito corripitur. Poſt iem ſſionem per ſex annos recurrit anhelitus difficilis, cum *dolore pectoris*, præſertim circa ſcapulam dextram. *Tuſſi* interdum vexatur, pulſu debili & intermittente; dein de *pulſatione in ſcrobiculo cordis* queritur. Crura & ſcrotum fiunt œdematoſa. Interea

rea cura opportuna mitior evadit morbus; qui poſt biennium exacerbatur; tum omnia ſymptomata ingraveſcunt; tumet regio epigaſtrica, cum hypochondrio dextro; ac tandem obiit.

Stomachus ſe præbet diſtentus & nonnihil gangrænoſus. Pulmones plevræ partim hærebant, & pericardium cordi arctiſſime accretum occurrit. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 701. Juvenis aſthmaticus in *aſcitem* incidit, cum pedum intumeſcentia. Brevi accedit *ſpirandi difficultas*; quæ in dies ingraveſcens tandem lethum accerſit.

Secto cadavere reperiuntur pulmones valde affixi, cum nonnulla purulentia. Cor ingens, polypoſis concretionibus turgens, pericardio quaſi carnoſo accretum. Hepar erat pallidum & flaccidum, ac pancreas nonnihil ſcirrhoſum. Serum denique gelatinoſum & ſordidum majori copia ſtagnabat, tum in pectore, tum in abdomine. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 702. Juvenis quatuor & viginti annorum, graciliſſimus, crebris *cordis oppreſſionibus*, & *lypothymiis*, cum *gravi anhelitu*, laborabat. Tumebat abdomen, pulſu exili & inæquali. Tandem hebes & veternoſus, lente febricitabat, cum accedente ſphacelo ſcroti extinguitur.

Cor exiguum & flaccidum conſpicitur. Venæ cavæ caudex & rami inſignis erant magnitudinis. Pericardium cordi tenaciter adnectebatur, cum variis glandulis ſcirrhoſis circa baſim. Parum ſeri occurrit in abdomine. LANCISIUS.

OBS. 703. Quidam varios inſultus pleuriticos paſſus, ſumma *ſpirandi difficultate* tenebatur; cum *inordinato*, ſed obſcuro *cordis motu*; quem brevi ſequitur lethum.

Luſtrato pectore, invenitur cor ſolito majus; cui arcte circa baſim hærebat pericardium craſſiſſimum & quaſi carnoſum; quod circa apicem peculiaribus ligamentis huic viſceri annectebatur. CLAR. SENACUS.

OBS. 704. Virgo a quarto ætatis anno *febre lenta* conflictabatur, cum exacerbationibus ſerotinis, *ſpirandi difficultate*, & *cordis palpitatione*. Accedit tumor pedum œdematoſus. Magis impeditur reſpiratio, cum difficili decubitu. Ac tandem fatis ceſſit. PERICARDIUM.

Pulmones ſero infarcti, & quaſi œdematoſi, plevræ hærebant. Pericardium craſſiſſimum, & duriſſimum cordis ſuperficiei arcte adglutinatum deprehendebatur. VIEUSSENS.

OBS. 705. Mulier duorum & triginta annorum, cachectica & *melancholica*, atque dein *aſthmatica*, in *tabem* lethalem incidit.

Occurrit hepar ingens & ſcirrhoſum. Pectus ſero lixivioſo ſcatebat. Cor mole maximum pericardio craſſiſſimo firmiter hærebat. Ventriculus ſiniſter durus & cartilagineus deprehenditur: pulmonibus infarctis & plevræ adglutinatis. EX ACT. PHYS. MED. GERMANIÆ.

OBS. 706. Mulier *difficili reſpiratione* laborans, *ſiti moleſta* torquebatur. Perpetuo *æſtuans*, aerem frigidum captabat: ne tenuiſſimi etiam tegumenti patiens, pectus nudabat. Tandem poſt puerperii labores deceſſit.

Rimato cadavere in propatulum veniebat pericardium ipſimet cordi firmiter accretum, & hinc humore ſolido plane vacuum. SARACENUS.

OBS. 707. In cadavere cujuſdam *hydropici*, *morte ſubitanea* interempti, præter aquam ſtagnantem in pectore & in abdomine, occurrunt pulmones ubique affixi membranæ coſtas ſuccingenti, ope fibrarum, elegantiſſimarum. Pericardium vero craſſiſſimum, & variis ſteatomatibus intus obſitum, exiguo cordi hærebat. EX ACTIS PETROPOLITANIS.

OBS. 708. Vir quadragenarius *talpam* geſtabat *in occipite*, quæ cum in abſceſſum degeneraſſet ægrum ſuſtulit. Nullæ unquam fuerant de thorace querelæ.

Pulmones undique cum plevra cohærebant, laxi & fœtidiſſimi. Cor & auriculæ pericardium undique habebant adnatum. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 708. (*a*) Quidam *lypothymiæ* a quatuor menſibus obnoxius, cum pulſu parvo, duro & frequenti, *gravi anhelitu* laborabat, cum indeſinenti frigore in artubus.

PERICARDIUM. Secto poſt obitum corpore, reperitur pericardium cordi accretum, mediante cruſta quadam membranacea & quaſi carnea. CLAR. SENACUS.

OBS. 708. (*b*) Curſor ſtrenuus, poſt citiſſimas & immodicas equitationes, ferociori *cordis palpitatione* corripitur, & e medio tollitur.

Cadaver exenteratum exhibet cor ſuæ capſulæ partim firmiter annexum. CLAR. SENACUS.

OBS. 709. Juvenis octodecim annorum, cujus facies erat ſubtumida, in *ſpirandi difficultatem* incidit, *cordis palpitatione* ſtipatam. Sub hoc rerum ſtatu, poſt quinque hebdomadas obiit.

Reperiuntur in cavo pectoris aquæ duodecim libræ. Pericardium cordi accretum cartilagineum & craſſiſſimum annotatur. E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 710. Sectio cadaveris cujuſdam fœminæ *melancholicæ*, quæ per tres ultimos vitæ annos *mœrore* fuerat conflictata, exhibet pericardium cordi ubique adhæreſcens. BONETUS.

OBS. 711. In cadavere pueri *macie* confecti, pericardium valide nectebatur cum corde; cujus ſuperficies corpuſculis granuloſis, & quaſi miliaceis albicantibus erat obſita. VALSALVA.

OBS. 712. Introſpecto corpore cujuſdam a graviſſimo inflicto *vulnere in crus* enecati, alias ſani & vegeti, deprehenditur capſula cordis undique hærens. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 713. Inter ſectionem cadaveris viri conſiſtentis ætatis qui ob *æſtum corporis* intenſiſſimum, diu noctuque nudus incedebat, & ſiti torquebatur, deprehenditur pericardium cordi adnatum. MECKEREN.

OBS. 714. Rimato cadavere cujuſdam *ſcorbutici*, hydrope extincti, pericardium pollicis craſſitiem æquans, denſum & cartilagineum cordi firmiter hærebat. EX ACT. PHYS. MED. GERMAN.

OBS. 715. In diſſectis cadaveribus duorum *hydropicorum*, *cordis palpitationibus*, cum viverent, obnoxiorum, pericardium animadvertebatur, cordi accretum. BALLONIUS.

OBS. 716. Secto quodam juvene *phthiſico*, occurrit pericardium integræ cordis ſuperficiei hærens, duritiemque oſſeam vel cartilagineam paſſim referens. CHESELDEN.

OBS. 717. In cadavere cujuſdam fœminæ *hydropicæ*, præter hepar exiguum & molle, cor duplo majus, & propriæ capſulæ arcte annexum conſpiciebatur. HELVIGIUS.

His ſubnectere licet obſervationes Lib. I. 271, 632, 782, 1650. Libr. II. 1, 200, 359, 371, 406, 416, 419, 469, 557, 852, 855, 889, 922.

ARTICULS VIII.

Pericardii tumores & puſtulæ.

OBS. 718. Quidam *cordis palpitatione* laborabat, cum pulſu duro & parvo. Interea accedit febricula quæ maciem poſt ſe trahit. Poſtea frequens ingruit *lypothymia*, qua demum atrophia confectus e medio tollitur.

Inſtituta cadaveris ſectione, deprehenditur in tunica cor ambiente duriuſculus tumor, ad nucem parvam avellanam magnitudine accedens, non perfecte calloſus; quo diſrupto ichor quidam emanavit citrinus. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

De hacce læſione mentio ſubjicitur in obſervationibus Libr. II, 135, 707, 840.

ARTICULUS IX.

PERICARDIUM.

Lapides in pericardio.

OBS. 719. Quædam fœmina trigeſimum tertium ætatis annum agens, in menſium ſuppreſſionem incidit. Dein *lypothymia* crebro recurrente conflictatur; inter cujus graviorem paroxyſmum ultimum diem clauſit.

Cadavere cultro anatomico ſubjecto, in conſpectum venit ala pulmonis dextra ſubnigricans, & atra materia tartarea infarcta. Luſtrato pericardio, occurrunt in hacce capſula tres lapides coloris ſubviridis, quorum duo erant exigui; alius autem magnus, conſpiciebatur, & ponderis duarum circiter unciarum. LANZONUS.

ARTICULUS X.

Vermes in pericardio.

OBS. 720. Vir quidam ætatis conſiſtentis, poſt graviorem morbum, valetudinarius, cordis palpitatione per intervalla laborabat; cui acceſſit ſyncope cardiaca, qua crebro invadente, tandem ſubitanea morte rapitur.

Corpore exenterationi tradito, inventus eſt vermis mortuus & nigricans ventriculo cordis dextro hærens. ZACUTUS.

OBS. 721. Inter diſſectionem cadaveris cujuſdam viri morte ſubitanea ſublati, reperiebatur vermis vivus in ipſamet cordis capſula. SPHERERIUS.

ARTICULUS XI.

Cor pericardio deſtitutum.

OBS. 722. Quidam ſex & ſexaginta annos natus, crebris *hæmorrhagiis* obnoxius, *aſthmate* prehenditur, acceſſit tibiæ ſiniſtræ tumor, tandem dehiſcens & aquam limpidam copioſam fundens, ſuperſtite aſthmate, comitibus crebris *lypothymiis*. Interea omnis denegatur decubitus, ſedili dies noctesque affixo. Sub hoc rerum ſtatu œdematoſi fiunt artus inferiores; & omnia in deteriora ruunt uſque ad mortem.

Ablato ſterno, cor nudum ſe exhibuit, aquis innatans; pericardio omnino deſtitutum, cujus ne minima exſtabant veſtigia. Pulmones contracti vertebris & diaphragmati arcto nexu cohærebant. BONETUS.

OBS. 723. Quædam mulier ventrem tumidum geſtabat; cum impprægnationis ſuſpicione; ſpe deluſa, in manifeſtum *hydropem* incidit. Variis interea ſymptomatibus, progrediente morbo, per triennium conflictata, tandem ultimum diem clauſit.

Suſcepta ſectione, & exhauſta colluvie aquarum, apparuerunt omnia abdominis viſcera materia quadam ſteatomatoſa incruſtata. Hepar erat ſemi-putridum, contractum & ſubnigrum. Pulmones grandinibus albis conſiti, coſtis & diaphragmati annectebantur. Cor demum pericardio plane denudatum occurrit. BARTHOLINUS.

OBS. 724. Juvenis jamdiu valetudinarius tan-

PERICARDIUM.

tandem incidit in tam vehementem *cordis palpitationem*, ut verberantis ictus diſtincte nonnunquam audirentur. Accedunt *animi deliquia*, *præcordiorum anguſtia*, *ſpiritus difficultas*, pulſus intermittens; ac tandem hydrops abdominis lethalis.

Omentum erat putridum; hepar magnum plurima pituita refertum; & pancreas durum. Cor vero magnum & amplum conſpicitur; ſed ſine pericardio, ullove, vel minimo illius veſtigio. Poſtremo, præter aſcitem, pulmones aquæ flavæ innatabant. TULPIUS.

OBS. 725. Inſtituta cadaveris ſectione cujuſdam, jampridem *pectoris* & *renum affectibus* conflictati; præter colluviem ſeroſam ad libras tres ſtagnantem in pectoris cavo, in propatulum veniebat pulmo coſtis adnatus. Cor vero non tantum ſua capſula deſtitutum occurrit; ſed exprimens in ſuperficie naturam palleſcentis ſeri. TULPIUS.

OBS. 726. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam fœminæ quatuor & quinquaginta annorum, infœcundæ, & cujus *valetudo* fuerat ſemper *lubrica*, in conſpectum veniebat cor pericardio plane orbatum, durum & ſiccum, cum ſuperficie aſpera & inæquali. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 727. Cadaver cujuſdam a *cane rabido demorſi*, exhibebat portionem quamdam pericardii ferme combuſtam, & quaſi in pulverem redactam; nulla remanente humiditate in prædicta capſula. Præterea ſinus cordis erant aridi & ſanguine deſtituti. CAPIVACCIUS.

OBS. 728. Luſtrato corpore cujuſdam *ſyncope* ſublati, nullum deprehendebatur pericardium. COLUMBUS.

De Pericardio aqua deſtituto. *Vide* obſervat. Lib. I. 600, 645, 969, 1394. Lib. II. 467, 546, 547, 695, 696, &c.

De pericardio cruſta intus obducto. *Vide* obſervat. Lib. II. 670.

- - - - gangrænoſo. *Vide* obſerv. Libr. II. 298, 758, 759.

- - - - abſumpto. Vide *Cor Putridum*.

SECTIO QUARTA.

DE PLEVRA.

ARTICULUS I.

Plevræ inflammatio.

PLEVRA.

OBSERVATIO 729. Miles viginti annorum ſæviſſima corripitur *pleuritide*. Febris erat intenſa. Sæviebat dolor lateris cum tuſſi inani, & ſumma ſpirandi difficultate. Septimo morbi die occubuit.

Luſtrato cadavere, plevra deprehenditur in ſiniſtro latere rubicunda & inflammata. Pulmo in tota ſua ſuperficie externa, cruſta quaſi lardeacea, facile digito ſeparanda, inveſtiebatur. Dextra thoracis cavitas prægreſſæ inflammationis pauciora exhibuit ſigna. Diſſecto pericardio, cor hirſutum & quaſi piloſum, ſimili cruſta tectum in copioſa aqua ſubflava natabat. CLAR. HASENOHRL.

OBS. 730. Vir quinquagenarius qui multos jam annos *lepra* in dextro femore laboraverat, angina prehenditur. Poſt biduum deglutiendi difficultas deſiit in *dolorem dextri*, cum

ſi, cum *tuſſi* ſicca, ingente ſiti, difficili decubitu in dextrum latus; & dolore quodam gravativo, qui zonæ inſtar, in ima pectoris parte percipiebatur. Febris erat mitis. Nono die occubuit.

Reſerato pectore, ejus ſiniſtrum cavum reperiebatur ſeri purulenti plenum, e quo concreverat quædam membrana plevræ adhærens, quæ inflammata annotatur. Levis erat pulmonum phlogoſis. VALSALVA.

OBS. 731. Exenteratis cadaveribus variorum, qui *pleuritide* periiſſe vulgo judicabantur; in conſpectum veniebant pulmones plerumque inflammati, & purulentia tacti; raro autem membrana coſtas ſuccingens inflammata deprehendebatur. ZECCHIUS.

OBS. 732. Examini anatomico ſubjectis corporibus nonnullorum *pleuritide*, uti videbatur, extinctorum, in propatulum veniebat plevra ſola phlogoſi tacta, ſi pulmo liber eſſet ab ejus connexu. Alias pulmones in conſenſum trahuntur. DIEMERBROEK.

PLEVRA.

OBS. 733. Inter diſſectionem variorum *pleuritide* denatorum deprehendebatur ſubcoſtalis tunica decuplo craſſior, quam ſolet eſſe. PLATERUS.

OBS. 734. Introſpectis cadaveribus nonnullorum *pleuriticorum*, morbus reperiebatur ſedem habens in membrana coſtas ſuccingente. VVILLISIUS.

Inter affines numerari debent obſervationes Lib. I. 683, 1169, 1565. Vide inſuper *Pulmonum inflammatio*.

ARTICULUS II.

Plevræ purulentia & putredo.

OBS. 735. Juvenis trium & viginti annorum, *ictericus* incidit in *febrem* vehementem epidemicam, cum *dolore lateris* & *difficili reſpiratione*. Dolor latus ſiniſtrum occupabat, cum *tuſſi* & *ſputo* flavo *ſubſequento*. Quarto die venter tumet, cum dejectionibus verminoſis. Quinto omnia exacerbantur; pulſu exili & convulſo. Tandem accedit delirium; & ſeptimo die interiit.

Pectus ſero ſubflavo ſcatebat. Plevra in latere ſiniſtro erat purulenta, & tabo quodam gelatinoſo conſpurcata. Simili ferme labe afficiebatur plevra lateris ſiniſtri. Præterea pulmo ſiniſter inflammatus animadvertitur, & variis notis gangrænoſis ſignatus. E DIARIO MEDICO.

OBS. 736. In cadavere cujuſdam pleuro-*peripneumonia* delirio ſtipata extincti, inveniebantur pulmones in dextro latere, ſterno & coſtis, ope plurium fibrillarum, adhærentes. In ſiniſtro liber ab ejuſmodi nexu pulmo fuit. Plevræ pars dextra ſuperne purulenta erat, & juſto craſſior. Dextræ pectoris cavitati inerat integra menſura puris fœtidi, obſcure flaveſcentis, & ſtriis ſanguineis cruentati; qualis etiam intra pulmones ipſos ſtagnabat. MURALTUS.

OBS. 737. Mulier *febre acuta*, cum *lateris dolore*, & *tuſſi* ſicca corripitur. Poſt quatuordecim dies morbus mitior videbatur; cum acceſſit lethum.

Inveniebatur pulmo a plevra omnino liber. In dextro latere tota plevra ab axillis ad diaphragma uſque inflammata occurrit. Abſceſſus autem ruptus conſpicitur ad quintam & ſextam coſtam; quæ binæ coſtæ, duorum digitorum latitudine erant plevra nudatæ. Pus vero in thoracis cavitatem modica quantitate effluxerat. DIEMERBROEKIUS.

OBS. 738. Puella *tuſſi* continua, & *ſpirandi difficultate* vexabatur. Exoritur *abſceſſus ſub axilla* dextra, quo aperto, pus copioſe per menſem effluxit, ſine magno levamine. Tandem, clauſo ulcere, ſymptomata acuta ſunt, uſque ad obitum.

Inciſo cadavere, ingens abſceſſus inter ple-

PLEVRA. plevram & coſtas invenitur, in quo pus copioſum repertum fuit. HILDANUS.

OBS. 739. In cadavere cujuſdam *pleuritide ſpuria & diuturna* defuncti, deprehendebatur abſceſſus magnus in plevra, & muſculis intercoſtalibus ſuppuratus; ac interius diſruptus; cum ingenti puris copia in thoracis cavo; quod diaphragma ſubſtractum corrodens, ingens in eo foramen excuderat. VVILLISIUS.

OBS. 740. Inſtituta ſectione cujuſdam mulieris *genuina pleuritide* extinctæ, in apricum veniebat plevra unius lateris phlogoſi tacta, & purulentia defœdata, pulmone prorſus illæſo. DIEMERBROEK.

OBS. 740. (*a*) Introſpecto cadavere cujuſdam genuina *pleuritide* ſublati, reperiebatur magna puris copia inter plevram & coſtas lateris ſiniſtri, nullo effuſo pure in cavum pectoris. CLAR. SAUVAGES.

In hoc ordine locum obtinent obſervationes Lib. I. 1571. Lib. II. 135, 680, 759, 777, 932. Præterea. Vide *Pulmonum inflammatio purulenta*, *conſumptio*. *Diaphragma purulentum*. *Colluvies ſordida*.

ARTICULUS III.

Plevræ gangræna.

OBS. 741. Juvenis vigeſimum quintum ætatis annum agens, poſt labores arduos *febre* corripitur, *dolore lateris* ſiniſtri acerbiſſimo, *tuſſi* ſicca, & *ſpirandi difficultate* ſtipata. Accedit tertio die phreneſis cum furore; & quinto ad plures migravit.

Plevra coſtas ſiniſtri lateris ſuccingens, & proximiorem diaphragmatis partem obtegens, phlogoſi tacta, livida & ſyderata deprehenditur. Pulmonis ambitus nonnullas etiam phlogoſeos notas exhibebat, cum pauca ſtagnante colluvie fœtidiſſima. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 742. Vir triginta annorum *febre* vehementi, cum *dolore lateris* ſiniſtri acutiſſimo, & ſumma *ſpirandi difficultate* prehenditur. *Tuſſis* exurgit *crebra*; ſed ſputa plane deſiderantur. Incaſſum omnibus adhibitis, vel exquiſitioribus præſidiis, circa octavum morbi diem e vivis deceſſit.

Autopſia anatomica patet pulmo ſiniſter inflammatus, extus nonnihil purulentus, & intus quaſi putridus, vicinioribuſque partibus firmiter hærens. Plevra ejuſdem mali conſors, gangrænæ notas præ ſe ferebat. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 743. Quidam *peripneumonia* laborabat, cui comes erat dolor lateris dextri, cum tuſſi & ſputo cruento. Sexto die ante obitum oborta eſt orthopnæa moleſta, cum pulſu debiliori. Interea tuſſis urget: ſputa livida & viridia excernuntur. Accedit mentis ſtupor, quem excipit lethum.

Inſtituta cadaveris ſectione, in conſpectum venit plevra dextri lateris livida, & ad gangrænam vergens. Præterea annotantur pulmones lividi, purulentia intus defœdati; cum quadam portione ſaturate rubra, & ſcirrhoſa. BURDELOTIUS.

OBS. 744. Quidam *pleuritide*, ſuis ſignis ſtipata, laborans, præ doloris vehementia inſomnes noctes ducebat. Tandem ſputo cohibito evanuit dolor, cum maxima ſanitatis ſpe. Poſtridie ſubito occubuit.

Inciſo cadavere, inveniebatur plevra in parte interna, tota fere nigrore perfuſa; quod ſignum eſt ſphaceli certiſſimum. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 745. In cadaveribus nonnullorum *pleuriticorum* deprehendebatur plevra ſyderata, & duplo craſſior, inculpatis pulmonibus. (Idem obſervarunt *Riolanus*, & *Proſper Martianus*). RIVERIUS.

Inter affines recenſeri debent obſervationes Lib. II. 224, 279, 300. Vide etiam *Pulmones gangrænoſi*.

A R-

ARTICULUS IV.

PLEVRA.

Plevra cartilaginea, vel oſſea.

OBS. 746. Vir ſeptimum ætatis luſtrum agens, *phthiſicus*, ſumma ſpirandi difficultate laborabat. Febris lenta inordinatas exacerbationes patiebatur. *Sputa ſordida*, & cruenta, ſaniei ſpeciem referebant. Interea moleſtiſſimis anxietatibus premebatur; donec tandem exhauſtis viribus, & urgente anhelitu, ad plures migravit.

Reſeratum pectus horrendam ſtragem exhibet. Pulmones ſcilicet putridi, & paſſim plevræ accreti colluviei ſanioſæ & fœtidiſſimæ innatabant. Plevra craſſior & denſiſſima, alteram pectoris compagem mentiebatur; tota equidem cartilaginea, oſſium duritiem circa præcordia aſſequebatur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 747. Vir quidam novem & quadraginta annos numerans, jampridem *pectoris anguſtia ſpirandi difficultate*, & *tuſſi* premebatur; donec tandem macie confectus, & phthiſicus, occubuit.

Introſpecto cadavere, inveniebatur plevra ſolito craſſior & denſior; atque circa anteriorem pectoris partem, ſiniſtram præſertim, mere oſſea animadvertebatur. E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 748. In cadavere cujuſdam *aſthmatici*, reperiebatur plevra in ſiniſtro latere, craſſiſſimam & oſſeam duritiem referens; adeo ut motus coſtarum ſpuriarum plane præpediretur. Pulmones vero erant inculpati. BRUNETUS.

In harum numero adſcribi debent obſervationes Lib. II. 855, 857.

ARTICUULUS V.

Plevræ tumores, & tubercula.

OBS. 749. Puer de *dolore pectoris obtuſo*, per plures menſes, querebatur, cum *ſpirandi difficultate*; qua ſenſim aucta omnis præpediebatur decubitus. Poſtremo poſt liberaliorem paſtum ſubito ſuffocatus periit.

Recluſo thorace, moles quædam carnea plevræ, & coſtis proxime adhærens invenitur; quæ diſſecta duo oſſicula illis perſimilia, quæ in corde cervi reperiri ſolent, exhibuit. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 750. Quidam levi *ſpirandi difficultate* laborabat, quæ ſenſim per tres menſes gravior & moleſtior evadit. Dein accedit *tumor hypochondrii dextri* quem ſequitur *icterus*. Progrediente morbo quinto menſe obiit.

Reperitur in dextro thoracis latere tumor ingens plevram occupans, & dimidium fere hujuſce lateris replens; cujus ratione pulmo comprimebatur, & deorſum propellebatur diaphragma, una cum hepate. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

His ſubjungere licet obſervationes Lib. I. 1505. Lib. II. 66, 610, 840. Lib. III. 16.

PLEVRA.

ARTICULUS VI.

Plevræ hydrops.

OBS. 751. In cadavere *phthiſici* triginta annorum, qui de difficili decubitu in latus ſiniſtrum querebatur, deprehenditur in cavitate thoracis dextra ſaccus tenuis & pellucidus, pulmoni in anguſtiſſimo ſpatio coarctato incumbens; qui continebat aquæ ſubflavæ inſipidæ libras octo. Bronchia inſuper plena erant materia quadam purulenta. CLAR. STORCK.

OBS. 752. Inter ſectionem cujuſdam *hydrope pectoris* ſublati, reperiebatur aquæ ſubviridis copia inter plevram, a coſtis diſcedentem, & muſculos intercoſtales. Saccus hinc emergens totum ferme pectoris cavum ſiniſtrum replebat; pulmone mire compreſſo: pericardio etiam aqua ſcatente. Alter pulmo ulceroſus fuit. CLAR. HALLERUS.

De plevra craſſiſſima. Vide obſervationes Lib. II. 177, 203.

SECTIO QUINTA.

DE MEDIASTINO, THYMO, &c.

ARTICULUS I.

Mediaſtinum adipe obrutum.

MEDIASTINUM.

OBSERVATIO 753. Vir quinquagenario major, alias ſanus, multis abhinc annis moleſtiſſima *ſpirandi difficultate* laborabat, qua, vel levi motu corporis, exacerbationes patiebatur. Tandem ſuffocatus interiit.

Inſtituta cadaveris ſectione, in conſpectum veniebat mediaſtinum copioſiſſima pinguedine ſuffarctum. Simili ferme modo afficiebatur pericardium; adeo ut pulmones hac mole compreſſi, & coſtis affixi ſolitam dilatationem aſſequi minime potuerint. E MISCELL. CURIOS.

OBS. 753. (*a*) Secto cadavere cujuſdam juvenis *phthiſici* videbantur glandulæ meſenterii præterquam tumidæ, & pancreas induratum. Pulmones putredine afficiebantur, & mediaſtinum obruebatur mole adipoſa, tres quatuorve libras pendente, qua comprimebatur arteria aorta, quæ etiam e ſitu nativo dimota apparebat. PORTAL.

Pro affinibus haberi debent obſervationes Lib. II. 464, 465, 626, 897.

ARTICULUS II.

Hydrops mediaſtini.

OBS. 754. Quædam mulier ab hauſto aere frigido, illico correpta eſt *ſpirandi difficultate*, cum *febre* acuta, *tuſſi* moleſtiſſima & *ſputo cruento*. Sequitur *ſenſatio gravis ponderis* in medio thoracis, cum ardore quodam interno. Dein accedit dolor circa claviculam dextram, cum maxima *cordis palpitatione*. Die tandem morbi vigeſimo primo, dum melius ſe habere videbatur, ſubito in terram exanimis concidit.

Cadaver cultro anatomico ſubjectum exhibebat mediaſtinum copiam ſeri ſanguinei continens, inter ſcilicet binas laminas quibus conflatur. Præterea occurrit univerſa pulmonis ſubſtantia pure ſordida. RIVERIUS.

De hacce mediaſtini læſione mentio etiam ſubjicitur in obſervatione Lib. II. 213.

ARTICULUS III.

Mediaſtinum inflammatum, & purulentum.

OBS. 755. Quædam *febre continua* corripitur, cum ſiti immani, & *æſtu pectoris*. Nullus erat dolor vehemens, niſi quod in ſterno anguſtiam vel offendiculum quoddam inſpirando, potius quam dolorem perſentiebat. *Tuſſis* initio erat ſicca, & poſtea humida. *Sputa* erant flava, & *nonnihil cruenta*. Poſtremo inter quamdam morbi remiſſionem accedunt lypothymiæ; & nono die extinguitur.

Luſtrato cadavere, inventus fuit in mediaſtino tumor quidam inflammatorius, ſatis notabilis magnitudinis, qui etiam communicabatur pericardio. SALIUS DIVERSUS.

OBS. 756. Vir conſiſtentis ætatis, poſt *repulſum* diuturnum *herpetem*, in abdomine ſitum, *dolore* in anteriore *pectoris* parte ex improviſo corripitur, quem brevi ſequitur *ſpirandi difficultas*, cum virium dejectione. Morbo ingraveſcente, dolor ad collum & ad ſiniſtram aurem propagatur. Accedit vomitus materiarum nigrarum, cum tuſſicula. Urget ſuffocatio; ac intra biduum extinguitur.

Mediaſtinum totum cruore nigro, & in grumos coacto, ſuffuſum deprehenditur. Præterea in tantam creverat craſſitudinem, ut digitos tres æquaret. Siniſter pulmo ſanguine diſtentus erat. BONETUS.

OBS. 756. (*a*) Quidam *repulſo* jamdudum *herpete*, *dolore* corripitur in antica *pectoris* parte; qui ad collum & aurem ſiniſtram propagatur. Interea erumpit *vomitus materiarum nigrarum*; exſurgit febricula; & ingruente ſomno, obiit.

Pulmo ſiniſter cruore infarctus deprehenditur; mediaſtinum tres digitos craſſum & lividum vaſa cruore nigro turgentia exhibebat. CLAR. SAUVAGES.

OBS. 757. Quidam inflammatione pectoris laborans, quoties quieſcere ſupinus cupiebat, ſtatim animi deliquio corripiebatur. Procedente morbo brevi fatis ceſſit.

Inter ſectionem cadaveris, in conſpectum veniebat mediaſtinum tumens, & phlogoſi tactum. PANAROLUS.

Traditis ſubnectere licet obſervationes Lib. I. 1565, Lib. II. 317, 398.

MEDIASTINUM.

ARTICULUS IV.

Mediaſtinum putridum, & gangrænoſum.

OBS. 758. Fœmina quadraginta annos nata, *peſte* corripitur, nulla conſpicua eruptione. Febris erat ardens, ſopore quodam lethargico ſtipata. Tertio morbi die e medio tollitur.

Reſerato pectore, reperitur mediaſtinum gangrænoſum & dilaceratum. Pericardium lividitatem gangrænoſam etiam præ ſe ferebat. Cor ſanguine atro & glutinoſo diſtendebatur. Hepar mole majus lividum occurrit, cum puſtula gangrænoſa circa veſiculam felleam, atra bile turgentem. DEIDIER.

OBS. 759. In cadavere cujuſdam *phthiſici* nullum fere invenitur mediaſtini veſtigium; cujus loco plurimæ veſiculæ pure livido turgidæ in conſpectum veniebant, cum proximiorum cartilaginum carie. Pulmones fere conſumpti plevræ putridæ adnati erant; quibus materia tartarea intertexta erat abſque pure. Pericardium variis in locis perforatum erat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 760. Puer duodecim annorum ob diuturnam ægritudinem jamdudum lecto affixus, tandem *phthiſicus* obiit.

Autopſia anatomica patet mediaſtinum putrefactum. Pulmones albicantes innumeris puſtulis undique ſcatebant, & pus craſſum continebant. Pericardium aquæ copiam recondebat. Hepar erat puſtuloſum; atque inteſtina maculis lividis ſignata deprehendebantur. BLANCARDUS.

Similis læſionis exempla proſtant in obſerv. Lib. II. 153, 164.

ARTICULUS V.

Thymus tumens, & ſcirrhoſus.

OBS. 761. Puer quindecim annos natus, de *difficultate reſpirandi*, *tuſſi* crebra, & totius corporis emaciatione querelas movebat. Pulſus erat frequens, & ſputum purulentum. *Febris lenta* exacerbatur; ingruit *vomitus*; vires deficiunt; & in ſomnolentiam incidit, quam excipit lethum.

Introſpecto cadavere, deprehendebatur omentum ſcirrhoſum & putridum. Pulmones ſimili labe tacti, diaphragmati firmiter annectebantur. Thymus etiam erat ſcirrhoſus & nigricans. Pericardium ichore flavo turgebat. HARDERUS.

OBS. 762. Puella triennis poſt horrendum clamorem *inſultu epileptico* corripitur; quem excipit *vomitus* pituitoſus. Interea in *tuſſim* quamdam epidemice graſſantem incidit; quæ poſt ſe trahit *ſpirandi difficultatem* cum ſuffocationis metu. Tandem ingraveſcente morbo ultimum diem clauſit.

Aperto pectore, pulmones toti coaliti inventi ſunt coſtis, e quibus avelli ſine dilaceratione non poterant. Thymus duriſſimus, & quaſi oſſeus repertus eſt. BINNINGERUS.

OBS. 763. In cadavere cujuſdam pueri *ſcrophulis* enecati, præter viſcerum abdominalium vulgatiſſimam ſtragem, occurrebat in pectore thymus mole maximus, & ſcirrhoſus. Pulmones etiam ſcirrhoſi reperiebantur, tuberculoſi, involucroque craſſiſſimo & quaſi calloſo inſtructi. E NOST. ADVERSAR.

OBS. 763. (*a*) In cadavere puellæ ſexennis *ſcrophuloſæ*, præter glandulas cervicis ſtrumoſas, in conſpectum veniunt pul-

mones;

mones ulceroſi. Thymus apparuit mole major & totus ſcirrhoſus. Præterea annotatur cyſtis ovi columbini mole, cujus robuſtiſſimæ tunicæ pus recondebant, œſophago adnata. CLAR. HALLERUS.

OBS. 763. (*b*) Puer bimulus thoracem quam ætati par erat ampliorem gerens convulſionibus prehenſus fatis ceſſit.

Aqua ſtagnabat in thorace; pericardium ſero pariter turgebat; thymus ſtupenda erat mole, & in quadam cavitate, cui profpiciebant ductus perquamplurimi, ſerum nigreſcentem fovebat. PORTAL.

OBS. 764. Rimatis cadaveribus nonnullorum *ſyphilideorum*, qui dum viverent dyſpnæa laborabant, thymum infarctum & tumeſcentem reperiit PAULI. MEDIASTINUM.

OBS. 765. Inter ſectionem variorum *rachiticorum*, deprehendebatur thymus ingens, & ſcirrhoſus. GLISSONIUS.

Hunc ordinem ſubeunt obſervationes Lib. I. 522, 1637. Lib. II. 69, 448, 618, 851, 224, (*a*).

ARTICULUS VI.

Thymus putris.

OBS. 766. Juvenis octodecim annorum, *lue venerea* affectus, poſt hydrargyroſim incaſſum adhibitam, in *febrem lentam* incidit, tuſſi moleſtiſſima ſtipatam. Imminente maraſmo, accedit *pectoris anguſtia*. Tandem erumpunt ſudores colliquativi; & viribus exhauſtis obiit.

Corpore exenterationi tradito, conſpiciebantur pulmones infarcti & tuberculoſi colluviei ſordidæ innatantes. In conſpectum venit thymus putredine defœdatus, contaminatis vicinioribus partibus, & præſertim œſophago. Hepar nonnihil putridum occurrit. Epiploon ſimili labe tactum annotatur, cum ſtagnatione colluviei ſeroſæ. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 767. Secto cadavere cujuſdam juvenis *phthiſici*, præter vulgatiſſimam pulmonum ſtragem, larynx & trachea ulcus ſordidum, intus ſitum, exhibebant. Thymus erat purulentia & putredine ferme abſumptus, cum œſophagi aliarumque vicinarum partium læſione. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 768. Inter ſectionem cujuſdam *lue venerea* jamdudum laborantis, cum oris inſigni fœtore, deprehendebatur thymus, major quam par erat, & putridus. PAULI.

Hujuſce defœdationis exemplum præbet obſervatio Lib. IV. 81.

ARTICULUS VII.

Thymus calculoſus.

OBS. 769. Puella decennis *ſcrophulis* conflictata conquerebatur de *tuſſi* frequenti, cum *ſputis purulentis*. Pulſus explorabatur celer & frequens: urgebat *ſpirandi difficultas*. Pergente morbo ſenſim macie conficitur; ac tandem viribus exhauſtis, vitam morte commutavit.

Inſtituta cadaveris ſectione, deprehenſum eſt ſerum flavum & copioſum in utroque pectoris latere. Pericardium ſimili col-

MEDIASTINUM. colluvie ſcatebat. In apricum veniebat thymus maximus, durus, calloſus & ſubatrus. Pulmo ſiniſter calculos plures exhibuit: dexter vero purulentus & calculoſus inveniebatur. MANGET.

ARTICULUS VIII.

Ductus thorachici læſiones.

OBS. 770. Juvenis duorum & viginti annorum *febre* quadam *maligna* epidemica laborabat. Sæviebat *cardialgia*. Urgebat *ſpirandi difficultas*, cum *dolore lateris*. *Sputa* excernebantur viſcida, & *cruenta*. Interea accedentibus nauſea & vomitu, *tumet epigaſtrium*, & erumpit immanis *alvi fluxus*. Hæc ſymptomata excipiunt circa ſextum diem convulſiones, quæ brevi miſellum ægrum illuc mittunt unde negant redire quemquam.

Secto abdomine, patet meſenterium obſtructum & variis notis lividis, & gangrænoſis ſignatum. Ductus thorachicus, aliaque receptacula, latice fuſco ſubviridi turgentia paſſim gangrænoſa conſpiciebantur. Similem ferme labem oſtendebant ventriculus & inteſtina; nec hac immunes erant pulmones. ROZE.

OBS. 771. Examini anatomico traditum cadaver cujuſdam pueri duodecim annos nati, & *affectu ſcrophuloſo* conflictati, præter vulgatiſſimas meſenterii, pancreatis, aliorumque viſcerum abdominalium læſiones, exhibebat receptaculum pequetianum, & ductum thorachicum, ſupra modum conſpicua, & ſarcomatibus tuberculoſis undique obſita. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 771. (*a*) Aperto cadavere cujuſdam ſtrumoſi, macie confecti, in conſpectum veniunt glandulæ meſenterii nucem moſchatam æquantes, & materia gypſea turgidæ. Chyloſa vaſa & præſertim ductus thorachicus triplo ſolito majora videbantur, & eadem materia infarciebantur. PORTAL.

Conſimiles caſus præbent obſervationes Lib. I. 522, 1648. Vide *Hydrops lacteus pectoris*, & *abdominis*.

ARTICULUS IX.

Aortæ vitia.

OBS. 772. Sexagenarius vir quidam palpitationibus cordis & arteriarum carotidum laborabat, cum ſumma *ſpirandi difficultate* quam preſſo pede ſequitur macies lethalis.

Reſerato cadavere, cor ingens & ſanguine concreto infarctum apparet; aortæ pars, quæ vulgo aſcendens dicitur, inſtar inteſtini coli erat dilatata; arteriæ carotides & ſubclaviæ hujus dilatationis erant participes; tenuiſſimi earum erant parietes, luci obverſi maxime pellucebant; eodem volumine gaudebat aortæ pars deſcendens ſuperior, licet cavitas ejus interna ſolito ſtrictior foret; tuberculoſi erant paſſim parietes a ſummo fere aortæ arcu ad diaphragma uſque; aqua ſtagnabat inter prædicta tubercula & undatim parietes intus depellebat; in abdomine anguſtiſſima erat aorta, & in capite plexus choroides ſanguine turgebant. PORTAL.

OBS. 772. (*a*) Sexagenaria major jamdiu *difficili reſpiratione* agebatur, nonnunquam

quam accedente *cordis palpitatione*. Tandem lecto inhærere cogitur, noctibus inſomnibus. Pulſus parvus, inæqualis & intermittens nonnunquam oblitteratur, cum extremorum frigore. Interea ſæviebat ardor in pectore, & cordis motus tremulus percipiebatur. Accedente demum animi deliquio, e medio tollitur.

Pulmones deprehenduntur nigri & graves. Siniſter cordis ventriculus ſumme diſtentus concretionem polypoſam quatuor uncias ad minimum pendentem continebat. Arcus aortæ fuit perfecte oſſeus & craſſus; tranſitus autem adeo anguſtus, ut nec parvus digitus intromitti potuerit. CLAR. STORCK.

OBS. 772. (*b*) Quinquagenarius, poſtquam vitam laborioſam cum otioſa commutaſſet, in hydropem incidit, e quo evaſit. Poſt quatuor annos, *ſpirandi difficultate*, *tuſſi* & ſputo purulento corripitur, cum *præcordiorum anguſtia*. Dein venter & pedes œdematoſe tument; urget orthopnea, qua tandem e vivis rapitur.

Ventriculus mire erat conformatus; tres ſcilicet diſtinctos ſaccos conſtituebat. Pancreas erat ſcirrhoſum. Pulmones undique accreti pure ſcatebant. Aorta vero e corde ad carotides & iliacas intus exhibet ſquammas oſſeas quæ interiorem tunicam quaſi referebant. CLAR. BAADERUS.

MEDIASTINUM.

Inter affines tranſcribi debent obſervationes Lib. I. 1024. Lib. II. 413, 416, 420, 427, 433, 433, 658, 850, 881. Lib. III. 468.

De Mediaſtini defectu. *Vide* obſervationes Lib. I. 216.

De Diſruptione ductus thorachici. *Vide Colluvies lactea pectoris*.

De Aorta plus æquo dilatata. *Vide* obſerv. Lib. II. 900.

Aneuriſma & cordis læſiones.

- - - - anguſtiori. Vide *Cordis læſiones*.

- - - - purulenta, *Vide* obſerv. Libr. II. 517, 655, 667.

SECTIO SEXTA.

DE DIAPHRAGMATE.

ARTICULUS I.

Diaphragma inflammatum.

OBSERVATIO 773. Vir ſeptem & quadraginta annorum *paraphrenitide* corripitur. Variis, ſerius quam par erat, adhibitis præſidiis, acceſſit pro more *riſus ſardonicus*; & quinto die obiit.

Inſtituta cadaveris ſectione, reperitur univerſum diaphragma, maxime prope ejus capita, inflammatum, cum variis gangrænæ notis. Præterea cruſta quædam tenax pulmones affligebat ad membranam coſtas ſuccingentem, diaphragma & pericardium. CLAR. HAEN.

OBS. 774. Quædam virgo acerbiſſimis *doloribus* cruciabatur *verſus coſtas mendoſas*, & alam ſiniſtram, cum *febre vehementi* & *delirio*. Perſiſtente morbo intra paucos dies fatis ceſſit.

DIAPHRAGMA.

Inter exenterationem cadaveris inventum eſt ſeptum tranſverſum in anteriori parte inflammatum, & purulentia defœdatum. BONETUS.

OBS. 774. (*a*) Cultro anatomico ſubjectum cadaver cujuſdam *phrenetici* exhibebat

DIA-PHRAG-MA.

bat diaphragma gravi inflammatione correptum; ſimiliter afficiebatur hepatis pars interior. BLASIUS.

In hac ſerie locum aſſequi valent obſervationes Lib. I. 100, 603, 1522, 1565.

ARTICULUS II.

Diaphragma exulceratum, & purulentum.

OBS. 775. Virgo undecim annorum *ſæviſſimis doloribus* vexabatur, *qui regionem ſub ala ſiniſtri lateris*, & *coſtas mendoſas* occupabant; ac interdum ad thoracis vertebras, vel ad imum ventrem exporrigebantur. Sæpe motibus convulſivis tentatur, & non raro *ſuffocari* videtur, cum *tuſſi* & *delirio* per vices recurrente; vigente *febre* continua, cum lotio craſſiori; die quadrageſimo quarto a morbi invaſione obiit.

Inventum eſt ſeptum tranſverſum in anteriori parte ſuppuratum ulcuſculis refertum. Quemadmodum tota plevra contaminata & relaxata; cum abſceſſu manifeſto ſub ala ſiniſtra, in parte interiori, non diſrupto. LÆLIUS A FONTE.

OBS. 776. Nobilis mulier omnia *ſigna vera geſtationis* per tres fere annos ante obitum habuit. Circa tertium annum macilenta evadit. Frequentibus *animi deliquiis* conflictatur, cum *ventris doloribus*, & gravitate circa pubem. Ingruunt poſtea *cardialgiæ*, & *convulſiones*, una cum vomitu, aliiſque ſymptomatibus, uſque ad interitum.

Pulmones erant ſemi-putridi; & ſeptum tranſverſum ulcere quaſi totum corroſum. Meſenterium partim putreſcens. Uterus inſuper magnus videbatur, & humore craſſiſſimo albo repletus. Præterea ſtagnabat in abdominis cavo materia quædam flava & ichoroſa ad quatuor & viginti libras. CRUCIUS.

OBS. 777. In cadavere cujuſdam *aſthmatici* reperiebatur in cavitate pectoris præſertim dextra, ingens aquæ fœtidæ copia, cujus acrimonia tota diaphragmatis ſuperficies, una cum plevra, exulcerata erat & eroſa. Pericardium etiam continebat aquæ ſex vel ſeptem cochlearia. BARTHOLINUS.

OBS. 778. Quidam juvenis *febre* prehenditur, *lateris* & capitis *dolore* ſtipata. Quinto die accedit *ſpirandi difficultas*; & ſeptimo die occubuit.

Luſtratum cadaver exhibet ulcus in parte læva & laceroſa diaphragmatis; cum maxima aquæ ſordidæ copia, in pectoris cavo ſtagnantis. CRENDAL.

Hanc claſſem ingrediuntur obſervationes Lib. I. 1434, 1571. Lib. II. 378.

ARTICULUS III.

Diaphragma perforatum.

OBS. 779. Vir quinquagenarius poculis indulgens, variis *doloribus*, quaſi *rheumaticis*, obnoxius, nullo prævio alio ſymptomate, *vomitu* corripitur *enormi*, una cum *ſpirandi difficultate*; quæ ſubito ingraveſcens ægrum intra horæ quadrantem ad plures mittit.

Pulmo ſiniſter, alias ſanus, innatabat colluviei ſordidæ, multum diſcrepanti ab humore ſtagnari ſolito. Exhauſto hoc liquo-

quore, patet diaphragma perforatum & dilaceratum; quo foramine recipiebantur laciniæ corporis cujuſdam membranacei putridi, quod nil aliud erat quam portio ventriculi in diaphragmatis hiatum, herniæ inſtar, adacta. Secto abdomine in conſpectum venit ventriculus inflammatus & gangrænoſus: pars diaphragmatis huic proſpiciens ejuſdem mali erat conſors. Haud abſimilis etiam læſionis erat particeps proximior hepatis lobus. Hinc intelligitur ingreſſus ingeſtorum ad pectus. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 780. Quidam *peripneumonia* graviſſima laborans, tandem *phthiſicus* evadit. Dolorem profundum in latere dextro patiebatur; & ſumme fœtebant *ſputa ſordida*, & purulenta. Dein incidit in *fluxum alvi* colliquativum, nauſeis ſtipatum. Tandem poſt tres menſes, *febre lenta*, & macie confectus obiit.

Reperitur pulmo dexter plevræ & diaphragmati accretus. Pars hujuſce viſceris diaphragmati incumbens materiam purulentam recondebat, quæ viam ſibi paraverat trans diaphragma ab hepate, quod tres pollices excavatum reperitur. EX ACT. EDIMBURGENSIB.

DIAPHRAGMA.

OBS. 781. Vir duorum & quadraginta annorum, cum a tribus circiter annis *renum & dorſi doloribus* tentaretur; arenulas quoque rubras copioſe cum urina excerneret, comitante vomitu, *calculoſus* judicabatur, derepente obiit.

Siniſtrum pectoris latus exhibet concretum ſanguinem ad menſuras tres. Diaphragma inibi perforatum deprehenditur, quod pertranſivit caro quædam putrida, nigricans & corrupta, quæ nil aliud erat quam pancreas ſumme labefactatum. Viciniores vertebræ fœtidiſſima carie lædebantur. Renes etiam nigerrimi & putridi occurrebant. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

Traditis ſubnectere licet obſervationes Libr. I. 142, 220, 510, 511, 712, 718, 1123. Lib. II. 838. Lib. IV. 87.

ARTICULUS IV.

Tumores diaphragmatis.

OBS. 782. Vir quinque & quinquaginta annorum *pectoris anguſtia* & *reſpirandi difficultate* afficiebatur. Haud tuſſiebat; nullaque erat inflammationis ſuſpicio. Poſt multos labores, tandem ingraveſcente orthopnæa de medio tollitur.

Aperto cadavere, objecit ſe corpus quoddam, conſtans craſſiore tunica, continente aquæ fœtidæ uncias circiter quadraginta. Aquæ innatabant filamenta quædam oblonga, quæ digitis contrectata, etiam in latitudinem quamdam deduci poterant. Enaſcebatur hic tumor tunicatus e lumborum vertebris, quibus bini diaphragmatis proceſſus implantantur. KERKRINGIUS.

OBS. 783. Puer quinquennis febre, virium defectu ſtipata, corripitur. Interea exſurgit *bubo peſtilentialis* in axilla dextra. Lingua ignea nigricabat; erumpunt exanthemata per totum corporis habitum. Ac tandem fatis ceſſit.

Occurrit puſtula, carbunculi inſtar, gangrænoſa in parte tendinoſa diaphragmatis, hepati proſpiciente. Ventriculus & inteſtina maculis gangrænoſis erant ſignata, & bilem atro viridem continebant. Pulmones varias maculas purpureas exhibebant. COUZIER.

OBS. 784. Rimato corpore cujuſdam *aſthmatici*, reperitur ſupra diaphragma ſteatoma pugni magnitudine. Moleſti ponderis, & difficilis reſpirationis, de quibus querebatur æger, cauſam præbebat hic tumor. VESLINGIUS.

OBS. 785. Exenterato cadavere cujuſdam juvenis *tabe* extincti, in conſpectum venie-

DIAPHRAGMA.

veniebant tumores duri, diaphragmatis radici infixi. FERNELIUS.

OBS. 786. Inſtituta cadaveris ſectione cujuſdam viri *lue venerea* ſublati, deprehendebatur diaphragma puſtulis obſitum. GESNERUS.

Hunc ordinem ſubire queunt obſervationes Lib. I. 1505, 1682.

ARTICULUS V.

Nodus in nervo diaphragmatico.

OBS. 787. Puer ſexennis, inſiliente in ſe cane, ita terretur, ut integro triduo convellatur; horrendoſque poſtmodum *epilepſiæ* inſultus fere quotidie patiatur. Morbus ſpatio ſex annorum adeo exaſperatur ut pluries, vel vigeſies, intra nychtemeri ſpatium recurrerent paroxyſmi, nonnunquam ferociſſimi. Inſultum excipiebat ſudor fœtidiſſimus & glutinoſus. Accedit *hœmorrhagia narium*. Acceſſiones frequentiores erant inter ſomnum. Irritis omnibus præſidiis ad opium caute devenitur, quo ſenſim fugantur paroxyſmi. A tribus menſibus integra fruebatur valetudine puer, cum erumpit *tumor in inguine*; & paulo poſt *dyſenteria* rapitur.

Luſtrato cadavere patuit tumorem in inguine fuiſſe ingentem abſceſſum. Reſerato pectore reperiebatur nodus durus nervo diaphragmatico, in medio ſuo itinere, arcte circumdatus: alius ſimilis occurrebat prope diaphragma. Inſuper thalami nervorum opticorum erant emarcidi. CLAR. HAEN.

ARTICULUS VI.

Cruſta hærens diaphragmati.

OBS. 788. Inſtituta ſectione cadaveris cujuſdam viri multis abhinc annis, *aſthmate* quaſi continuo conflictati, & inter graviorem paroxyſmum denati, in propatulum veniebat materia quædam lenta & viſcida, cruſtæ inſtar digiti craſſitiem æquantis, ſuperiori diaphragmatis parti inſidens, & hærens. BONETUS.

Circa hanc læſionem. Vide *Pulmones cruſta obducti*.

ARTICULUS VII.

Diaphragma oſſeum.

OBS. 789. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam ſenis *derepente defuncti*, deprehendebantur pulmones tuberculis, quaſi calcareis, referti; & undequaque adnati. Trachea arteria extus exhibebat tumorem nucem moſchatam, figura & magnitudine referentem, ſimili materia calciformi fœtum. Diaphragma inter pulmonem dextrum,

trum, illi continuum, & hepar totum tangebatur cartilagineum vel oſſeum; adeo ut flexum frangeretur cum ſonitu. EX ACTIS PETROPOLITANIS.

DIAPHRAGMA.

ARTICULUS VIII.

Diaphragma extra ſedem.

OBS. 790. Vir quidam conſiſtentis ætatis de *pectoris anguſtia* jamdudum querebatur, a levi motu ingraveſcente, ſub inſultus aſthmatici facie. Rebus ſic ſe habentibus, tandem ſubitanea morte extinguitur.

Aperto cadavere, reperiebatur pectoris cavum anguſtius quam par eſſet, ob pravam conformationem, vel altiorem diaphragmatis ſitum; quod pulmones ultra modum comprimebat: hinc horum ſubſtantia denſior & quaſi ſcirrhoſa deprehendebatur. DIONIS.

OBS. 791. Introſpecto cadavere cujuſdam *hydropici*, diaphragma, ob ingentem molem aquæ in abdomine ſtagnantis, ad jugulum fere repellebatur; mire compreſſis corde & pulmonibus. SAXONIA.

ARTICULUS IX.

Defectus diaphragmatis.

OBS. 792. Puer *aſthmate* chronico, & *frequenti tuſſi* ab incunabulis vexatus, tandem ſeptimo ætatis anno extinguitur.

Cadavere cultro anatomico ſubjecto, nullum reperiebatur diaphragma, deſiderabatur etiam mediaſtinum. Pulmones vero a ſolita forma degeneres unicum lobum præbebant. DIEMERBROEK.

De Diaphragmate granuloſo. *Vide* obſerv. Libr. I. 265.
- - - - ſtrumoſo. *Vide* obſerv. Lib. II. 1576.
- - - - ſphacelato. *Vide* obſerv. Lib. I. 812.

SECTIO SEPTIMA.

DE TUMORIBUS IN PECTORE.

ARTICULUS I.

Anevriſma internum.

OBSERVATIO 793. Fœmina quadragenaria, *poſt caſum*, ſæpius de *cordis palpitatione* queritur; & paulo poſt de *dolore pulſante in pectoris latere ſiniſtro &* TUMORES.

TUMORES.

poſtico, prope hypochondrium: hinc pectoris anguſtia, & tuſſis ſicca. Elapſo anno integro, erumpit e parte affecta tuberculum mole & pulſans, qui dein abit in *tumorem*, ovo gallinaceo paulo majorem. Poſtea *ſputa* fiunt *purulenta*, & fœtida. Accedunt *febris* & *anxietates*: tuſſis exacerbatur: noctu erumpunt ſudores copioſi & grave olentes, cum vigiliis & *cordis palpitationibus*. Octo diebus ante mortem penitus ceſſarunt cordis palpitationes; & dorſi tumor anevriſmaticus fere totus diſparuit; neque amplius pulſavit. Nulla demum obſervata fuit inordinatio in pulſu.

Inciſo cadavere, pulmo craſſa & glutinoſa cruſta circumdatus occurrit; atque in ipſa ſubſtantia numeroſæ vomicæ, & multa ulcera, deprehendebantur. Aſpera arteria pure craſſo erat infarcta, & pericardium colluvie aquoſa multum diſtendebatur. Aorta vero ſupra diaphragma ſaccum ingentem coſtis carioſis, & partibus vicinis hærentem, tumoremque in dorſo efformantem exhibebat. Coſta quinta ab inferioribus numero ducto, erat disfracta, cum vertebris carie læſis. STORCK.

OBS. 794. Quinquagenarius *doloribus in abdomine*, qui *ad pectus* propagabantur, acerbiſſimis, cum *convulſionibus* & ſuccedentibus *lypothymiis*, jam a decennio angebatur. Pluries inter annum recurrebant paroxyſmi, extra quos de dolore continuo circa dorſum & pectus querebatur. Tandem inſultu ferociori, e medio tollitur.

Occurrit in ſiniſtro pectoris cavo coagulum ſanguinis, pondo ſex librarum, quo ſublato in apricum venit tumor aortæ, & alterius arteriæ intercoſtalis ſiniſtræ, ſupra diaphragma ſitus, cum carie proximioris vertebræ. Secto tumore, innoteſcit anevriſma legitimum, utramque arteriam occupans. Oſtium arteriæ intercoſtalis læſæ ſumme dilatatum, digitum medium excipiebat. Dilaceratus inſuper conſpiciebatur ſaccus aortæ, qui in majorem ambitus partem craſſiſſimus obſervabatur. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 795. Vir conſiſtentis ætatis, jampridem *affectione hypochondriaca* laborabat; cujus paroxyſmi ſumme procelloſi majorem incutiebant terrorem. Exordium capiebant a quibuſdam *doloribus* ſepultis *in abdomine*, *tumente epigaſtrio*. Tum pulſus exiguus & convulſivus deprehendebatur: dein dolores ad pectus ſe diffundebant cum maxima *præcordiorum anguſtia*: mens interea obnubilabatur, cum aſpectu torvo. Tantam demum exercebant tyrannidem dolores ut æger furibundus, convulſionibus horrendis torquebatur: ſuccedente animi deliquio quod paroxyſmi ſolutionem denuntiabat. Paroxyſmum accerſere ſolebant quævis graviores mentis perturbationes; qui alias ter quaterve intra anni curriculum ingruebant. Inter inducias derepente ſuffocatus interiit.

Introſpecto cadavere, reperiebatur in ſiniſtro pectoris cavo ingens ſanguinis congrumati maſſa. Aorta ſupra diaphragma anevriſma diſruptum exhibebat, cum carie vicinarum vertebrarum. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 796. Quædam mulier ſexagenaria jamdiu *tuſſi*, interdum *difficili reſpiratione* laboraverat. Tandem erumpit *tumor pulſans ſub clavicula dextra*, qui intra tres menſes duorum pugnorum magnitudinem ſuperavit, cum dolore quodam acri. Interea ingraveſcit ſpirandi difficultas: pulſus debilis exploratur, cum difficili decubitu & quaſi impedita deglutitione. Tandem ultimum diem clauſit.

Stagnabat colluvies ſeroſa in utroque pectoris latere. Pulmones contracti, vel depreſſi, tubercula purulenta cum nonnulla ſanie recondebant. Pericardium aqua replebatur. Cor duplo majus, aliquanto inferius quam ſolet collocatum conſpicitur. Aorta vero oblongum & ingens anevriſma ex ſe producebat; quod etiam occupabat principium ſubclaviæ, & carotidis dextræ. Carie eroſis proximioribus claviculæ dextræ, ſterni & coſtarum partibus, viam ad exteriora ſibi paraverat prædictus tumor. VALSALVA.

OBS. 797. Quinquagenarius vino deditus, *tumorem* geſtabat in *ſuperiori & dextra pectoris parte*, cum *pulſatione manifeſta*. Spirandi difficultate premebatur, præſertim dum loquebatur, vel ambulabat. Facies erat tumida; vox obſcura & rauca; cum ſputo craſſo. Tandem derepente moritur.

Reſerato pectore, præter tumorem prominentem inter axillam dextram & ſternum, a quarta coſta ad claviculam per-

tingentem, deprehendebantur viciniores claviculæ, ſterni & coſtarum partes, carie exeſæ. Situm habebat hoc anevriſma in arcu aortæ, ortum præbente ſubclaviæ dextræ. Hunc ſaccum intus conveſtiebant laminæ multiplices, aliæ aliis impoſitæ, a concreto & quaſi fibroſo ſanguine compactæ. Pulmo dexter a comprimente tumore contractus, purulentus invenitur, cum ſtagnante ſero flaveſcente. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 798. Quidam *inter atras curas*, de *doloribus* tum *pectoris*, tum *abdominis*, multis abhinc annis querebatur. Indeſinenti ferme *ſpirandi difficultate* premebatur, adeo ut decubitum paveret ob ſuffocationis metum. Accedunt *cordis palpitationes*, crebro recurrentes, nonnunquam ſuccedentibus *lypothymiis*. Interea dolores circa ſpinam exacerbantur, quibus poſtremo remittentibus, *ſubitanea morte* rapitur.

Luſtrato cadavere, in propatulum veniebat anevriſma infra arcum aortæ; cum maxima cruoris copia, effuſi in cavum pectoris ſiniſtrum; a diſruptione ſcilicet prædicti ſacci, qui licet depletus, pugni magnitudinem ſuperabat. Viciniores vertebræ carie læſæ conſpiciebantur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 799. In cadavere cujuſdam qui diu *dolore & pulſatione circa dorſum*, variiſque aliis ſymptomatibus conflictatus fuerat, & tandem ab *uberrimo ſanguinis proventu*, *e pulmonibus* erumpente ſuffocatus interiit; occurrit in pectore aortæ dilatatio ad palmæ magnitudinem accedens, coſtis & dorſi vertebris firmiter adnata: præter cruorem fluidum, continebat concretum quemdam ſanguinem, vel carniformem materiam fibris haud deſtitutam; quam rurſus circumdabat ſubalbida & dura quædam ſubſtantia, tranſverſi digiti ſpiſſitudine; colore & ſpecie, lardo ſuillo elixato non abſimilis. Ad ovi ſane quidem ſtruthiocameli magnitudinem accedebat hoc anevriſma. Præterea viciniores vertebræ, & coſtæ carie læſæ deprehendebantur. RUMLERUS.

OBS. 800. Vir quinque & ſeptuaginta annorum, aliquot ante mortem annis fit macilentus, & *dolores* quoſdam *gravantes in ſiniſtra thoracis parte* patiebatur, cum tuſſi moleſta & ſputis globoſis. A certa corporis motione ægre reſpirabat; nonnunquam accedente cordis palpitatione. Interea ingraveſcit *ſpirandi difficultas*, cum ſtercore & ſputo cruento. Difficilis fit decubitus in latus ſiniſtrum: pulſus exploratur rarus & debilis, ac interdum inæqualis. Sub hac rerum conditione, poſt quamdam remiſſionem recrudeſcunt ſymptomata; atque ultimum diem clauſit.

TUMORES.

Pectoris ſiniſtrum cavum ſeri copia & concreto ſanguine replebatur ob diſruptionem enormis anevriſmatis aortæ quartæ & quintæ thoracis vertebræ hærentis; cujus ampliſſimus conſpiciebatur hiatus. Pericardium inſuper aquæ uncias tres continebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 801. Vir triginta annorum qui queri cœpit de quadam *ſpirandi difficultate*; dein doloribus rheumaticis in dorſo ſitis diu vexatur; poſt *graves curas*, & labores ſtrenuos, moleſtiori ſpirandi difficultate corripitur; ſequentibus *cordis palpitationibus*, vigiliis, inquietudinibus, & *animi deliquiis*. Pulſus in brachio ſiniſtro vehemens & intermittens explorabatur; in dextro vero exilis & obſcurus animadvertebatur. Interea urgente ſuffocationis metu ex improviſo occubuit; quinto ſcilicet anno e primo morbi exordio.

Luſtrato cadavere, reperiebatur in dextro pectoris cavo libra circiter una ſeri ſubrubri. Cor ſe præbebat maximum cum maculis in ſuperficie ecchymoſis faciem referentibus. Aorta ultra modum dilatata tumorem exhibebat pugni magnitudinem ſuperantem, ſupra medias dorſi vertebras carie eroſas, ſitum. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 802. Quidam ebrioſus, quinquaginta circiter annorum, *pectoris anxietate* moleſtiſſima laborabat. Poſt plures menſes a primo morbi exordio, *tumor cum valida pulſatione* circa claviculæ ſiniſtræ, & ſterni conjunctionem ſubortus eſt; qui ſenſim ita increvit, ut exterius pugni magnitudinem multum ſuperaret; & intus reſpirationi haud leve impedimentum offerret. Interea decem elapſis menſibus incepit rejicere *per tuſſim grumos* nigri & concreti *ſanguinis*; unde tumor multum imminuitur: ſed cum continua eſſet ſanguinis excretio, brevi occubuit.

In-

TUMO-RES.

Inter diſſectionem cadaveris, invenitur aorta deſcendens mire dilatata; cujus ſcilicet tanta erat amplitudo ut duas ſanguinis libras, & ultra, capere poſſet. Hic tumor ad latus aſperæ arteriæ exeſus videbatur, & hians in poſticam partem prædicti tubi, unde lethalis ſanguinis evacuatio. HEURNIUS.

OBS. 802. (a) In cadavere fœminæ quinquaginta annorum, mendicæ, exanimis ad fores diverſorii repertæ, ventriculus peranguſtus, inteſtino recto gracilior animadvertitur. Ovaria occurrebant ſcirrhoſa & exſucca, ut ſolent eſſe circa quinquageſimum annum. Reſerato pectore patet aortæ tumor: hæc enim arteria, ubi ex corde prodiit inſolita latitudine fuit ad duas uncias: ſed in arcu erat amplitudo major, cujus diameter ad tres uncias accedebat. Recondebat hic tumor præter grumoſum ſanguinem, laminas latas, lineæ fere craſſitie, tenaces, ſubalbas & quaſi membranaceas. Aortæ latera craſſiora ad ſex lineas accedebant, ſquammis callosis & duriſſimis referta. Producebatur corpus polypoſum in carotidem ſiniſtram, quo omnino repleri videbatur hæc arteria. CLAR. HALLERUS.

OBS. 803. Mulier quinquagenaria major geſtabat *anevriſma in parte levæ pectoris*, inter ſcilicet ſecundam & tertiam coſtam. Integro ante mortem menſe penitus delituit prædictus tumor, ut videretur diſparuiſſe; remanentibus tamen ſolitis ſymptomatibus.

Anevriſma deprehenditur arcum aortæ occupans, & tres forte pugnos magnitudine æquans. Tunicas habebat haud craſſas; ſed veluti lamellas albicantes, haud cohærentes inter ſe; ſed quaſi alias ad alias adpoſitas. Deprehendebatur in centro ſacci nucleus ſanguinis grumoſi, pervius tamen ad tranſitum liberum ſanguinis in aortam deſcendentem. CLAR. HAEN.

OBS. 804. Virgo quinque & viginti annorum geſtabat *tumorem in parte ſuperiori pectoris*, inter ſternum & claviculam ſiniſtram. Erat cuti concolor & pulſans prædictus tumor, *difficilem reſpirationem* poſt ſe trahens. Nec liberior erat deglutitio: morbo tandem ingraveſcente, extinguitur.

Exenterato cadavere, in propatulum veniebat ingens anevriſma aortæ, inter cor & ſubclavias ſitum, cum carie ſterni, ſiniſtræ claviculæ, & proximiorum coſtarum. Trachea, cum ſubjecto œſophago, a mole tumoris compreſſa annotabatur. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 805. Quidam jamdiu laborabat *tumore*, ad molem capitis virilis accedente *& pulſante in ſuperna parte pectoris*, cum ſumma *reſpirandi difficultate*, *febre continua*, & *animi deliquiis*, identidem recurrentibus. Poſt plures ſeptimanas doloribus & atrophia confectus e vivis deceſſit.

Occurrit anevriſma portentoſum in aorta ſub egreſſu e corde, lamellatim diſpoſitum; aut a pluribus tunicis craſſis, & tenacibus membranarum inſtar, ſibi invicem impoſitis conflatum. Inter quas tunicas ſanguis copioſus & coagulatus deliteſcebat. Præterea annotabatur caries coſtarum & ſterni. RUYSCHIUS.

OBS. 806. Tibicen incidit in *tumorem pectoris*, intima & ſuperiora obſidentem, *cum pulſatione manifeſta*. Quo increſcente major exſurgit *ſpirandi difficultas*, *cum moleſtiori deglutitione*. Tandem fatis ceſſit.

Reperitur arcus arteriæ aortæ, cum inſigni ramo qui ſubclaviæ carotidi originem præbet, ita dilatatus, ut aſperam arteriam, gulamque comprimeret. Quod anevriſma, aliorum inſtar, concretum ſanguinem continebat, qui non ſecus ac cepa vulgatiſſima in varias laminas curvas, quarum aliæ alias comprehendebant reſolvi poterat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 807. Vir quinquagenario major, robuſtus & ſalax, variis a decennio ægritudinibus obnoxius, *ſpirandi difficultate* cum colore cutis citrino laborabat, quæ motu ingraveſcebant, cum quodam cordis angore. Evidenter *ſaliebant arteriæ juguli*, pulſu alias duro & raro. *Tuſſiebat* & feroſa exſpuebat. Tandem tumente facie accedunt *animi deliquia*. Cæteris in pejus ruentibus ſubitanea morte rapitur.

Pulmones coſtis adhærebant. Aorta indurata, intus oſſeis ſquamis prædita, dilatata erat in anevriſma tres digitos latum; cujus major dilatatio erat circa quartam thoracis vertebram, cum vicinis carie tactam. In ſiniſtro pectoris latere aliquid ſeri ſtagnabat cum magno grumo ſanguinis; quam-

quamquam haud apparuit anevriſmatis diſruptio. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 808. Mulier textrix, tribus annis, poſtquam menſtrua deſierant, flatu quodam, ut ipſa vocabat, vexari ſolebat ad cor; alias nulli morbo obnoxia. Cum bene valens omnia diſponeret ad telam exordiendam, *ſubito concidit*, & moritur.

Secto cranio magna illico profluxit ſanguinis copia a diſrupto quodam vaſe, uti videbatur, inter cerebrum & cerebellum. Pericardium ſero cruento erat ultra modum diſtentum, cum ſanguine concreto circa cor. Aorta ſub egreſſu e corde erat dilatata; cum interioribus tunicis exeſis & attenuatis; quibus ſanguis additum ſibi paraverat ad pericardium. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 809. Quidam nobilis *in lumbos* graviter *contuſus de dolore* ſenſim ingraveſcente querebatur. Poſt annum inibi erupit *tumor pulſans*, in ſiniſtro latere, qui tractu temporis ad capitis magnitudinem accedebat, a ſiniſtro hypochondrio ſcapulam fere attingens. Tandem doloribus ferociſſimis fractus obiit.

In conſpectum veniunt muſculi tumorem circumambientes ſphacelati; binæ coſtæ fractæ & carioſæ; proximiores vertebræ nigricantes, tunicis denudatæ & carie læſæ. Aorta ſupra diaphragma ultra duorum pugnorum magnitudinem extenſa, & tota ſanguine-grumoſo, in polypos fere fibroſos, lamellatim concreto, repleta videbatur. VATERUS.

OBS. 810. Quidam juvenis & robuſtus, dum vires paleſtricas experiebatur *a niſu violento*, *dolorem* ſubito contrahit *circa principium claviculæ* ſiniſtræ. Tribus elapſis menſibus, erumpit *tumor* inter claviculas. Perſiſtens dolor ad ſcapulas propagatur. Dein tumore ſenſim increſcente, cum *ſpirandi difficultate*, & denegato decubitu in latus ſiniſtrum; tandem poſt triennium ad plures migravit.

Secto cadavere reperiebatur anevriſma ingens aortæ, ſupra cor parum dilatatæ, quæ ulterius ampliatur in arcu ultra quem ſaccus protenditur. Sternum, coſtæ & claviculæ carie lædebantur. LE DRAN.

OBS. 811. Quidam miles dum *bombardam exploderet*; hac in manibus ejus diſrupta, adeo violenter ad latus dextrum allidebatur, ut in *hæmophthiſim* mox conjectus, per ſex menſes ſanguinem exſpueret. Dein *pulſationem* quamdam *in latere* percipiebat. Duobus elapſis annis & pergente hæmophthiſi erumpit *tumor* ſub axilla dextra, qui maximum in dies incrementum ſumens reſpirationi officit. Tandem ſuffocatus ſubito extinguitur.

Occurrit ingens anevriſma inter cor & arcum aortæ, cujus ſaccus integram thoracis dextri cavitatem replebat, hærens plevræ, mediaſtino & diaphragmati, non ſecus ac ſterno carie læſo. Interna ſacci facies laminis oſſeis diverſæ magnitudinis obducta conſpiciebatur. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

TUMORES.

OBS. 812. Quidam vino & *ludo pilæ deditus* in *febrem* incidit cum *dolore brachii dextri*; mox ſiniſtri. Erumpit poſtea *tumor* in *parte antica*, & ſuperiore *pectoris*, qui in dies crevit cum *pulſatione*. Intempeſtiva topicorum applicatione, cute ad ſummam tenuitatem redacta, ſanguinem exſudabat; qua tandem diſrupta immanis fit ſanguinis profuſio: hinc mors ſubitanea.

Cadavere cultro anatomico ſubjecto; præter plurimam aquam ſubflavam, in utroque thoracis latere ſtagnantem; occurrit magnum anevriſma aortæ cum carie ſterni clavicularum & coſtarum ſuperiorum. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 813. Mulier quinque & triginta annorum ante plures menſes *ſpirandi difficultate* laborabat, cum *tumore pulſante* in *regione carotidis* dextræ. Poſtea de moleſto quodam ſenſu querebatur in pectore; & paulo poſt morte ſubitanea rapitur.

Inveniebatur in thoracis cavo ſerum cruentum ad paucas uncias effuſum. Pericardium ſanguine erat diſtentum. Aorta prope cor erat dilatata; & hæc dilatatio protendebatur ad carotides, & ultra arcum aortæ, ad emulgentes uſque. Supra ſemilunares valvulas occurrit quædam exulceratio, cum ſinubus inter laminas aortæ perreptantibus; per quos ſanguis viam ſibi fecerat ad pericardium. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 813. (*a*) In cadavere fœminæ poſt diu-

TUMORES.

——— *diuturnas ægritudines* extinctæ, aorta continuo, ubi ex corde prodiit, ampliſſima fuit, ut ambitus quinque unciarum & duarum linearum eſſet. Pluribus ſquamis oſſeis hæc obveſtiebatur dilatatio. Similibus ferme ſquamis donabatur reliquum aortæ, tum in pectore, tum in abdomine. Præterea valvulæ aortæ partim calloſæ, partim pectoris tuberculis exaſperatæ conſpiciebantur; cæteris cordis valvulis bene ſe habentibus. VVINCKLERUS.

OBS. 814. Cuidam *tumor* increverat *pulſans in parte antica pectoris & cervicis*. Dolorem capitis gravativum patiebatur, qui ad cervicem, ſcapulas & brachia propagabatur. Urgebat *ſpirandi difficultas*: pulſus brachii dextri exiguus & debilis explorabatur: obſcurior erat in brachio ſiniſtro. Accedentibus poſtremo *animi deliquiis*, ſubito obiit.

Luſtrato cadavere, deprehendebatur anevriſma quatuor pollices longum, arcum aortæ & principium ſubclaviæ ſiniſtræ ac carotidis occupans, cum carie viciniorum oſſium. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 815. Quidam cachecticus *tuſſi ferina*, cum aliqua *ſpirandi difficultate*, per annum integrum vexabatur. Noctu *pectoris angore* moleſtiſſimo, cum *ſuffocationis metu* corripitur. Pluries recurrit angor cum aſperæ arteriæ & faucium quadam conſtrictione. Frequentiores fiunt inſultus & vehementiores; quos excipiunt ſudor copioſiſſimus. Hos movebat quævis deglutitio. Poſt duos menſes a primo inſultu vivere deſiit.

Inveniebatur in aorta ſupra cor ſe attollente magnum anevriſma, quod concreti ſanguinis libram continebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 816. Quinquagenarius *melancholicus*, inter graviſſimas curas paſſus eſt *tumorem*, *ſub clavicula dextra* eminentem, & ovi dimidii magnitudinem æquantem. Mollis erat hic tumor & cuti concolor; *cum inſigni pulſatione*.

Eo defuncto inventa eſt aorta ita dilatata, ut brachii magnitudinem fere æquaret; atque ovum gallinaceum in ſuam cavitatem facile admittere potuiſſet. Tunica illius denſa & cartilaginea annotabatur. RIVERIUS.

OBS. 817. Vir quatuor & quinquaginta annorum poculis indulgens, & fumiphilus, per biennium *ſpirandi difficultate*, ſed levi, laborabat; quæ tandem ingraveſcit *cum ſuffocationis metu*. Pulſus erat durus & intermittens. Præterea de pulſatione moleſtiſſima in ſcrobiculo cordis conquerebatur, & continua. Tument interea crura; & æger plane ſuffocatus interiit.

Præter aquam in pectore dextro ſtagnantem; arteria ſubclavia ſiniſtra anevriſma pugni magnitudine exhibebat. Aorta infra arcum anevriſmate duplo majori erat dilatata. BARRERUS.

OBS. 818. In cadavere cujuſdam qui per biennium *tumorem pulſantem in ſuperiori & antica pectoris parte* geſtabat; maximam ſcilicet cervicis partem dextram occupantem, & ſcapulam attingentem; reperitur anevriſma ingens ſubclaviæ dextræ, quod in anteriori parte eroſum, exitum conceſſerat ſtagnanti ſanguini, qui extus majorem foveam ſibi cuderat, ſola cute jam diſruptionem minante coercendam. Clavicula luxata conſpiciebatur, coſtis ſuperioribus, una cum ſterno, carie læſis. E DIARIO MEDICO.

OBS. 819. Meretricula octo & viginti annorum, vino dedita, de *laſſitudine & cibi faſtidio*, aliquot jam menſes, conqueſta, *in opere venereo interiit*.

Luſtrato cadavere reperiebatur pericardium concreto ſanguine plenum. Occurrit ſupra valvulas ſemi-lunares anevriſma, vel ſacculus a tergo aortæ collocatus; & nucem juglandem magnitudine æquans. Diſruptus hiabat in pericardium. Sacculi interiorem faciem rubræ pelliculæ conveſtiebant polypoſæ, quas, ut fit in cæpis, facile poſſes dividere. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 820. Quidam per quinquennium *immanes dolores*, univerſam *dorſi ſpinam occupantes*, patiebatur; ſalvo appetitu; cum derepente moritur.

Secto abdomine ingens proſiliit ſanguinis copia; qua etiam ſcatebat pectus. Invenitur tumor inſignis a ſexta dorſi vertebra, ad primam uſque lumborum exporrectus, membrana validiſſima præditus & lacera. Refertus apparuit corpore quodam carno-

ſo,

ſo, cum pauco ſanguine in grumos concreto. Sex inferiores dorſi vertebræ una cum prima lumbari, carie corruptæ deprehenduntur. BLEGNI.

OBS. 821. Vir quinquaginta annorum lanam quotidie agitans, *difficili reſpiratione* corripitur, cum ſubito accedunt *præcordiorum anguſtia*, & vehemens interdum *lumborum dolor*. Arteriæ cervicis valde pulſabant. Accedente demum *ſanguinis ſputo*, cum *ſuffocatione*, vivendi finem fecit.

Inciſo cadavere, reperiebatur in utroque pectoris cavo ſerum ſubcruentum. Aorta, prope cor mole auctum, erat dilatata in anevriſma, cujus interni parietes oſſeis hic illic ſquamis obtegebantur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 822. Juvenis nonnihil *anheloſus*, & poſt paſtum ſomnolentus, *moleſtiam* quamdam perſentiebat *circa lumbos*, quos ſæpius fricabat. Inter loquendum, *repente obiit*.

Thoracis cava dextra ingentem effuſi ſanguinis copiam habebat, qui prodierat ex aorta, quæ diaphragmati jam proxima in anevriſma pugni magnitudine erat dilatata, cum carie proximarum vertebrarum. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 823. Quinquagenarius *tumorem* per triennium geſtabat, qui cuti concolor, durus ſed preſſioni cedens, *cum pulſatione*, pectoris partem ſuperiorem & anteriorem occupabat; duos pugnos mole æquans. Tandem mollis & œdematoſus diſruptionem minatur; quæ paulo poſt acceſſit, cum *ſtupendo ſanguinis fluxu*, unde mors.

Reperitur ingens anevriſma aortæ, cum proximioribus vertebris; diſtenta, & oſſeis ſquamis intus ſcabra ſubclavia dextra erat quoque, coſtis & ſterno carie læſis. E DIARIO MEDICO.

OBS. 824. Quidam multis abhinc annis de *tumore* conſpicuo & moleſtiſſimo *in parte antica*, & ſuperiore *pectoris* querebatur. Dolores ad brachium dextrum propagabantur. Aderat *dyſpnæa* cum *tuſſi* levi, & *difficili deglutitione*. Tandem interiit.

Aorta ſupra curvaturam in tumorem pugnum æquantem erat dilatata ad ovi magnitudinem. EX INSTIT. BONONIENSI.

OBS. 825. Vir ſex & quinquaginta annorum, per decennium circiter *pulſationem morboſam* in ſiniſtra pectoris parte patiebatur. Noctu *ſuffocatus obiit*. TUMORES.

Cavitas thoracis dextra ſanguine repleta inveniebatur. Pulmonis dextri ſubſtantia annotatur quaſi abſumpta ſola ſuperſtite membrana, inſtar ſacculi. Præterea in apricum venit aortæ anevriſma diſruptum, duos ſolummodo digitos tranſverſos, extra cor. MARCHETTIS.

OBS. 825. (*a*) Miles quadraginta annorum a calcitrante equo in ſiniſtro pectoris latere percuſſus dolorem notabilem patitur; cui ſucceſſit *ſpirandi difficultas*, quæ per tres annos in ſæviſſimam *orthopnæam* ſæpius increvit, qua tandem ferociori e vivis rapitur.

Pulmones hærebant pericardio & mediaſtino: reliqua pectoris cavitas ſero flaveſcente ſcatebat. Aortæ arcus in ſaccum anevriſmaticum quinque libras pendentem, dilatatus cernebatur. Quatuor vertebræ, cum initio coſtarum erant carioſæ. CLAR. BAADERUS.

OBS. 826. Mulier, conſiſtente ætate, de *dolore in ſiniſtra thoracis parte* conquerebatur. Excandeſcit *febris* cum pulſu celeri & duro, ac *ſpirandi difficultate*: quibus exacerbatis intra paucos dies extinguitur.

Inſtituta cadaveris ſectione, reperitur in pectore magna concreti ſanguinis copia, cum ſuperante ſero. Ingens erat aortæ anevriſma perruptum inter cor & ſubclavias; cum carie vertebrarum & proximarum coſtarum. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 827. Quidam, dum venabatur, ingenti conatu torquet cervicem, & ſubito magno *dolore* corripitur; nec niſi majori vi, ſolitum ſitum aſſequitur cervix. Accedit *deglutiendi* & *reſpirandi difficultas*; qua ſenſim ingraveſcente, tandem poſt quindecim menſes e medio tollitur.

Occurrit ingens anevriſma in aorta & ſubclavia dextra, cum carie oſſis ſterni, & luxatione clavicularum. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 828. Quidam *anevriſma in ſiniſtro poplite*, decem circiter annos, geſtabat. Dolorem vehementem concitabat hic tumor,

TUMORES.

mor, & diametro uncias Bononienſes tres cum ſemiſſe fere æquabat. Is cum arte chirurgica curatus eſſet, noviſſime tamen periit ob ſimilem tumorem in dextro poplite.

Inter exenterationem cadaveris, aliud occurrit anevriſma in pectore ad arteriæ magnæ curvaturam. VALSALVA.

OBS. 829. Vir quinquaginta annorum poſt *ſanguinis ſputum*, *anhelare* ſolitus, dum malleo ambabus manibus arrepto magna cum vi aliquid percutit, *repente cadit*, & intra horam dimidiam moritur.

Siniſtrum pectoris cavum ſanguine ſemiconcreto plenum reperitur. Eruperat is ab eroſa aorta infra arcum. Ibi enim in anevriſma dilatata reſpondentes vertebras excavaverat. VALSALVA.

OBS. 830. Juvenis viginti annorum, multum jam tempus, *tumore* quodam *pulſante in pectoris parte dextra* intra claviculam affligebatur, cum *ſpirandi difficultate*. Pergente morbo, ex improviſo cadit, & moritur.

Inciſo corpore, magnum anevriſma reperitur in thorace, cum carie claviculæ & coſtarum ſuperiorum. Diſruptum erat intra pericardium, cujus cavum ſanguine impleverat. VALSALVA.

OBS. 831. Quidam jamdudum *tumorem pulſantem*, caput infantis recens nati adæquantem *in parte anteriori* & ſuperiori *pectoris* geſtabat; haud ſane, ſine ſumma moleſtia. Fruſtra omnibus tentatis obiit.

Inveniebatur anevriſma ingens aortæ, inter cor & ſubclavias ſitum, cum carie oſſis ſterni & coſtarum proximiorum. RUYSCHIUS.

OBS. 832. Cuidam erat *tumor in parte antica*, ſuperiori & dextra *pectoris*, *pulſans* & *moleſtiſſimus*. Poſt plures menſes, morbo in deterius ruente, tandem ad ſuperos migrat.

Luſtrato cadavere, in conſpectum venit aorta, ſub exitu e corde in portentoſum anevriſma dilatata. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 833. In cadavere cujuſdam ſexageſimum ætatis annum agentis, & *inopinate defuncti*, reperitur polypus in aorta, prope cor, abſque appendicibus & caudis, ad menſuram duorum pugnorum. Ejus moles, quod notandum venit, membranoſis tunicis ad invicem ſuperpoſitis conſurgebat. MALPIGHIUS.

OBS. 834. Inter ſectionem ſenis *morte ſubitanea* rapti, deprehendebatur pericardium ſanguine ſemi-concreto diſtentum. Aorta ſupra cor erat dilatata in modum anevriſmatis; quod diſruptum hiabat in pericardium; & ea via ſanguis in hoc irruperat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 835. Exenterato cadavere cujuſdam viri *improviſa morte* ſublati, in conſpectum venit aorta diſrupta, parte qua proxima eſt cordi. Pericardium autem inde omnino plenum coagulati ſanguinis conſpiciebatur. VALSALVA.

OBS. 836. Introſpecto corpore cujuſdam fœminæ triginta annos natæ *inopinata morte* raptæ, reperiebatur pericardium ſanguine oppletum, ex rupto intra ipſum aortæ anevriſmate. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 837. Cultro anatomico ſubjectum cadaver cujuſdam juvenis *derepente ſuffocati*, exhibebat anevriſma inſigne in arteria magna, prope jugulum. HORSTIUS.

Inter affines recenſeri debent obſervationes Lib. II. 658.

AR-

ARTICULUS II.

Tumores anomali.

OBS. 838. Vir ſex & triginta annorum de *dolore* pectoris, præſertim *in ſcrobiculo cordis*, conquerebatur. *Ægre deglutiebat* & nauſeis ſæpius vexabatur; accedentibus *cordis palpitationibus*, & *ſpirandi difficultate*. Hoc morbo a ſex annis conflictabatur, cum erumpit circa cartilaginem enſiformem *tumor durus*, & moleſtiſſimus, quem ſequitur *vomitus* pertinaciſſimus, cum ſiti immani, pulſu debili & intermittente; quibus brevi accedit ſingultus lethalis.

Secto cadavere reperitur tumor ingens ſteatomatoſus, plevræ utriuſque lateris, mediaſtino & pericardio adnatus; qui una cum œſophago, diaphragma trajiciebat, & ad utrumque ventriculi oſtium protendebatur; a quo incumbente comprimebantur œſophagus, & ventriculi orificia. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 839. Puella quatuordecim annorum, cum diu *ſtrumis* multis & magnis, atque hinc inde ſuppuratis, ulceratiſque in colli ambitu, & ſub axilla ſiniſtra laboraſſet; tandem extrema *macie* confecta obiit.

Abdomen, pectus & pericardium aqua citrina ſcatebant. Præterea innumeri occurrebant tumores ſtrumoſi, mediaſtino diaphragmati & pulmonibus, non ſecus ac omnibus ferme viſceribus abdominalibus inſidentes. HEURNIUS.

OBS. 840. Vir nobilis quadraginta annorum, quadam *ſpirandi difficultate* laborabat, quæ ſenſim ingraveſcens in orthopnæam faceſſit; quæ demum poſt elapſum annum integrum, mortem accerſit.

Aperto pectore, patent pulmonum ambitus, plevra, mediaſtinum & pericardium ſolito craſſiora, & tuberculis duris piſiformibus obſita. Præterea cor & magna vaſa concretionibus polypoſis turgebant. DIONIS.

OBS. 841. Inſtituta cadaveris ſectione cujuſdam *rachitici*, repertæ fuerunt glandulæ ſtrumoſæ innumeræ, omnes pectoris partes obſidentes; a thymo ſcilicet ad diaphragma. GLISSONIUS.

In hanc ſeriem revocandæ ſunt obſervationes Lib. II. 845. Lib. IV. 72. Vide inſuper *Tumores in abdomine*.

ARTICULUS III.

Tumores lymphatici.

OBS. 842. Quidam adoleſcens *orthopnæa* moleſtiſſima, una *cum febre*, a multis annis laborans; vi tandem morbi fractus, extremum obiit diem.

In ejus cadavere, præter inflammatorium in hepate tumorem, repertus fuit hydrops thoracis in altero latere. Pulmo vero veſicis humore conſiſtente, lento & pellucido, inſtar albuminis ovi, prægnantibus, refertus conſpicitur. CAR. PISO.

OBS. 843. Quidam poſt *fonticuli occluſionem*, nonnullis elapſis menſibus, *aſthmate* corripitur, cum ſiti immani & vigiliis. Sputa erant exigua & ſalſa, cum febre lenta; qua tandem ad ultimum vitæ diem deducitur.

Inſtituta cadaveris ſectione, in conſpectum venit pulmo veſicis plenus; quibus apertis aqua exit flavum colorem referens. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

TUMORES. OBS. 844. In cadavere cujuſdam qui per biennium *ſpirandi difficultate*, *febre lenta*, & difficili decubitu in quodvis latus, laboraverat, reperiebatur in utroque pulmone cyſtis aquæ libram ſemis continens. Similem ſaccum aqua ſublutea repletum recondebat hepar. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

ARTICULUS IV.

Lapides extra pulmones.

OBS. 845. Puer decennis *ex alto cecidit*, mox vomuit, ſanguinemque per aures & nares egeſſit, nulla conſpicua contuſione. Poſtea dolore capitis perpetuo conflictabatur. Sex elapſis menſibus caput erigere minime valebat. Demum *incurvatur ſpina* dorſi & *aſthmaticus* evadit. Tum impeditur coxæ dextræ motus; & ex utraque ſterni parte, prope claviculas, erumpunt athæromata. Poſt biennium exortus eſt tumor ad aurem ſiniſtram qui in ſuppuratum abiit, & ultra ſex libras puris ejecit. Poſtremo ingruunt *inſultus epileptici*, qui miſellum ægrum e medio tollunt.

Tumores ſub claviculis intus purulenti cariem coſtis & ſterno induxerant. Reperiebatur ſupra cor, inter aortam, tracheam & nervum recurrentem, tumor cyſticus concretionibus gypſeis fœtus, quarum major ad nucis juglandis magnitudinem accedebat. Lapis ejuſdem indolis in parte poſtica cerebri, inter ſcilicet cerebelli ſepimentum, cui arcte annectebatur, & piam meningem, conſpiciebatur. Cerebri ventriculi duas aquæ libras continebant. Hepar inſuper erat ſcirrhoſum. HILDANUS.

OBS. 845. (*a*) Juvenis viginti annorum in *fluxum hæmorrhoidalem* incidit, qui dein ſingulis menſibus recurrebat. Anno ætatis quadrageſimo, poſt caſum ab alto, ingruit *ſpirandi difficultas* quæ intra biennium in moleſtiſſimam orthopnæam faceſſit. Tandem ceſſante fluxu hæmorrhoidali, ſuffocatus periit.

Hepar ſanguine infarctus deprehenditur, non ſecus ac lien. Pulmones vicinis adglutinati cernebantur. Cor juſto majus annotatur. Occurrit in angulo bifurcationis aſperæ arteriæ calculus nucis avellanæ molem ſuperans, oblongus, utrimque acuminatus, & aſper, cruſta quadam glanduloſa obductus. Rami bronchiorum oſſeam duritiem mentiebantur. CLAR. BAADERUS.

OBS. 846. Vir quinquagenarius, alias ſanus, jamdudum de quodam *pondere obſcuro*, *in pectore* conquerebatur; nulla tamen laborabat ſpirandi difficultate. Sub hoc rerum ſtatu exſurgit *febris acuta* & *continua*; quæ intra paucos dies ægrum illuc mittit, unde negant redire quamquam.

Exenterato cadavere, reperitur lapis mole major, peculiari cyſti ab omni adhæſione libera obductus, in pectoris cavo, ſupra diaphragma. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

SECTIO OCTAVA.

DE COLLUVIE PECTORIS.

ARTICULUS I.

Hydrops pectoris.

OBSERVATIO 847. Adoleſcens decimum ſeptimum ætatis annum agens, *tuſſi & ſpirandi difficultate* laborabat, cum *ſputo craſſo*. Appetitus languet; hinc macies. Poſtea magnam aſcaridum copiam excrevit. *Sputa purulenta* evadunt; *calore* ante & poſt paſtum *mordaci*, ſiti intenſa, alvi profluvio, ac urinis craſſis & rubris. Tandem calore manuum urente & mordaci; accedunt *lypothimiæ*, urget *diarrhæa*; erumpunt ſudores; ac ſequuntur vigiliæ & delirium. Interea pergente macie, cutis oſſibus hæret: os fœtet; pedes fiunt œdematoſi, pulſu frequenti debili & duro. Poſtremo *ſanguis fœtidus per os & podicem* ejicitur, ac exacerbata hœmoptoe, vivere deſiit.

Secto cadavere, dextra pectoris cavitas aqua ſubflava plena reperiebatur. Siniſtra libras tres ejuſdem laticis continebat. Pulmones corpuſculis albis, duriuſculis, magnitudine ſeminis milii ſcatebant. In dorſo occurrit abſceſſus continens materiam albicantem, concretam, quæ per ramum tracheæ arteriæ exitum ſibi parabat, cujus folliculus vertebris hærens ad ovi gallinacei magnitudinem accedebat. Inſuper pericardium ſumme diſtentum, aquæ ſubflavæ libram unam recondebat. VVEPFERUS.

OBS. 848. Vir poculis deditus paulatim incidit in gravia ſymptomata: appetitus nempe languet, dolent hypochondria; urget *ſpirandi difficultas*; mingitur *urina pauca* & turbida; ſomnus nullus vel breviſſimus. Variis incaſſum tentatis, haud omiſſis, forte plus æquo repetitis venæ ſectionibus, omnia in deteriora ruunt. *Dolor* ſcilicet *hypochondriorum* exacerbatur; & *orthopnæa* truculentior evadit, quibus tandem ſuccubuit.

COLLUVIES.

Luſtratis interaneis, in conſpectum venit lien quadruplo major, quam ſolet; durior & nigram quamdam amurcam continens. Inteſtina lividiuſcula & gangrænam minantia in aquis turbidis natabant. Hepar paululum infarctum deprehendebatur. Luſtrato pectore conſpiciebantur pulmones exſucci, ſemi-putridi, aquis fœdis, copioſiſque innatantes. Pericardium ultra tres libras liquoris turbidi complectebatur; cujus acredine eroſa animadvertebatur ipſamet cordis ſubſtantia lacertoſa, cujus ſuperficies in lacinias & villos carneos & putreſcentes abierat. Mirari profecto ſubit hunc hominem nunquam de cordis dolore fuiſſe conqueſtum. BORRICHIUS.

OBS. 849. Cuidam ſeptem & viginti annorum, ex pleuritide *empyematico*, & adeo jam a *ſudore nocturno emaciato*, ut capilli defluerent, inſtituitur paracenteſis, qua educuntur puris libræ decem. Fugato ſuffocationis metu, pulſus fit exilis, frigent extrema & ſequuntur *animi deliquia*. Dein exſurgit *tuſſis* moleſtiſſima, ſolo opio ſedanda. Interea pure ſanioſo per vulnus fluente, difficilis fit decubitus in latus dextrum vulneratum, cui ante operationem facilius incumbebat. Die undecimo a paracenteſi, omnibus, uti videbatur, melius ſe habentibus, de ſanando vulnere cogitatur, cum inter ſomnum placidum ſubito ingruit maxima *ſpirandi difficultas*, cum ſuffocationis metu. Brevi frigent extrema, & anxius æger ceſſavit vivere.

Cavum pectoris ſiniſtrum aqua limpida penitus replebatur. Pulmo rotundus, durus & cæruleus pugnum virilem vix æqua-

COLLU-VIES.

quabat; exſuccus & coriaceus erat. In cavo dextro occurrit pulmo leviter ulceris labiis accretus; cæteroquin ſanus. Pericardium aqua limpida diſtentum occurrit; ſimili demum latice turgebant cerebri ventriculi. CLAR. STORCK.

OBS. 850. Vir ſeptuagenarius de re medica bene meritus, poſt labores ſtrenuos in *ſpirandi difficultatem* incidit; quæ ſenſim ingraveſcens *cordis tremorem* poſt ſe trahit; cum pulſu tardo, inæquali & intermittente. Poſt annum *tument & frigent artus* inferiores. Urget ſpirandi difficultas, ac tandem viribus exhauſtis obiit.

Aperto cadavere, hepar glandularum congerie compactum videbatur. Lien atro-ruбeſcens multiplices inciſuras exhibebat. Cartilagines ſterni oſſeam duritiem referebant. Aqua copioſa ſtagnabat in pectoris cavo utriuſque lateris. Pericardium erat craſſum, cor magnum juxta apicem, quadam intertrigine notatum. Occurrit oſſea ſubſtantia in aorta, & arteriæ pulmonaris principio, ſcilicet ſub egreſſu e corde. Præterea annotabantur ſegmenta oſſea per totum aortæ tractum, uſque ad arterias crurales, quæ etiam rigebant. BONETUS.

OBS. 851. Juvenis viginti annorum, *poſt inflammationem* pectoris & numeroſiſſimas venæ ſectiones, incidit in *ſpirandi difficultatem*, cum difficili decubitu in latus ſiniſtrum. *Corpus* totum *œdematoſum* evadit, haud exceptis facie & palpebris. Sævit *tuſſis*: urget ſpirandi difficultas cum ſibilo & *ſuffocationis* metu; pulſus erat exilis & inordinatus. Latus pectoris dextrum accurato examini ſubmiſſum, tumidius apparet ab extus depulſis coſtis. Educitur punctionis chirurgicæ ope aqua citrina & viſcida ad libras ſex; cum levamine. Sed brevi omnia recurrunt ſymptomata & ingraveſcunt. Ac tandem lotio parciſſime fluente, occubuit.

Reſerato pectore thymus ingens & ſcirrhoſus deprehenditur. Pulmo dexter contractus, partim ſcirrhoſus, partim purulentus occurrit, cum ſtagnante humore, ſed minori copia, ob præegreſſam evacuationem. Latus ſiniſtrum aqua etiam ſcatebat; ſimili quoque latice turgebat pericardium. E DIARIO MEDICO.

OBS. 852. Mulier ſexagenaria *aſcite* laborabat, cum tumidis & ulceroſis cruribus, e quibus ſtillabat lympha. *Reſpiratio* erat *libera* & facilis decubitus in utrumque latus. *Non tuſſiebat*: nulla erat anxietas, nec ſubitanea a ſomno excitatio, ut ſolet evenire in aſcite. Tandem poſt varias remiſſiones, tumente quatriduo ante mortem brachio ſiniſtro, expiravit.

Præter aquam copioſam in abdomine. Ovarium ſiniſtrum exhibebat duas hydatides, quarum major pellucentis aquæ ultra libram continebat. Dextrum quaſi cartilaginoſum, oſſiculum ad minoris fabæ magnitudinem accedens recondebat. Uterus nonnihil tumidus molem carneam ſuo fundo arcte accretam habebat. Sed quod mirum; utrumque pectoris cavum copioſiſſima aqua ſcatebat. Pericardium ſolito craſſius cordi arcte hærebat. CLAR. HAEN.

OBS. 853. Vir quatuor & ſexaginta annorum *rheumaticis doloribus* obnoxius, poſt graviores animi perturbationes, gravi *vertigine captus cecidit*, erumpentibus fœtidis, & frequentiſſimis ructibus. Poſtridie *inſultu quodam epileptico* corripitur; qui dein pluries recurrit. Cibum interea averſatur; fœtet halitus; accedit vomitus cum ſingultu; *ſputa* fiunt *cruenta* & *putrida*. Dein erumpunt ſudores, algentibus extremis, & identidem deliria loquitur. Poſt menſem bene ſe habebat, & priſtina ſanitas reſtituta videbatur. Elapſis inter has inducias quatuor menſibus, redeunt inſultus epileptici, ſequentibus cæteris ſymptomatibus. Tum omnia in pejus ruunt: *mens turbatur*: gravior accedit *ſpirandi difficultas*, cum *tuſſi* & *ſputis* plumbeo colore *tinctis*. Tandem occubuit.

Reperiebatur utrumque thoracis cavum aqua lotium referente plenum. Similem laticem recondebat pericardium. Cor erat magnum. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 854. Vir quadraginta annorum poſt excretos varios calculos, pectore angi cæpit. *Tuſſis* erat moleſta cum *ſputo* nonnihil *cruento*. Dein *tument crura*, difficilis fit decubitus in dextrum latus: ingruunt *anxietates*. Interea increvit œdema crurum, & *venter* nonnihil *intumeſcit*. Placidas ſub hoc rerum ſtatu ducebat noctes; cum levi accedente delirio, obit.

Inveniebantur, in dextro thoracis late-

re, octo libræ aquæ ſubrubeſcentis & fœtidæ: in ſiniſtro vix unciæ paucæ. Dexter ingentis cordis ventriculus parietum tenuitate, hic vix lineam ibi ſeſquilineam craſſus, ampliſſimus occurrit. Siniſter vero pollicis craſſitie, cavitatem valde exiguam habuit. Pulmones erant flaccidi. Ren dexter quadruplo major naturali, cætera ſanus, ſine calculo. Siniſter ſumme extenuatus, haud tamen purulentus; nec calculoſus. Nullum lapidem fovebat veſica. CLAR. HAEN.

OBS. 855. Juvenis quindecim annorum, ad icterum pronus, fortuito, leviter uti videbatur, *cultello in pectore ſauciatur*. Vulnere citius forte quam par erat ad cicatricem adacto, de *dolore pectoris* queritur, nunc mitiori, nunc vehementiori, præſertim inter tuſſim. Sequuntur *febris lenta & macies*. *Reſpiratio difficilis* evadit. Urget *ſitis*. Vires deficiunt cum pulſu debili & intermittente. *Tument hypochondria*; ac tribus elapſis menſibus obiit.

Secto cadavere reperitur plevra craſſior & quaſi cartilaginea, cum hærente pulmone in latere dextro, antea vulnerato. Pulmo inibi ſcirrhoſus pus recondebat. Stagnabant aquæ libræ octo in latere ſiniſtro pectoris; cui fluitabat materia quædam ſebacea: pulmo ſiniſter vix pugni magnitudinem ſuperans corrugatus ſe præbet & quaſi putridus. Cor demum exiguum arcte pericardio hærebat. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 856. Fœmina novem & triginta annorum *hydrope ventris*, *tuſſi ſicca* & frequenti, ac magna *pectoris anxietate* laborabat. Educuntur paracenteſi ſexaginta libræ aquæ ſubrubræ & glutinoſæ. Poſtea remanente tuſſicula, in latus ſiniſtrum citra ſuffocationis metum non potuit decumbere. Obſcura erant fluctuationis in pectore ſigna. Deprehendebantur tumores in epigaſtrio & in hypochondrio dextro. Poſt duos menſes derepente extinguitur.

Magna erat effuſi ſeri copia in abdomine. Hepar fuit totum ſcirrhoſum. Ovarium dextrum exhibebat duos magnos tumores pureſcatentes. Dextrum pectoris cavum copioſiſſimam aquam limpidam continebat, pulmone ultra modum coarctato. CLAR. STORCK.

OBS. 857. Quidam ſexagenarius obeſus, pluribus abhinc annis *crura* habebat *ædematoſa*, cum in *ſpirandi difficultatem* incidit, quæ magis urgebat in ſitu horizontali. Procedente morbo anxie decumbebat, & e lecto ſæpius cum impetu proſiliebat. *Tuſſis* erat moleſta, & de *dolore obſcuro* & gravativo *circa diaphragma* querebatur. Pulſus contractus & inæqualis febrilis evadit. Tandem *ſputa* excernuntur *cruenta*, & æger circa quartum menſem obiit. COLLUVIES.

Pectoris utrumque latus aqua ſpumoſa replebatur. Pulmones contracti, ſcirrhoſi & extus quaſi calloſi occurrebant. Pericardium ſumme diſtentum aquæ copiam recondebat. Plevra demum craſſiſſima, vel calloſa, cernebatur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 858. Vir duorum & quadraginta annorum, parum firmæ valetudinis, *pectoris defluxionibus* obnoxius, in *cachexiam*, *cum ædemate pedum & difficili reſpiratione* incidit. De *pondere ſupra coſtas ſpurias* querebatur: urinis parce fluentibus, haud ſine *ſuffocationis metu* decumbebat, nec ſupinus, nec in latera. Fluctuantis aquæ ſonus, propius admota aure, obaudiebatur. Surrecto thorace reſidere, dies nocteſque, cogebatur. *Tumebat abdomen*, urgente *tuſſi* ſicca. Aderat præſertim veſperi pulſus febrilis. Demum paulo ante obitum *ſputa* fiunt *cruenta*.

Luſtrato cadavere, reperitur thorax aqua cruenta ſcatens. Venter quoque aquam flaveſcentem continebat. SCHENKIUS.

OBS. 859. Virgo duodetriginta annorum de gravitate perinei queritur, cum mictione difficili. Morbus lithotomiæ ope curatur: ſed octavo ab operatione die *dolore lateris dextri* corripitur, cum *febre*; citra tamen tuſſim & dyſpnæam. Poſt quatriduum, quinquaginta & amplius *per os excrevit lumbricos* vivos, & intra biduum extinguitur.

Aperto corpore patet hydrops pectoris, cum pulmonibus ad livorem vergentibus. Hepar imis lobis nigricabat a puris in imo ventre fluctuantis contactu. Veſicula fellis plures lapides recondebat. Lien putris annotabatur. Simili labe defœdabantur meſenterium & renes. BONETUS.

OBS. 860. Vir ſeptem & quinquaginta an-

COLLUVIES.

annorum, temperamento bilioſo, *tuſſicula* & levi *febre* laborabat. Quibus in dies ingraveſcentibus, coactus fuit decumbere. Febris noctu exacerbatur, cum *anhelitus difficultate*, pene ſuffocante. *Dolor* etiam per intervalla acutus, *ad latus ſiniſtrum* ſupra lienis regionem propagatur. Pedes interea fiunt œdematoſi. Quibus ſic ſe habentibus, acceſſit *febris* alterius indolis, nempe *maligna*, quæ ægrum ante ſeptimum diem ſuſtulit.

Stagnabat ſerum putre & grave olens ad libras decem in pectore. Pulmo totus erat putrilaginoſus, præſertim in parte ſiniſtra. Lien quoque majore ſui parte putris, & fœtido ichore plenus. BARTHOLINUS.

OBS. 861. Vir quinquagenarius forti *orthopnœa*, jam a longo tempore, detinebatur. Supervenit *febris lenta*, cum *tuſſi*, & *ſputis* nonnihil *cruentis*. Tumor erat durus in hypochondrio dextro, cum cruribus œdematoſis. Levi motu pectoris murmurabat contenti humoris inundatio. Suppreſſo demum ſputo, fatis ceſſit.

Inter ſectionem cadaveris, hepar ingens & ſemi-ſcirrhoſus deprehenditur. Lien & pancreas duriſſima ſe præbebant. In dextro pectoris latere copioſum reperitur ſerum. Animadvertitur pulmonis ſubſtantia, phlogoſi, ſcirrho, infarctu pituitoſo læſa. Cor demum erat inſolitæ craſſitiei & magnitudinis, cum vaſorum orificiis enormiter ampliatis. FANTONUS.

OBS. 862. Quidam ſexaginta annorum, mero & fumo tabaci indulgens, binos *tumores ad laryngis latera*, qui nec ſtrumorum, nec brochoceles naturam ſapiebant, geſtabat, cum *voce rauca* & *clangoſa*, ac inappetentia. Interea lecto ſe tradit, omne alimentum reſpuens præter vinum. Accedit *maraſmus*, cum inſigni *deglutiendi difficultate*, atque brevi migravit ad ſuperos.

Occurrit veſica ingens, umbilicum attingens, lotio ſubcruento repleta. Stagnabat in ſiniſtra thoracis parte copioſum ſerum cruentum, & fœtidum, a lotio nil fere diſcrepans. Præterea conſpiciebantur amygdalæ tumidæ & tuberoſæ, duritie oſſea, quaſi ſilicea, pharyngem comprimentes. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 863. Quidam miles duorum & viginti annorum, poſt morbum oculorum inflammatorium *tuſſi ſicca* & continua laborabat. Ingruebant circa veſperam horrores quos excipiebant *calor intenſus* & *largus ſudor*. Dein tumebant pedes; & *difficilis* erat *reſpiratio*. Noctu urgebant *anxietates*, *cordis palpitationes*, cum ſuffocationis minis. Tandem macie conſumptus obiit.

Pancreas totum durum & ſcirrhoſum comperiebatur. Sana erant alia viſcera abdominalia. Ablato ſterno, pulmo dexter pauco ſero innatans, parvis vomicis ſcatebat. Siniſter vero ab illuvie aquarum ita ſepultus erat, ut nil prorſus appareret. Aquis evacuatis ſupererat portio dura, inſtar linguæ bovinæ, dorſi vertebris alligata. CLAR. HAZENOHRI.

OBS. 864. Vir quinquagenario major *cardialgiæ* a quinquennio obnoxius, quæ ſæpius *anhelitu* & *aphonia* ſtipata, majorem ſævitiem exercebat; in *orthopnœam* incidit, cum improviſa a ſomno excitatione, vultus oculorumque livore. Cum poſt octiduum melius ſe habere videbatur, macie confectus ſubito extinguitur.

Secto cadavere præter ingentem totius pancreatis ſcirrhum, & lienem in ſuperficie cartilaginoſum; diaphragma in utraque abdominis latere prominebat, ob enormem aquæ copiam, qua replebatur utraque pectoris cavitas. CLAR. HAEN.

OBS. 865. Juvenis octodecim annorum *morbillis* corripitur, cum uberrimo ſudore & vulgatioribus ſymptomatibus. Tertio morbi die ſufflaminatur ſudor & plane *evaneſcunt exanthemata* morbilloſa. Excandeſcit febris cum vigiliis, doloribus in capite, cervice, pectore, & circa hypochondria præſertim in latere ſiniſtro, quod ſenſim totum œdematoſum evadit. Interea exacerbantur *dolores pectoris*, cum *ſpirandi difficultate*, & *ſuffocationis metu*, donec æger ad incitas redactus in *lypothymias* incidit, quæ crebro recurrentes tandem lethum accerſunt.

Reſerato pectore reperiebatur pulmo ſiniſter in ſuperficie læſus, maximæ ſeri nonnihil purulenti copiæ innatans. EX ACTIS CHIRURG. PARISIENSIB.

OBS. 866. Juvenis octodecim annorum *ſpirandi difficultate* obnoxius, larga caſtanea-

mearum copia ſe ingurgitavit, unde *vomitus*, & major *ſpirandi difficultas*; quibus ſedatis poſtridie mortuus eſt.

Luſtratus abdomen præter modicam ſeri cruenti quantitatem, exhibuit lienem prægrandem & plumbeum, ponderis librarum quatuor & ſemis. Aperto pectore, occurrit magna ſeri copia in utroque pectoris latere. Pulmones coſtis hærebant per albas & teretes quaſdam fibras, quas ligamenta dixiſſes. Cor ſanguine turgebat. Ventriculi cerebri aqua limpida erant repleti. Plexus demum choroides vaſis ſolito tumentioribus conſtabat. LANCISIUS.

OBS. 867. Vir conſiſtentis ætatis vino deditus in *hæmophtoen* incidit. Dein *ſputa* excernuntur *purulenta* & copioſa, cum *febre* continua remittente. Sub ultimis vitæ diebus *reſpiratio fit difficilis*.

Reperiuntur ſex libræ colluviei ſeroſæ in abdomine, & ultra cavum ſiniſtrum ſeptem, in dextro thoracis vero unam circiter continebat. Bronchia cartilaginea, duriora annotabantur, & pluribus in locis fere oſſea. Tota pulmonum ſubſtantia, pro corruptione, diffluebat. CLAR. HAEN.

OBS. 868. Quidam laborabat *orthopnæa*, inter quam ſomnum capeſſere minime poterat. Accedebat præſertim gravior ſpirandi difficultas, cum ad quietem ſe componeret. Poſt plures menſes emergit *ſitis*, languet appetitus; *tument pedes*; pulſuſque fit frequens, debilis & intermittens: ſub qua rerum conditione brevi ad libitinæ rationem ducitur.

Occurrebat in utroque pectoris cavo ſerum copioſiſſimum fœtidum, cum pulmonibus ſphacelo tactis. Ventriculus & hepar paſſim gangrænoſa etiam videbantur. E MISCELL. CURIOS.

OBS. 869. Quidam *catarrhis obnoxius*, ab inſpirato aere frigido in *febrem*, prævio longo horrore *dyſpnæa* gravi ſtipatam incidit, quæ ſomnum arcebat, nec niſi ſedenti & erecto corpore ſpiritum ducere permittebat. Dein *tument hypochondria*; exacerbatur febris, & circa ſextum diem ad plures abit.

Aperto cadavere ſtupenda invenitur aquæ copia in thorace. Hepar præterea tumidum, induratum & retorridum; pumicis inſtar, hiulcum ac quibuſdam poris diſtinctum ſe offert. GAR. PISO.

COLLUVIES.

OBS. 870. Octogenarius ſenſim gravi *ſpirandi difficultate* opprimitur, præſertim de nocte; adeo ut invitus e lecto ſurgere, & ad feneſtras confugere cogeretur. Jam unum aut alterum annum inter haſce anguſtias vixerat ſuſpirioſus ſenex, cum morte, non immatura, e vivis exceſſit.

Reſerato pectore deprehendebantur pulmones, & præcordia, in plurima aqua, thoracis ſeptis intercluſa, natantia. GAR. PISO.

OBS. 871. Nobilis *arthriticus*, & *nephriticus*, contractis manibus, circa ſeptuageſimum ætatis annum, dyſpnæa cum ventre tumido corripitur. Accedit *tuſſis*, urget ſpirandi difficultas; creſcit *ventris & pedum tumor*. Tandem viribus ſenſim deficientibus, ſupervenit febricula, ac demum diarrhæa, quibus perſiſtentibus placide expiravit.

Secto abdomine erumpit aqua fœtidiſſima, ad quadraginta circiter libras. Omentum & meſenterium arefacta & contracta, ac convoluta, deprehendebantur. Maxima etiam erat diluvies in pectore. BONETUS.

OBS. 872. Fœmina triginta annorum *febre* corripitur, cum *dolore lateris dextri*, e qua poſt plures venæ ſectiones evaſit; remanente dolore obſcuro, cum febre lenta. Interea *corpus* fit *œdematoſum*, tumet abdomen, *difficilis* fit *reſpiratio*, pulſu parvo & inæquali. Celebratur paracenteſis, qua proſilit aqua ad libras octo, cum quodam levamine. Denegatur tamen decubitus in latus dextrum; & brevi obiit.

Inter ſectionem cadaveris inveniebatur aqua ſubflava & mucilaginoſa in dextro pectoris cavo; cum pulmone inibi compreſſo. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 873. Quidam cum *difficultate reſpirabat*, nec jacere poterat in latus ſiniſtrum. Querebatur de quadam *duritie ad ſuperiorem partem ventris*, quæ tactu percipiebatur eo in loco, ut cuipiam poſſet induratum pancreas videri.

Mortui apertus venter patefecit id eſſe jecur, a depreſſo diaphragmate compulſum.

COLLUVIES.

Reſeratus thorax oſtendit tantam ibi diaphragmatis parti aquæ copiam incumbere, ut etiam mediaſtinum craſſius factum ſiniſtrorſum impelleret. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 874. Virgo quadraginta annorum jamdiu *febre lenta* laborans, incidit in *tuſſim* ſiccam, cum ardore faucium, quibus ſe adjunxit *pedum tumor*. Anhelans, & *erecta cervice reſpirabat*. Vix pulſus percipiebatur, & ex improviſo obiit.

Luſtratum cadaver exhibet lienem triplo majorem quam par eſſet. Stagnabat ſerum limpidum in thoracis cavo, pulmonibus ſanis & liberis. Pericardium aquæ libras octo continebat. Cor erat magnum cum polypoſa concretione in dextro ventriculo. VALSALVA.

OBS. 875. Quidam *cachecticus* triginta annorum *ſpirandi difficultate* premebatur, cum difficili decubitu ad latus dextrum, & omnibus hydropis ſignis. Ex eo quod in ſolum latus ſiniſtrum decumbebat, de ſede morbi in hoc latere nulli dubitabamus; quod tamen falſum autopſia deprehenditur. Cum poſt obitum apertum pectus exhibuerit ſeroſam colluviem in ſolo dextro latere nidulantem; latere ſiniſtro plane inculpato. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 876. Vir quidam jamdudum *cachexia*, *ſpirandi difficultate*, cum virium debilitate, & *pedum intumeſcentia œdematoſa* affligebatur; cum incidit in *peripneumoniam*, ingenti lateris dolore ſtipatam, uſque ad obitum.

Inſtituta cadaveris ſectione, pulmo ſiniſter fere conſumptus deprehendebatur, cum plevra pene ſyderata. Duodecim aquæ libræ ſtagnabant in cavitate thoracis. BONETUS.

OBS. 877. Puella quinquennis eruptione quadam eryſipelacea, per totum corpus, cum æſtu & pruritu moleſtiſſimo laborabat; e qua evaſit. Menſe elapſo in *leucophlegmatiam* incidit. Paulo poſt ingruit *ſpirandi difficultas*, cum *dolore pectoris* gravativo, *tuſſi* ſicca, ſiti inexplebili & pulſu debili. Accedentibus tandem *lypothymiis* quinto die obiit.

Pulmones variis maculis ſignati aquæ copioſiſſimæ innatabant. Pericardium eodem latice erat ultra modum diſtentum. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 878. Mulier ſeptuagenaria, poſt *pleuritidem*, *nulla expectoratione* ſtipatam, querebatur de ſenſu ingentis *oppreſſionis* in ſiniſtra pectoris parte; adeo ut in lecto ſpirare non poſſet. Tum catarrhalem exſpuebat materiam: ſitiebat; & *crura* erant *œdematoſa*. Poſt quatuor menſes immani *diarrhœa* corripitur, quæ per tres menſes perſtitit, cum febrilibus acceſſionibus interdum recurrentibus. Septimo tandem menſe ab ineunte morbo, obiit.

Siniſtrum pectoris cavum aqua turbida erat plenum, pulmone illæſo. Dexter cordis ventriculus polypum recondebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 879. Fœmina gracilis, octo & viginti annorum, *difficile reſpirabat*, *ſitiebat*, & nonnihil exſpuebat; dum de *dolore* queritur in ſiniſtra thoracis parte, in quam, ut neque in dorſum, cubare non poterat. Quibus tamen ingraveſcentibus ultimum diem clauſit.

Reperiebatur ſiniſtrum thoracis cavum aqua plenum; in qua innatabant quædam ramenta membranacea. Pulmo dexter plevræ accretus & paululum induratus occurrebat; ſiniſtro plane inculpato. Abdomen denique aquæ ſubflavæ libras tres continebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 880. Juvenis quinque & viginti annorum, *tuſſi* laborabat cum ſputo, uti videbatur, purulento. Accedit *dyſpnœa*, cum *œdemate crurum* & palpebrarum. Demum urgente ſpirandi difficultate ſuffocatur.

In conſpectum venit utrumque pectoris latus aqua repletum; non ſecus ac pericardium. Veſicula fellis erat craſſiſſima. Poſtremo detegitur corpus oſſeum variis prominentiis exaſperatum, in dura matre, prope proceſſum falciformem; etſi nuſquam de dolore capitis, dum viveret, conqueſtus fuit. EX ACTIS PARIS. EXTERN.

OBS. 881. Vir qui antea brevi *ſpirandi difficultate*, per intervalla laboraverat, noviſſime ſe mori clamans, vehementer ambulare per cubiculum cœpit; & demum in lectum concidens illico mortuus eſt.

Thorax multas libras habuit ſeri cruenti.

ti. Aorta ſquamis oſſeis, & inter has quibuſdam tuberculis intus aſpera deprehenſa eſt. Cordis ventriculus ſiniſter cum ſua auricula [illegible] CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 882. Quidam *poſt peripneumoniam* excernebat *ſputum copioſum*; quo dein ſuppreſſo recrudeſcit *ſpirandi difficultas*, quæ ſenſim ingraveſcens quemvis præpedit decubitum. *Artus* fiunt *ædematoſi*, cum pulſu inæquali & intermittente. Tandem ſuffocatus obiit.

Utrumque pectoris cavum ſero repletum deprehenditur. Abdomen autem parum aquæ continebat. BERGEROU.

OBS. 883. Vir duodetriginta annorum, magnopere edax & potulentus, cum aliquot jam annos quadam *reſpirationis difficultate* laboraſſet, tandem in *anaſarcam* incidit. Major dein fit ſpirandi difficultas, cum *tuſſi*, ſputo & dolore in thorace; quæ paulo poſt ſequitur lethum.

Venter & thorax ſubfuſco ſero replebantur. Siniſter pulmo multum erat inflammatus, & ad plevram partim annexus. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 884. Quidam *defluxione in pectus*, cum *tuſſi* laborabat. Ingens erat *ventriculi tenſio*, cum ructibus & nauſea. *Nephritidi & arthritidi* erat etiam obnoxius. Tandem *ſubitanea ſuffocatione* extinguitur.

Pulmo dexter undique coſtis adnatus cernebatur, durus & inflammatus. Siniſter aquæ copioſæ & ſanguinolentæ innatabat. Ren ſiniſter nonnullos calculos recondebat. Dexter vero totus abſumptus erat cum aqua in abdomine. J. BAUHINUS.

OBS. 885. Puer quatuordecim annorum poſt *intempeſtivam capitis ſcabiei curationem*, incidit in *anaſarcam*. Poſtea *difficilis fit reſpiratio*, & brevi e medio tollitur.

Jecur ingens ſe obtulit. Inteſtina flatibus, fæcibus & lumbricis turgebant. Pectus præſertim dextrum ſero cruento erat plenum. Pulmones purulenti coſtis hærebant. Pericardium demum aquam copioſam recondebat. BONETUS.

OBS. 886. Mulier duorum & viginti annorum *cachectica* & *tuſſiens febre* corripitur, cum ſiti, & *tuſſi* moleſta, ac pauco ſputo. *Pedes ædematoſe tumebant*, & dein *totum corpus*. *Reſpiratio* erat *difficilis*, cum *præcordiorum anguſtia*, & ardore in ſini [illegible] ritur.

COLLUVIES.

Pulmones inveniuntur duri & inflammati, a plevra omnino ſoluti. Utrumque thoracis cavum aqua ſcatebat; non ſecus ac pericardium. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 887. Quidam circa quinquageſimum ætatis annum variis affectibus conflictabatur; *catarrhis* nempe, lotomia, melancholia, *pedum inflatione & dyſpnæa*, cum hydropis ſuſpicione. Nullum erat ſputum, & difficilis erat decubitus in latus dextrum. Tandem ſuffocatus interiit.

Pectoris ſiniſtra cavitas aqua lixivioſa ſcatebat. Apparuit in pulmone ejuſdem lateris ulcus grande, cum cineritio ichore. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 888. Anus ſeptuaginta annorum *difficulter ſpirat*, & nonniſi in dorſum cubat. Levi tuſſi *catarrhalem materiam exſpuit*. Multum ſitit. Pulſus aliquando vix percipitur. Ante obitum humorem æruginoſum vomitu rejecit.

Eadem materia replebatur ventriculus. In utraque thoracis cavea ſtagnabat ſerum ad libras tres. Uterque pulmo ad anteriora alligabatur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 889. Juvenis quinque & viginti annorum, *febre* corripitur, *dolore lateris* acutiſſimo ſtipata. Accedunt *tuſſis*, *ſputum ſanguinis* & *ſpirandi difficultas*. Ingraveſcentibus ſymptomatibus die decima ſeptima obiit.

Luſtrato cadavere, occurrit cavum pectoris aqua repletum. Pericardium cordi arcte hærebat. Hepar & duodenum varias gangrænæ & putredinis notas exhibebant. CRENDAL.

OBS. 890. Adoleſcens ſeptemdecim annorum *difficili reſpiratione* corripitur, *tuſſi* ſicca & ſiti. Parum mingit. Latere dextro nonnihil dolet, & in hoc aſſidue cubat. Tandem interiit.

Invenitur venter aqua plenus, cum toto hepate duro. Pulmo dexter etiam induratus aquæ copioſiſſimæ innatabat. CLAR. MORGAGNUS.

COLLUVIES.

OBS. 891. Vir ſexagenarius per quadriennium, initio levi, & poſtea gravi *pectoris anguſtia* detinetur. Ac demum quaſi fulmine tactus moritur. In ſecto cadavere, utraque pectoris cavitas aqua ex viridi citrina replebatur. Pulmones variis maculis nigris erant defœdati. BILGERUS.

OBS. 892. Virgo viginti annorum *febre acuta* continua laborabat. Die ſeptimo accedebant *convulſiones* & delirium, *reſpiratioque* erat *laborioſa*. Die nono obiit.

Pulmo dexter coſtis & ſterno hærebat, cum copioſo ſero ſtagnante in pectoris cavo. Inerant præterea concretiones polypoſæ in utroque cordis ventriculo. VALSALVA.

OBS. 893. Fœmina ſex & viginti annorum, poſt animi perturbationes, incidit in *anaſarcam*, cum gravi *ſpirandi difficultate*, & *ſenſu ponderis in thorace*; urgente ſiti: quibus ſenſim ingraveſcentibus obiit.

Hepar ingens diaphragma ſurſum pellebat. Ovaria erant indurata. Pectus erat aqua plenum, cum pulmonibus nonnihil duris, & maculis nigris diſtinctis. Dexter cordis ventriculus polypoſam habebat concretionem. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 894. Quidam nimio vini potu *pulmone debili* laborabat; unde *tuſſis*, & *ſuffocationis metus*. *Pedes* fiunt *œdematoſi*. Quibus pergentibus tandem e medio tollitur.

Cordis auricula dextra ultra modum tumebat. Dexter pulmo arctiſſimo nexu coſtis hærebat, cum ſero copioſo in thoracis cavitate. Hepar denique erat ſcirrhoſum. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 895. Mulier quædam juvenis poſt moleſtiſſimum puerperium, *hydropica* evadit. Venter tumebat & urgebat *ſpirandi difficultas*, cum difficili decubitu in latus dextrum. Evacuantur paracenteſi aquæ, ad libras decem, cum minimo levamine. Tandem ſuffocata occubuit.

Cavum pectoris ſiniſtrum aqua replebatur copioſiſſima, cum pulmone ultra modum contracto. EX ACT. PARISIENSIBUS.

OBS. 896. Adoleſcentulus in *ſpirandi difficultatem* incidit, cum pulſu frequenti, & *cordis palpitatione*: acuta orthopnæa, poſt tres menſes occubuit.

Utrumque thoracis latus aqua implebat turbida. Dexter pulmo variis filamentis plevræ annexus erat; arctius coſtis hærebat ſiniſter. Pericardium paucam aquam recondebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 897. In corpore puellæ *ſuffocatione* ſublatæ, invenitur copioſa aqua in thorace. Pulmones multis & parvis hydatidibus erant referti, ac ſanie conſpurcati. Pericardium & mediaſtinum pinguedine obſidebantur. Inteſtina poſtremo ultra modum flatulenta animadvertebantur. VVILLISIUS.

OBS. 898. In cadavere mulieris quæ inter varios morbos, *diuturna ſpirandi difficultate* premebatur, reperitur tota pectoris cavitas aqua plena, cum pulmonibus ſyderatis. Ventriculus contractus & puſillus pugni magnitudinem non excedebat. Hepar juſto grandius erat & ſcirrhoſum. BARTHOLINUS.

OBS. 899. Quidam improbo ſtudio indulgens, ſenſim in *cachexiam* incidit, cum ventre ſubtumido & *ſpirandi difficultate*. Ac demum irritis omnibus præſidiis ſuffocatione moritur.

Secto cadavere deprehenditur thorax, aqua ſaguinolenta omnino plenus; ita quidem ut ea exempta libras quatuordecim adæquaret. ŒTHEUS.

OBS. 900. Vir ſexagenarius gravi correptus eſt *ſpirandi difficultate*. Poſtridie *ſubitanea* & inexpectata morte rapitur.

Pulmones erant turgidi. Dexter plevræ hærebat. Utrumque pectoris cavum, cum pericardio, aqua ſubflava & turbida ſcatebat. Aorta ſub egreſſu e corde multum erat dilatata. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 901. Juvenis *tuſſi* ſicca laborabat. Poſtea *reſpiratio erat difficilis*. Ingruebant *cordis palpitationes*. Ac demum ſubita & inexpectata morte tollitur.

Reperitur magna aquæ copia in cavo pectoris; nullo in pulmonibus vitio, ſi compreſſionem excipias. VVEPFERUS.

OBS. 902. Quædam virgo *ſpirandi diffi-*

cultate premebatur; cum *cruribus œdematoſis*. Præterea de hypochondriorum flatulentia nonnunquam queritur. Tandem obiit.

Exenterato cadavere, deprehendebatur magna aquæ copia in pectoris cavo. VALLISNIERUS.

OBS. 903. Quidam geſtabat ſupra cancroſum tumorem pectoris laminam plumbeam; topiciſque refrigerantibus & repellentibus utebatur; cum in *ſpirandi difficultatem* incidit, nullo ſputo. Qua in dies ingraveſcente e vivis tollitur.

Inſtituta cadaveris ſectione, repertæ ſunt colluviei ſeroſæ amphoræ circiter quatuor. RONDELETIUS.

OBS. 904. Vir conſiſtentis ætatis *ſpirandi difficultate* laborabat, cum pulſu inæquali, & *artubus* inferioribus *œdematoſis*. Tandem ſuffocatus interiit.

Utrumque pectoris cavum aquæ copia replebatur; pulmones vero tuberculis obſiti deprehendebantur. VALLISNIERUS.

OBS. 905. Quemdam juvenem per octiduum urgebat *ſumma ſpirandi difficultas* quæ tandem lethum accerſit.

Secto cadavere in conſpectum venit pectus aqua ſcatens; pulmone dextro plevræ accreto. CRENDAL.

OBS. 906. Juvenis *febre quartana* laborans, incidit in *animi deliquium*, e quo evaſit: ſed poſtridie recurrens, ægrum, dyſpnæa plane expertem, e medio tollit.

Occurrit major aquæ copia in pectore; cum pulmonibus paſſim plevræ hærentibus. Lien ingens annotatur. CRENDAL.

OBS. 907. Vir triginta annorum *ſcabie* cum *pedibus œdematoſis* laborabat. Propagatur œdema ad partes ſuperiores, & brevi totum corpus tumet cum ſpirandi difficultate, & dolore lateris. Tandem ſuffocatus periit.

Inter ſectionem cadaveris reperiebatur latus pectoris ſiniſtrum aqua repletum. DEZON.

OBS. 908. Quidam *catarrhis* obnoxius in *ſpirandi difficultatem* incidit, cum pulſu inæquali & valde inordinato. Pergente morbo ex improviſo occubuit.

Reperta fuit in thorace magna aquæ quantitas ſubcruentæ, vel loturam carnium referentis. BALLONIUS. COLLUVIES.

OBS. 909. In cadavere cujuſdam duorum & quinquaginta annorum *hydrope* extincti, inveniebatur aqua citrina ad libras ſex in pectoris cavo. Pancreas & meſenterium paſſim ſcirrhoſa deprehendebantur. EX ACT. PHYS. MED. GERMAN.

OBS. 910. Senex octogenarius, cujus *ſputa, quaſi catarrhoſa*, fuerant *ſuppreſſa*, *orthopnœa* corripitur, qua ingraveſcente, cum difficili decubitu in latus ſiniſtrum, tandem extinguitur.

Corpore cultro anatomico ſubjecto, in apricum veniebat aquæ copia in dextro pectoris latere. BERGEROU.

OBS. 911. Quidam a viginti circiter annis *difficili reſpiratione* conflictabatur, cum tumente hypochondrio. Tandem e vivis diſceſſit.

Luſtrato corpore invenitur dextrum cavum pectoris ſero repletum; hepate plane inculpato. BERGEROU.

OBS. 912. In cadavere cujuſdam qui *febre nocturna*, cum *anhelitus difficultate* pene ſuffocante laboraverat, inventæ ſunt ſeroſi humoris ſordidi libræ decem; cum pulmone toto putrilaginoſo. BONETUS.

OBS. 913. Quidam juvenis *febre* prehenditur, *dolore lateris* & *ſpirandi difficultate*, ſtipata, qua decimo tertio morbi die, moritur.

Majorem aquæ copiam recondebat pectus; viſceribus omnibus tum pectoris, tum abdominis illæſis. CRENDAL.

OBS. 914. In cadavere cujuſdam qui nono die *poſt verbera*, ſubito extinctus fuerat, inveniebatur utrumque thoracis cavum aqua repletum: pulmonibus maculis nigris notatis. GRUBELIUS.

OBS. 915. Quidam juvenis ſumma *ſpirandi difficultate* vexabatur, cum *febre*. Procedente morbo, trigeſimo ſecundo die, doloris expers, obiit.

Secto cadavere occurrit utrumque pectoris

COLLUVIES.

——ctoris latus colluvie aquea repletum; inculpatis viſceribus. CRENDAL.

OBS. 916. In cadavere cujuſdam conſiſtentis ætatis, *inflammatione pectoris* ſeptimo die ſublati, pulmo ſiniſter purulentus CRENDAL. [illegible] Stagnabat a-

OBS. 917. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam, a tribus menſibus *cachectici*, reperiebatur maxima ſeroſæ colluviei copia utrimque in pectore: viſcera inſuper erant ſana. CRENDAL.

OBS. 918. In cadavere cujuſdam undecimo *pleuritidis* die extincti, occurrebant in utroque latere pulmones purulenti, & pleuræ accreti, cum hydrope pectoris. CRENDAL.

OBS 119. In quodam nono morbi die, *peripneumonia* ſublato, erat hydrops pectoris, cum abſceſſu & adhæſione in utroque pulmonum lobo. CRENDAL.

OBS. 920. Cadaver cujuſdam qui gra[illegible] & *diuturna ſpirandi diff*[illegible] aqueum in utra-[illegible]meba-tur, exhibeb[illegible]vitate. SAXONIA.

OBS. 921. In cadavere ſexagenarii, qui *dyſpnææ*, cum pulſus inæqualitate, fuerat obnoxius, thorax aqua plenum inveniebatur. CARDANUS.

His adde obſervationes Lib. I. 12, 128, 253, 258, 616, 620, 631, 697, 818, 866, 929, 947, 967, 1226, 1419, 1500, 1505, 1507, 1575, 1576, 1715, 1765. Lib. II. 1, 21, 37, 54, 55, 58, 61, 63, 769, 778, 839, 842. Lib. III. 48, 91, 227, 344, 404, 409, 414. Lib. IV. 72, 180, 225. Vide inſuper *Variæ cordis & pulmonum læſiones. Plevræ hydrops & mediaſtini latex.*

ARTICULUS II.

Latex cruentus in pectore.

OBS. 922. Juvenis quintum luſtrum agens a tribus quatuorve annis *dolore capitis* continuo, cum nonnullis remiſſionibus torquebatur. Sæpius accedebant graviores *vertigines*; nec raro plane *deficiebat memoria*. His adde *cordis palpitationes* identidem recurrentes. Sub hac rerum conditione, ventriculo alimentis turgido poſt injectum enema corruit; & ſubito extinguitur.

Secto cranio, deprehenditur adhæſio morboſa duos & ultra, pollices lata inter meninges in cervice, cum innumeris granulis albicantibus & intermediis; nec-non varicibus exiguis ſed numeroſiſſimis juxta latera ſinus longitudinalis ſuperioris. Reſeratum pectus exhibuit in latere ſiniſtro ſtupendam ſanguinis nonnihil congrumati copiam, cum corpore celluloſo aortam & œſophagum ambiente nigerrimo, & echymoſeos inſtar cuore infarcto, a cervice ad diaphragma. Rima qua ſanguis exitum ſibi paraverat, rudi & inexercitata manu inveſtigata, haud detecta fuit. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 922. (*a*) Quinquagenarius *aſthmaticus*, *hæmorrhoidibus ſuppreſſis*, in febrem doloribus rheumaticis ſtipatam incidit: quibus fugatis, cum bene ſe habere videbatur, *animi deliquio* prehenditur; & dein *apoplexia* cum paralyſi dextri lateris, & oris tortura. Poſtea recurrit *ſyncope*, quam excipiunt *motus convulſivi*. Poſt nonnullas inducias recrudeſcit morbus; ægrumque ad libitinæ rationem ducit.

Pia meninx ſolito craſſior flavo, hic illic muco fœdata conſpicitur. Ventriculus cerebri dexter ſerum cruentum continebat. Utraque pectoris cavitas cruento latice redundabat. Pericardium cordi annectebatur. Valvulæ aortæ craſſiores variis prominentiis, inſtar condylomatum erant exaſperatæ. Pancreas erat tumi-

dum

dum & ſcirrhoſum. LANCISIUS.

OBS. 923. Materfamilias duorum & quadraginta annorum, jamdudum valetudinaria, poſt concitatiorem corporis motum, querebatur de quodam *angore in ſiniſtra* & ſuperiore *thoracis parte*, cum *ſpirandi difficultate*, & ſiniſtri brachii ſtupore, quæ omnia quiete remittebant. Cum læto animo in rheda veheretur, ſimili paroxyſmo correpta, derepente mortua eſt.

Reperitur ſeri per ſe cruenti magna copia in ſiniſtro pectoris latere. Cor magnum & robuſtum ſe præbebat, cum aorta ad curvaturam non parum dilatata. Præterea ventriculus quaſi duplex videbatur: pylori ſcilicet antrum quadantenus a parte reliqua per conſtrictionem quamdam dividebatur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 924. Quidam melancholicus & litteratus de *anxietate* & *vomitu* jamdiu conflictatus, cum poſt prandium in locum ſecretiorem ſecedit, ubi præter conſuetudinem ultra horæ quadrantem commoratur; famulus ibi humi jacentem invenit, quaſi *apoplecticum*: & poſt duas horas fatis ceſſit.

Thorace aperto, nec cor, nec pulmones percipiebantur, ob maximam ſanguinis grumoſi copiam, in utroque latere ſtagnantis. Luſtrato cerebro deprehenditur ſerum cruentum extra ventriculos. BONETUS.

OBS. 925. Juvenis triginta annorum poſt plures labores, *dolore in ſiniſtra pectoris parte* levi & obtuſo corripiebatur, cum *febre & difficili reſpiratione*; nullo ſputo. Cum poſt decimum quartum diem nonnihil remittere videbatur morbus, ex improviſo ingens accedit ſpirandi difficultas, cum ſtertore & ſputo copioſo, ſpumoſo & roſei coloris. Atque decimo ſeptimo mortuus eſt.

Siniſter pulmo inflammatus conſpiciebatur; ſi partem ſuperiorem excipias, ex qua tamen, quamvis ſana, duobus in locis ſanguis ſtillatim erumpebat; ut ejus libræ quatuor & amplius, in eadem ſiniſtra thoracis cavea, ſtagnantes repertæ ſint. VALSALVA.

COLLUVIES.

OBS. 926. Vir ſexaginta annorum, *tuſſi* obnoxius, inſultu violento corripitur, cum *ſenſuum abolitione*, *erumpente per os ſanguine* copioſiſſimo. Remittente morbo poſt quatuor horas recurrit *tuſſis ferociſſima*, iiſdem ſymptomatibus ſtipata, qua brevi ad plures mittitur.

Repertus eſt ſanguis effuſus in cavum pectoris ſiniſtrum. Pulmo ejuſdem lateris, paſſim coſtis hærens, in inferiori parte putridus; in ſuperiori vero dilaceratus annotatur. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 927. Introſpecto cadavere cujuſdam mulieris *phthiſicæ*, *ſubitanea morte* raptæ, pulmo ſiniſter varia tubercula purulenta recondebat. In latere vero dextro reperiebatur ſanguis concretus, ad libras quatuor, qui effuſus erat a trunco venæ ſine pari; quæ dilatata ad venæ cavæ amplitudinem accedebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 928. Inter ſectionem cadaveris viri *poſt arduum laborem ſubito interempti*, in conſpectum veniebat vena cava prope cor diſrupta: hinc ſanguis majori proventu effuſus in cavum dextrum pectoris annotabatur. BARTHOLINUS.

OBS. 929. In cadavere cujuſdam ſalaciſſimi *inter amplexus venereos exſtincti*, in apricum veniebat ſanguis effuſus in dextrum pectoris cavum, a venæ cavæ dilaceratione. AMATUS. LUSIT.

Hanc claſſem ſubeunt obſervationes Lib. I. 393, 646, 1628, 1754. Lib. II. 80, 98, 203, 661, 678, 781, 881, 885, 903. Inſuper vide *Anevriſma*.

Colluvies.

ARTICULUS III.

Colluvies ſordida.

OBS. 930. Juvenis quinque & viginti annorum, prægreſſo frigore tremulo, *febre*, *calore acri* & mordaci ſtipata, corripitur, cum pulſu duro & frequenti; ſævientibus exacerbationibus alternis diebus. Urgebat *ſitis*, cum lingua arida & oris amarore. Interea dolore capitis cum vigiliis pertinaciſſimis torquebatur. Vomitus & dejectiones alvinæ bilem æruginoſam referebant. Tandem accedentibus *cardialgiis*, *anxietatibus* & *ſingultu*, ſexto morbi die, fatis ceſſit.

Vaſa cerebri infarcta deprehendebantur, plexu choroide varicoſo, cum parum aquæ ſtagnantis in ventriculis. Pulmones variis inflammationis & gangrænæ notis ſignati, ſero copioſo & ichoroſo innatabant. Cor aridum & corrugatum occurrit, ejus atria & thalami ſanguinem polypoſum recondebant. Hepar purulentia & putredine tactum obſervatur. Cyſtis fellea bile porracea turgebat, quæ etiam ventriculum conſpurcabat. Erat demum colluvies ſordida in abdomine. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 931. Vir quinque & quadraginta annorum vivens in paludoſis regionibus, *gravi reſpiratione* laborabat. Poſt aliquot menſes *febre vehementi* corripitur, cum *dolore lateris ſiniſtri* pungente & gravativo; atque in hoc difficili decubitu, *ſitis* erat magna, & *tuſſis* moleſta, cum *ſputo* aliquando *ſubrubro*, pulſu duro & frequenti. Poſt quinquaginta dies melius ſe habere videbatur, cum reſurgit febris ardentior, ſiti ſtipata, erat *ſenſus ponderis in toto thorace*; tuſſis moleſta & ſputum copioſum. Hypochondria demum dolent; & moritur.

Pulmo ſiniſter nigris conſperſus maculis ultra modum contractus annotabatur, cum ſtagnante aqua ſanioſa & gelatinoſa. VALSALVA.

OBS. 932. Puer quatuordecim annorum poſt gravem *pectoris contuſionem*, *febre* vehementi, cum *dolore pectoris* acutiſſimo corripitur. Circa quartum diem, progrediente febre, contuſum latus fit ædematoſum, cum gravi *ſpirandi difficultate* & difficili decubitu in latus ſiniſtrum. Ingraveſcunt omnia ſymptomata; corruunt vires & frequentes *lypothymiæ* accedunt, pulſu tandem obſcuro & quaſi oblitterato, die trigeſimo quinto morbi, occubuit.

Reperitur in cavo pectoris dextro materia purulenta ſtagnans ad libras ſex. Occurrit plevra variis granulis albicantibus exaſperata & ſolito craſſior. Pulmo contractus, nullam notatu dignam læſionem præ ſe ferebat. E DIARIO MEDICO.

OBS. 933. Quidam in *pleuro-peripneumoniam* incidit; qua neglecta inſignis ſe prodit & *univerſalis pectoris tumor*; unde magna *pectoris oppreſſio*; cum frigore extremorum, & pulſu fere oblitterato; ac tandem mors.

Secta protuberantia externa magnam ſeri purulenti copiam exhibuit. Aperto pectore, totum inundatum materia ejuſmodi purulenta, incraſſata, ad inſtar grumorum caſei. Pulmones firmiter annectebantur coſtis & diaphragmati. Plevra erat craſſiſſima. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 934. Quidam ebrioſus cum inter rixas *verberibus exciperetur*, & *pedibus calcaretur*, *ſanguinem per os* & *alvum* copioſe egeſſit, cum *ſpirandi difficultate* & *dolore lateris* punctorio. Dein viribus deficientibus vitam cum morte commutavit.

Repleta erat cavitas dextra pectoris copioſiſſima materia acri & purulenta. Pulmo ejuſdem lateris ferme conſumptus erat, cum eroſione plevræ & pericardii. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 935. Vir triginta annorum poſt graviſſimam *pectoris contuſionem*, incidit in *ſpirandi difficultatem* moleſtiſſimam, cum dolore lateris acuto. Sequitur *hæmophtiſis*, & ſanguine affatim erumpente ſuffocatus interiit.

Pectoris cavum ſiniſtrum ſero purulento reple-

repletum occurrit, cum plevra & pericardio ulcere eroſis. Pulmo erat putridus & ferme abſumptus. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 936. Quidam affligebatur *dyſpnæa* & *tuſſi* vehementi. *Venter & pedes tument*. Ingraveſcit poſt nonnullas remiſſiones ſpirandi difficultas, & obiit.

Reſerato thorace, in propatulum venit maxima materiæ purulentæ copia ſtagnans in latere dextro; cujus lateris pulmo totus in tabum abierat. Erat præterea hydrops abdominis. C. BAUHINUS.

OBS. 937. Adoleſcentulus duodeviginti annorum, cum jam a *pleuritide* evaſiſſet; iterum corripitur *febre*, ſiti, & *ſputo cruento*, vel purulento. *Tumet facies*: difficilis eſt decubitus in latus ſiniſtrum. Venter in altum attollitur; & poſt duos menſes obiit.

Dextrum thoracis cavum erat pure omnino plenum, cum pulmone contracto, & varia tubercula purulenta recondente. VALSALVA.

OBS. 938. Quidam prægreſſis quibuſdam febribus queritur de *ſiti*, *difficili reſpiratione*, & *ſenſu ponderis* in *medio thorace*: difficile decumbebat in ſiniſtrum latus. Nullus erat pedum tumor ædematoſus. Tandem moritur.

Introſpecto cadavere, occurrit ſiniſtrum thoracis cavum colluvie purulenta repletum. Lobus pulmonis ſuperior aliquantum induruerat. VALSALVA. COLLUVIES.

OBS. 939. In cadavere cujuſdam fœminæ quæ viginti circiter menſibus *dolore circa ſcapulas* conflictata fuerat deprehendebatur collectio putridæ & olidæ materiæ in thorace. BALLONIUS.

OBS. 940. Quidam *empyemate* laborans *urinas purulentas*, cum levamine excernebat. Tandem fatis conceſſit.

Inter ſectionem cadaveris, invenitur pectus materia purulenta & fœtida conſpurcatum, inculpatis renibus & veſica. DIEMERBROEK.

OBS. 941. Exenterato cadavere juvenis *phthiſici* in conſpectum veniebat pulmo dexter corrugatus, lividus & quaſi tabe confectus, ab ambiente colluvie purulenta. SYLVIUS.

In hac ſerie recipiuntur obſervationes Lib. I. 666, 712, 729, 1123. Lib. II. 57, 680, 710, 766, 777. Lib. III. 466. Lib. IV. 106. Cæterum. Vide *Pulmonum inflammatio*, *purulentia*, *abſceſſus* & *gangræna*. *Plevra inflammata*, *purulenta*, &c.

ARTICULUS IV.

Humor lacteus.

OBS. 942. Puer biennis in *peripneumoniam* incidit; e qua evaſit. Poſtea valetudinarius *tuſſi* & *difficili reſpiratione* per integrum annum conflictatur; a quo tempore *febre hectica*, & intermittente cœpit detineri. Tum abdomen hydropico tumore diſtenditur cum atrophia & appetitu voraci, ad funeſtam uſque diem.

Cadaver examini anatomico ſubjectum exhibebat pulmones in parte poſtica ſcirrhoſos, cum hydrope chyloſo tum in pectore, tum in abdomine. MORTON.

OBS. 943. Inſtituta cadaveris ſectione cujuſdam juvenis, qui *hydrope pectoris* laboraverat; e quo arte chirurgica eductus fuerat humor lacteus, in conſpectum veniebat ductus thoracicus circa quartam dorſi vertebram dilaceratus, e quo foramine effluebat materia chyloſa in pectore ſtagnans. BASSIUS.

De hac læſione, Vide *Ductus thoracici læſiones*.

Collu-vies.

ARTICULUS V.

Pectus falſo inſimulatum.

OBS. 944. Quidam poſt febrem lentam, inſultus convulſivos, &c. bene ſe habere videbatur; etſi quid notabile latere conſtanter fatebantur medici; ad quod impugnandum varia adhibentur præſidia, quæ non impediunt quominus omnia recrudeſcant ſymptomata & ad vitæ terminum properetur æger. Interea accedit *tuſſis*, ſæviunt flatus & pergit *febris*. *Crurum* tumor ſenſim ad genua, femoraque conſcendens prioribus ſe junxit ærumnis. Superveniunt *anxietates*, cum *reſpiratione debili*, appetitu proſtrato, & exploſione flatuum continua; dolent brachia tumida; *tuſſis* exacerbatur, cum *ſputo* nunc ſeroſo, nunc *purulento*. Noctes erant inſomnes & plane impeditur decubitus. Tandem omnibus vigentibus ſignis hydropis pectoris ultimum diem clauſit.

Cranium deprehenditur craſſum, cum copioſa diploe. Caries ſupra orbitam occurrit cum læſione cerebri & adhæſione proximiorum meningum. Stagnabat utrimque ſerum ſub pia meninge; cujus vaſa ſanguine plus æquo diſtenta cernebantur. Plexus choroidei erant exangues. Pulmones vero erant inculpati. Aſpera arteria oſſeam duritiem mentiebatur. Cor patet ingens, ſed flaccidum & coagulato cruore plenum; valvulis mitralibus ſiniſtri thalami nonnihil oſſeis. CLAR. HAEN.

OBS. 944. (*a*) Tibicen poſt violentum artis exercitium immani & *aſſidua tuſſi* corripitur. Pluribus incaſſum tentatis præſidiis, accedunt tractu temporis *febris lenta* & *maraſmus*; ac tandem interitus.

Inſtituta cadaveris ſectione in conſpectum veniebant pulmones, qui pro ſede morbi habebantur, plane inculpati. Ventriculus & inteſtina erant contracta & corrugata. Pancreas ſcirrhoſum deprehendebatur; nec ab hacce labe immunes erant glandulæ meſentericæ. PORTAL.

OBS. 945. Mulierem quatuor & ſexaginta annorum ferocior *cordis palpitatio* vexabat, cum vaſorum pulſatione in cervice. Pulſus explorabatur in carpo obſcurus & inæqualis. *Difficilis erat reſpiratio*, & tandem difficillima, *protuberabat abdomen*, cum *artubus* inferioribus *ædematoſis*. Quibus pergentibus & ingraveſcentibus denique accedit lethum.

Examini tradito cadavere, multum ſanguinis annotatur ex ore erumpentis. Pauca aqua flava ſtagnabat in pectore & pericardio. Cor magnum ſanguinem grumoſum & copioſum continebat, majoribus arteriis æquo capacioribus. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 946. Mulier quadraginta annos nata de proſtrato appetitu & *cordis palpitatione*, menſibus non deficientibus conquerebatur. *Senſus* erat *eroſionis in thorace*, & *difficilis* erat *tranſitus alimentorum* in ventriculum. Tandem inter loquendum mortua eſt.

Erat in thorace aqua non pauca. Peremptus ventriculus humore erat repletus. Splen durus annotabatur cum aqua in abdomine. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 947. Mulierem corripuit *cordis palpitatio*, quæ poſt varias remiſſiones rediit ea vehementia ut pectus attolli ad ſingulos ictus cerneretur. Accedunt *thoracis dolor*, *ſpirandi difficultas*, & *febris* cum ſuſpicione peripneumoniæ. Paulo poſt viribus plane deficientibus obiit.

Multum ex ore cadaveris effluxit ſanguinis. In thorace & ventre accurate luſtratis omnia ſana deprehendebantur. CLAR. MORGAGNUS.

Circa hunc caſum, Vide *Pulmones falſo incuſati*.

HISTORIA
ANATOMICO-MEDICA
SISTENS

Numeroſiſſima Cadaverum extiſpicia, quibus in apricum venit genuina morborum ſedes; horumque obviæ fiunt cauſæ; vel reſerantur effectus.

LIBER TERTIUS,

Tradens læſiones internas capitis.

CEREBRUM duntaxat, cum ſuis involucris reſpicit tertius liber, hinc prioribus longe contractior. Quandoquidem tumores paſſim in pixide oſſea occurrentes ex omnibus partibus indiſcriminatim erumpunt; hos faſciculi inſtar colligere, & ſeorſum tradere, dilucidioris doctrinæ gratia nil vetat. Morboſarum protuberantiarum hiſtorias, memoratu dignas, excipiunt variæ ſtagnationes; ſanguineæ nempe, ſeroſæ, mucoſæ & ſordidæ; nunc omnes partes defœdantes, nunc hanc vel illam inquinantes. Finem huicce libro imponunt obſervationes circa inſecta in quavis cerebri parte nidulantia; nec non circa corpora extranea, lapides nempe, hydrargyrum & globulos plumbeos, quæ haud raro in variis receſſibus latitantia deprehenduntur. Nemo non intelligit quanti ſit momenti haſce capitis interni læſiones & defœdationes apprime noſſe, cum exhinc prodeant cephalalgiæ ferociores, variæ delirii & ſomnolentiæ ſpecies, apoplexia & paralyſis, epilepſia & vertigines, convulſiones, tremores, &c. qui affectus herculei vix domari patiuntur; ni apprime innoteſcat genuina horum cauſa ſola cadaverum perſcrutatione reſeranda. Notare expedit quod, etſi capitis conſtitutionem ingrediantur oculi, aures, lin-

gua, fauces, &c. Harum tamen partium læſiones pro inſtituti ratione ad quartum librum, vel ſeriem partium externarum amandentur.

SECTIO PRIMA.

DE MENINGIBUS.

ARTICULUS I.

Meningum craſſities.

MENINGES.

OBSERV. 1. Fœmina viginti annos nata *cephalalgia* erat obnoxia, qua inter menſium fluxum exacerbata cervix in latus invite diſtorquebatur. Variis incaſſum adhibitis præſidiis, accedunt *vertigines* & *lypothymiæ*. Ingruit tandem affectus *ſoporoſus*, qui apoplexiæ inſtar ægram brevi ad libitinæ rationem ducit.

Inſtituta cadaveris ſectione, ſe obtulerunt, remoto cranio, venæ duram matrem perreptantes, ultra modum dilatatæ & varicoſæ. Hoc involucrum denſiſſimum erat inſolite, & inſignis craſſitiei, præſertim circa baſim cerebri. VVILLIS.

OBS. 2. Inter diſſectionem cadaveris cujuſdam viri ſeneſcentis, *catarrhis* obnoxii, & de *capitis debilitate* perpetuo queruli, reperiebatur pluſquam libra ſeri tenuioris inter meninges collecti; quo turgida pia meninge ſolitam craſſitiem quater ſuperabat. Ventriculi vero cerebri ejuſmodi colluvie ſcatebant. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 2. (*a*) Reſerato cranio cujuſdam juvenis brevi demortui, & qui pridie operationem trepani paſſus erat, valde craſſa & colore albo diffuſa apparebat dura meninx, præſertim in orificii limbo. Cerebrum erat putridum & magna ſeri ſanguinolenti quantitas in ventriculis ſtagnabat. PORTAL.

Inter affines numerari debent obſervationes Lib. I. 959. Lib. II. 922. Lib. III. 44, 85, 90, 169, 472.

ARTICULUS II.

Meninges aridæ.

OBS. 3. Virgo ſeptem & viginti annorum, jampridem *febre lenta* conflictabatur, cum vomitu bilioſo & moleſtiſſimo. Procedente morbo & nonnihil exaſperato, ingruunt *convulſiones* horrendæ, & *epilepticæ*, quibus, omnibus præſidiis obſurdeſcentibus, intra triduum e vivis diſceſſit.

Inſtituta cadaveris ſectione, conſpiciebatur cranium craſſiſſimum, cum ſuturis fere oblitteratis. Medulla oblongata occurrit colluvie bilioſa, vel flaveſcente, inquinata. Vaſa plexus choroidis ſe præbebant inania; ſimili ratione deplebatur ſinus falcis ſuperior. Meninges vero, aridiſſi-

riđiſſimæ annotabantur. FANTONUS.

Haud abſimiles caſus præbent obſervationes Lib. III. 76, 165.

MENINGES.

ARTICULUS III.

Meninges hydatidibus obſeſſæ.

OBS. 4. Quidam juvenis jam per tres dies *alvi fluxu* laborabat, cum in *delirium* cum furore, ſine cauſa manifeſta incidit; nulla febre. Poſtridie inter continua deliria, & labores, expiravit.

Cadaver cultro anatomico ſubjectum exhibebat pectoris & abdominis viſcera ſana & inculpata. Reſerato capite deprehendebantur vaſa multo cruore diſtenta. Pia meninx parvis bullulis aqua plenis in nonnullis locis quaſi racematim congeſtis obſita erat. Ventriculi cerebri aqua ſcatebant: & annotabatur ſerum cruentum, ad unciam unam, circa medullam oblongatam. CLAR. HAZENOHRL.

OBS. 4. (*a*) Vir quidam *leucophlegmatia* cum *duritie in hypochondrio dextro* & *vultu tumido*, laborabat; quibus pergentibus ſupremum obiit diem.

Hepar ingens & lapideſcens videbatur; textus cellularis interior & exterior ſero craſſo diſtendebatur; & plevra, peritoneum & meninges hydatidibus erant infarcta. PORTAL.

ARTICULUS IV.

Meningum coalitus.

OBS. 5. Adoleſcens viginti annorum, jampridem *ſæviſſima cephalalgia* conflictabatur. Variis incaſſum adhibitis præſidiis, tandem occubuit.

Dempto cranio, in propatulum veniebat dura mater, ſub fronte, admodum rugoſa. Sub oſſe ſyncipitis hæc reperiebatur membrana; tenui meningi, intermediis fibris validiſſimis, præter naturam accreta. VVEPFERUS.

OBS. 6. Introſpectis capitibus variorum defunctorum, qui dum in vivis agerent, *cephalalgiæ* miſerrime erant obnoxii; inveniebatur juxta ſinum longitudinalem pia meninx duræ accreta; & coalitione ſua tumorem aſperum & inæqualem excitans; adeo ut ſanguini ad ſinum appellenti nullus aditus relinqueretur. VVILLIS.

OBS. 7. Quidam litteratus intolerabili *capitis dolore* tenebatur. Pars dolens in ſyncipite, digiti magnitudinem non ſuperabat.

Poſt obitum aperto capite, reperitur in parte, doloris ſede, craſſum cerebri involucrum inflammatum, & calvariæ hærens, pauculo humore putri interjecto. FERNELIUS.

OBS. 7. (*a*) In cadavere cujuſdam poſt duriſſimos capitis morbos *inſultu apoplectico* e vivis ſublati, membranæ cerebri inter ſe concretæ conſpiciebantur. VVEPFERUS.

OBS. 7. (*b*) Luſtrato cadavere viri jam ſeneſcentis, qui *cephalalgia* contumaciſſima laboraverat pia meninx late juxta longitudinem majoris ſinus, duræ accreſcebat. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 7. (*c*) Poſt diras contumacioreſque *cephalalgias* meninges cerebri ſiccas & con-

MENINGES.

concretas in pluribus obſervavit BALLONIUS.

Hanc claſſem ingrediuntur obſervationes Lib. III. 17, 223, 266.

ARTICULUS V.

Meninges inflammatæ.

OBS. 8. Juvenis *febre* quadam *tertiana continua*, cum graviſſimis ſymptomatibus laborabat. Summam ſævitiem exercebant *cephalalgia* & vigiliæ; quibus pergentibus accedit nono die *phrenitis* cum pulſu duro, cute arida & oculis flammeis. Tandem furioſus die decimo tertio occubuit.

Luſtrato capite, meninges & præſertim pia, tumentes obſervantur, cum omnibus inflammationum notis. Vaſa ſanguine nigriuſculo turgent, & cerebrum maculis ſanguineis undequaque notatum ſe præbet. FONTANUS.

OBS. 9. Juvenis academicus per duas ſeptimanas de graviſſimo *capitis dolore* conquerebatur. Succedunt *febris*, vigiliæ, *motus convulſivi*, & delira confabulatio. Nil proficientibus remediis ad plures migravit.

Calvaria aperta, occurrunt vaſa & ſinus ſanguine diſtenta; cum meningibus phlogoſi correptis. Reperiuntur inſuper ventriculi, & omnes cerebri receſſus, aqua limpida pleni. WILLIS.

OBS. 10. In luſtrato capite cujuſdam *phrenitici*, intra biduum rapti, occurrit cerebrum, cum ſuis involucris inflammatum, & adeo tumens ut venæ ab ipſius ſubſtantia ſeparari poſſent. In nonnullis aliis eodem morbo denatis annotabatur ſola pia meninx phlogoſi tacta, abſque cerebri noxa. RHODIUS.

OBS. 11. Juvenis cum per duas ſeptimanas de graviſſimo *capitis dolore* conqueſtus eſſet, tandem *febre acuta*, cum vigiliis, & *motibus convulſivis*, ad plures migrat.

Vaſa meninges perreptantia ſanguine ultra modum turgentia annotabantur. Ipſæ vero membranæ tumore phlegmonode per totum affectæ apparebant. Præterea copioſa ſtagnabat aqua in cerebri ventriculis, aliiſque anfractibus. BONETUS.

OBS. 12. In cadaveribus variorum *phrenitide*, *febris malignæ* ſymptomate, defunctorum, conſpiciebatur pia meninx adeo inflammata, ut colore atro-rubro inficeretur. Dura meninx vero leviorem ſolummodo inflammationis gradum præ ſe ferebat. CLAR. HALLERUS.

OBS. 13. Quædam virgo in poſtem incidit, *vulnuſque in vertice* contraxit. Sexto a caſu die *delirio* corripitur, cum rubore oculorum & faciei. Sequente die obiit.

Invenitur ſanguis ſub cranio collectus. Cerebri vero involucra inflammatione manifeſta afficiebantur. BONETUS.

OBS. 14. Quidam poſt varios morbos, tandem invaleſcente *febre*, cum *paraphrenitide*, uti videbatur, extinctus eſt.

Inſtituta cadaveris exenteratione deprehendebatur dura mater inflammata, non ſecus ac plexus choroides. Præterea occurrit ichor multus inter cerebrum & meninges. HILDANUS.

OBS. 15. In cadavere cujuſdam juvenis tetano, nulla cauſa manifeſta ſublati, reperitur pia meninx inflammata, cum nonnullis ſuppurationis notis; cerebro plane inculpato. CLAR. LECAT.

Hunc ordinem ſubit obſervatio Lib. III. 187. Præterea vide *Meningum purulentia*. *Cerebri inflammatio*.

ARTICULUS VI.

MENINGES.

Meninges puſtuloſæ.

OBS. 16. Quidam juvenis a *retroceſſu eryſipelatis* in tibia, poſt admota inopportuna topica, conqueritur de affecto abdomine, & de dolore in latere dextro pectoris. Accedunt *febris*, nauſeæ, & *lypothymia*. Poſt triduum *intumuit caput*; reſpiratio difficilime exercetur. Lingua extra os perpetuo exeritur; hinc hujuſce partis ariditas & ſitis vehemens. Adeo inſignis fuit totius capitis cum rubore intumeſcentia, ut prioris formæ vix ulla ſupereſſent veſtigia. Poſtridie diſcutitur tumor, ſuccedit *phrenitis*; & undecimo morbi die moritur.

Reperitur in abdomine hepar exiguum, exſuccum & lividum, cum inteſtinis vacuis, & quaſi contractis. Plevræ pars dextra puſtulis miliaribus obſita deprehenſa eſt; non ſecus ac pulmones ante & retro. Dempto cranio ſimilibus puſtulis conſperſa apparuit dura mater, omnino exſucca & arida. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 17. Quidam juvenis in carcere detentus *perpetuo ſtupore* afficitur; ac tandem in *epilepſiam* incidit, in qua brevi e medio tollitur.

Secto capite in conſpectum venit dura meninx puſtulis obſita, & nonnullis in locis eroſa, cerebro paſſim per foramina erumpente. Vaſa cerebri ſanguine nigro erant repleta, cum nonnullis inflammationis notis. Ventriculi ſerum continebant. RUMLERUS.

OBS. 18. In cadavere cujuſdam viri quinquageſimum quintum ætatis annum agentis, a pueritia, uti ferebatur, *epileptici*, in conſpectum veniebat dura meninx craſſior, tuberculis exaſperata, & piæ meningi firmiter adglutinata. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

Ad hunc ordinem revocari debet obſervatio Lib. III. 179.

ARTICULUS VII.

Meningum purulentia.

OBS. 19. Quidam a violenta *capitis contuſione* corruit ſenſu orbatus. Poſtridie cum bene ſe habere videretur *delirio* corripitur. Tertio die ſectis tegumentis partis tumentis, & contuſæ, nulla deprehenditur fractura. Dein accedit *tetanos*; & quinto die interiit.

Luſtrato capite, dura meninx nonnihil labefactata obſervatur. Pia meninx inflammationis & purulentiæ notas exhibebat. Stagnabat etiam materia purulenta in cerebri ventriculis; & circa baſim cerebri, alias ſani. CLAR. LECAT.

OBS. 20. Miles *poſt caſum ab alto*, omni ſenſu carens, fluxu ſanguinis e naribus & auribus afficitur. Mentis compos de quodam *dolore* & *ſtupore capitis* queritur. Vigeſimo octavo a caſu die, cum omnia bene ſe habere videbantur, *febre* corripitur *delirio* & *convulſionibus* ſtipata, qua intra biduum e medio tollitur.

Luſtrato capite reperitur in utroque proceſſus falciformis latere, inter duram & piam meningem, abſceſſus, quo cranium & cerebrum lædebantur. DUPUY.

OBS. 21. In cadavere cujuſdam *febre maligna* tacti & *phrenitici*, qui brevi ante mortem *convulſionibus* validiſſimis correptus fuerat, meninges occurrebant inflammatæ, alias illæſæ. Sed ſtagnabat in baſi cra-

MENINGES. cranii copia puris ichoroſi & fluidi, nervorum exitum ambientis. CLAR. HALLERUS.

OBS. 22. In luſtrato capite cujuſdam *phrenitici*, a febre mali moris, inveniebatur pus tenue & fluidum, in omnes cerebri corticis circumvolutiones penetrans, quod tenuem meningem quaſi deleverat. Præterea ichor putris fluctuabat in cerebri ventriculis. CLAR. HALLERUS.

OBS. 23. Quædam mulier poſt menſem a *contuſione capitis*, per jactatum lapidem, incidit in ſymptomata purulentiam cerebri concomitari ſolita: quibus perſiſtentibus, obiit.

Sectum caput exhibet puris copiam inter meninges, quarum dura ſumme labefactata conſpiciebatur. LAMOTTE.

OBS. 24. Mulier in *capite percutitur*; poſthabito levi vulnere, tertio die exſurgit *febris* vehemens, gravioribus ſymptomatibus ſtipata, quibus brevi conficitur.

Aperto capite ingens phlegmone inventa eſt infra calvariam. Dura meninx tumens & livore affecta, atque ingenti puris copia ſuffuſa deprehenditur. BONETUS.

OBS. 25. Adoleſcentula, epilepticæ filia, in *febrem* immani *capitis dolore* ſtipatam incidit; & intra quatriduum perempta eſt.

Sublato cranio inveniebatur tenuis meninx materia quadam ſubflava, craſſiuſcula & purulenta, oblita. CLAR. MORGAGNUS.

In hoc cenſu locum obtinet obſervatio Lib. III. 176. Vide *Colluvies ſordida*.

ARTICULUS VIII.

Meninges eroſæ.

OBS. 26. Quidam per biennium de *dolore in occipite* conqueſtus fuerat. Tandem *phrenitide*, *motibuſque convulſivis* corripitur, ac brevi extinguitur.

Apertum caput exhibet craſſam meningem aliquot locis exeſam & perforatam; potiſſimum in bregmate ſub ſutura ſagittali. Ex his foraminibus effluebat ſanguis ater concretus, & fœtens. Inſuper occurrit in cerebello abſceſſus humore ſubflavo, pallidæ bilis inſtar, repletus. PAVVIUS.

OBS. 26. (*a*) Juvenis viginti circiter annos natus *ſyphilide* laborans e vivis diſceſſit.

Sectum cadaver exhibet carioſa oſſa fere omnia corporis, imprimis vertebras & oſſium extremitates articulatas; eadem labe infecta erant cranii oſſa præcipue parietale dextrum; dura membrana quæ erat ipſi ſubjecta pure defœdabatur; cerebrum & cerebellum purulentia non erant immunia; & pulmones cum glandulis axillaribus pure etiam conſpurcabantur. PORTAL.

OBS. 26. (*b*) In variis cadaveribus reperiebatur falx magnis foraminibus pervia; cortice cerebri unius lateris, cum cortice alterius coaleſcente. CLAR. HALLERUS.

In hac claſſe recipi queunt obſervationes Lib. III. 17, 141, 142. Cæterum. Vide *Colluvies ſordida*.

AR-

ARTICULUS IX.

MENINGES.

Meninges putres & ſyderatæ.

OBS. 27. Vir puſillæ ſtaturæ & temperamenti melancholici, *fumo tabaci* adeo ſe addixit per aliquot ante obitum annos, ut inde proſtratus ſit appetitus, ſolo mero vitam ſuſtinens. Tum de *dolore in ſyncipite*, cum ardore inſigni conquerebatur, ita moleſto, ut manus vertici perpetuo admoveret.

Ablato cranio deprehenditur ſuperna cerebri pars, cum meningibus adeo inſigni nigrore infecta, ut atra fuligine tinctam crediderint adſtantes. BONETUS.

OBS. 28. Quidam *poculis deditus*, cum vino ſe ſaburaſſet, *cephalalgia* corripitur, cum omni *ſenſuum dejectione*. Aſſidue exiliebat; corpuſque maxime jactabat: ſed nec verbulum proferebat; etiam adactis in cutem aciculis. Tandem ſupremum diem clauſit.

Examini anatomico ſubjecto corpore, in conſpectum veniebant meninges valde lividæ, & omnino ſyderatæ. BONETUS.

OBS. 29. Mulier *lue venerea* affecta, incidit in *febrem*, cum atrociſſimo *capitis dolore & delirio*, quibus intra paucos dies conficitur.

Dura meninx circa ſinum lateralem dextrum, ex rubro nigricans, & putrida, coaluerat cum pia meninge, & ipſomet cerebro, eadem labe tactis. Stagnabat ſerum in ventriculis. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 30. In cadavere juvenis quinque & viginti annorum *peſte & delirio* ſublati, cor mole maximum ſanguine nigro & congrumato diſtendebatur. Pulmones maculis livido-purpureis erant ſignati. Hepar duplo majus exhibebat cyſtim felleam bile atro-viridi turgentem. Meninges vero nigricantes inflammationis gangrænoſæ notas præ ſe ferebant. DEIDIER.

OBS. 31. Quidam monachus, perenni *tabaci fumi* uſui indulgens & per pennæ anſerinæ tubum illius pulverem ad nares attrahens, gravi *dolore capitis* torquebatur, qui demum exacerbatus lethum accerſit.

Remoto cranio, animadverſa circa partem ſupernam oſſis coronalis, inſignis nigredo duræ matri impreſſa, ipſamque cerebri ſubſtantiam attingens. BONETUS.

OBS. 32. Quidam vino deditus, poſt *largam compotationem*, in ſæviſſimam *cephalalgiam* incidit; cujus dolor ab occipite ad ſpinam protendebatur. Vigente *febre* tertio die animam efflavit.

Luſtrato capite in conſpectum veniebant meninges poſticam cerebri partem & cerebellum obveſtientes, lividæ & ſyderatæ. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 33. In cadavere viri triginta annorum *peſte* intra octiduum ſublati, obſervantur cerebri meninges lividæ & nigricantes. Sinus & cætera cerebri vaſa ſanguine atro turgebant. Pulmones inflammationis notas exhibebant. Cor ſanguine atro & craſſo diſtendebatur. Ventriculus & veſicula fellea bile viridi ſcatebant. SOULIERS.

OBS. 34. Vir triginta annorum, per ſex menſes continua & *acerbiſſima cephalalgia* conflictabatur. Nil proficientibus remediis, viribuſque ſenſim deficientibus e vita deceſſit.

Inter ſectionem cadaveris, in apricum venit tenuis meninx nigricans, tum in ſuperficie, tum inter corticis cerebri anfractus. ROLFINKIUS.

OBS. 35. In cadavere cujuſdam, *febre veluti capitali* interempti, deprehendebantur omnes cerebri venæ ſanguine adulto plenæ; & meninges quaſi de cœlo tactæ, & ſyderatæ. BALLONIUS.

Hunc ordinem ingrediuntur obſervationes Lib. II. 300. Lib. III. 102, 258. Vide *Colluvies ſordida*.

M AR-

MENINGES.

ARTICULUS X.

Oſſificationes in meningibus.

OBS. 36. Vir quinque & quadraginta annorum, a pueritia, *cephalalgiæ* obnoxius, mente poſt varia infortunia in violentos impetus acta, *maniacus* evadit. Quatuor elapſis menſibus ingruente *ſyncope*, ſubito enecatur.

Omnia vaſa, vel minima, ſumme conſpicua ſanguine craſſiori turgebant. Hepar mole exiguum colore plumbeo inficiebatur. Ventriculus cordis dexter parum ſanguinis nigerrimi recondebat: ſiniſter vero cum ſua auricula plane inanis deprehendebatur. Reſerato capite, reperitur corpus oſſeum ultra pollicem longum, & cuſpidatum in proceſſu falciformis cerebri; circa quod, veteri ulcere læſum videbatur cerebrum. Ventriculi cerebri aqua erant repleti. Plexus choroides latior innumeras hydatides exhibebat. Vaſa cerebri ſanguine flatu diſtenta apparebant. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 37. Juvenis quinque & viginti annorum *melancholicus*, *dolore capitis* gravativo a quatuor annis laborabat cum *vertigine* & *lypothymiis* nonnunquam recurrentibus. Ingraveſcente morbo *maniacus* evadit, cum variis tamen intermiſſionibus. Accedit febris quædam inordinata, cujus paroxyſmi ad tres quatuorve dies propagabantur. Futilibus omnibus remediis, ad cranii perterebrationem devenitur. Sequitur febris continua, delirio obſcuro ſtipata. Demum ingruunt *convulſiones* lethales.

Pia meninx colore ſubviridi, craſſiſſima & calloſa occurrit, vel ad oſſis duritiem accedens, utrimque circa ſinum ſuperiorem & proceſſum falciformem. Cortex cerebri proximior albicabat. Ventriculi cerebri aqua repleti inveniuntur. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 37. (*a*) Quidam tibicen viginti annos natus, cæſareus & robuſtus, poſt hauſtam immodicam cereviſiæ copiam in delirium febre ſtipatum incidit. Hoc ſolitis præſidiis fugato bene ſe habere videbatur, cum ſubito *humi proſternitur* & *convellitur*: ſub quo inſultu omnibus ſenſibus orbatus periit.

Cerebri involucra ſumme rubra & quaſi inflammata apparebant. In anteriori & inferiori proceſſus falciformis parte oſſiculum occurrit ultra lineam craſſum, duos pollices longum & quinque lineas latum, in apice inæqualiter acuminatum. Omnes præterea cerebri partes ſolito denſiores animadvertebantur. CLAR. BAADERUS.

OBS. 38. Juvenis viginti annos natus, *ſcrophulis hereditariis* conflictatus *hemicrania* inſolita corripitur, in parte ſcilicet frontis ſiniſtra. Dolor erat lancinans & ſæviſſimus, cum valida *pulſatione* in *tempore*. Paroxyſmi primo ſtatis horis; dein inordinati recurrebant. Elapſis demum duobus annis inter ærumnas & remedia, recrudeſcente morbo, & fatiſcentibus viribus, obiit.

Sauciata dura meninge in ſiniſtro latere multum ſeri effluxit. Duo reperiuntur oſſicula parti anteriori proceſſus falciformis adnata, & cuſpidata. Ventriculi cerebri erant aqua repleti. De læſionibus ſcrophuloſis internis, vel externis, nil addimus. VVEPFERUS.

OBS. 39. Quidam ſævioribus cogitationibus intentus, vino & liquoribus ardentibus plus æquo indulgens, duobus abhinc annis, inſultibus *phreniticis* erat obnoxius. Tandem ſuperveniente abſceſſu in hepate e vivis tollitur.

Præter puris collectionem ampliſſimam in ſubſtantia hepatis, cum tribus & triginta lapidibus in veſicula fellis; reperitur in luſtrato cerebro proceſſus falciformis, quoad maximam partem, oſſeus. Pia meninx craſſior & firmior annotabatur. Subſtantia cerebri erat denſior & quaſi arida; etſi ventriculi cerebri aqua ſcatebant. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 40. Quidam ad articulorum dolores proclivis, incidit in *cephalalgiam*, cum ocu-

oculorum inflammatione, & *hæmorrhagia* narium ſæpius recurrente. Dein accedit acerbiſſimus dolor pectoris, cum animi deliquiis. Sequitur capitis debilitas; atque noctu ingruunt motus convulſivi. Inter inducias de dolore cum conſtrictionis ſenſu in occipite querebatur. Tandem moritur.

Reſerato capite inveniebantur in proceſſu falciformi quinque oſſa acuta, & quaſi ſpinis horrida; quorum majus quindecim lineas longum, & ſeptem latum, ſitum erat in principio prædicti proceſſus; cæteris ejus longitudinem occupantibus. VALSALVA.

OBS. 41. Quidam derepente aphonus *ex equo cecidit*. Tandem ad ſe rediens ſemper de *dolore obtuſo capitis* & *aurium tinnitu* querebatur. Poſt ſextum annum *herculeo morbo* præventus, irritis omnibus auxiliis exuvias victori dedit.

Invenitur os ſat magnum in medio cerebri, circa falcem latens, ad inſtar lapidis ſtellati acutum; quod ſuo acumine duræ matris inflammationi & corruptioni dedit occaſionem: nullo animadverſo ſigno quondam diſrupti cranii. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 42. Quinquagenarius jampridem de *dolore capitis* querebatur; cum in *febrem continuam* incidit, quam excipit *icterus* lethalis.

Veſicula fellea duorum pugnorum magnitudinem æquabat, & bilem atram cum pluribus concretionibus bilioſis, inſtar lapidum, continebat. Hepar mole maximum nonnihil erat ſcirrhoſum. Secto cranio deteguntur variæ laminæ oſſeæ in dura meninge, & proceſſu falciformi; quarum majores unum pollicem & ſemis longitudine æquabant. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 43. Vir quinque & triginta annorum immani *capitis dolore*, per annum & ultra, torquebatur, cum *febre*, nunc vehementi, nunc blandiori. Tanta ferocia nonnunquam urgebat dolor, ut mens perturbaretur. Tandem fatis imperantibus paruit.

Luſtrato cerebro, deprehenditur in baſi proceſſus falciformis, inter ſcilicet cerebrum & cerebellum, os exiguum triangulare, & ſumme cuſpidatum, cum variis putriditatis notis in vicinioribus partibus. SAVIARD.

MENINGES.

OBS. 44. In cadavere cujuſdam viri quinquagenarii & litterati, qui a vigeſimo ætatis anno, atrociſſimis capitis doloribus, crebro recurrentibus, conflictatus fuerat; in conſpectum veniebat dura meninx craſſiſſima, cranio firmiter accreta. Proceſſus falciformis variis lamellis oſſeis contegebatur: cerebelli ſepimento toto ferme oſſeo. Serum præterea ſtagnabat in variis cerebri receſſibus. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 45. Juvenis quindecim annorum acerbiſſimis capitis doloribus, cum nonnullis motibus epilepticis, jamdudum erat obnoxius. Crebriores & praviores ſenſim fiunt inſultus epileptici. Tandem accedente abſceſſu intra pulmones interiit.

Sublato cranio, occurrunt plures laminæ oſſeæ in proceſſu falciformi, quarum cuſpides tenuem meningem pungere videbantur. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 46. In cadavere cujuſdam juvenis novemdecim annorum diuturnis & acerbiſſimis *capitis doloribus*, dum viveret, divexati, & a caſu ab alto, poſt quatuor horas extincti, reperiebantur bina oſſicula variis cuſpidibus extra membranam paululum prominentibus exaſperata, in ipſomet contextu duræ matris genita prope proceſſum falciformem. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 47. Quidam gravioribus pectoris morbis, tum acutis, tum chronicis obnoxius, *dolore capitis* acerbiori pluribus abhinc annis, conflictabatur.

Reſerato poſt obitum capite inveniebantur duo oſſa exigua in proceſſu falciformi, inter ſcilicet membranas quibus conflatur. CLAR. LECAT.

OBS. 48. In cadavere cujuſdam *epileptici* quinque & triginta annorum, in apricum veniebant circa ſinum longitudinalem, & in contextu proceſſus falciformis cerebri oſſicula echinata, quorum cuſpides cerebrum attingebant. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

MENINGES.

OBS. 49. Inter ſectionem cadaveris ſexagenariæ, diuturno & *continuo capitis dolore* divexatæ, reperiebantur in falce ſex oſſicula lata, nonnullis cuſpidibus, acicularum inſtar, donata, quibus pungebatur pia meninx. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 50. Sectum cadaver cujuſdam juvenis duodeviginti annos nati, plures annos *epileptici*, exhibebat in latere dextro cerebelli, os ad unum pollicem longum, variis ligamentis adnatum proceſſui duræ matris, inter cerebrum & cerebellum ſito. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 51. In cadavere juvenis qui per octodecim menſes *epilepſia* laboraverat, in propatulum veniunt oſſicula, variis prominentiis aſpera, & piam matrem lædentia, juxta longitudinem proceſſus falciformis. LAMOTTE.

OBS. 52. Poſt diuturnos & *graviſſimos capitis dolores*, reperitur in ſecto cadavere os mirum, variis cuſpidibus horridum in dura matre, ubi erat ſedes dolorum. BORELLUS.

OBS. 53. In cadavere cujuſdam ob facinora patibulo affixi, reperta fuit dura meninx plane oſſea; quaſi alterum cranium. DIONIS.

In harum numero adſcribi debent obſervationes Lib. I. 862. Lib. II. 880. Lib. III. 90.

ARTICULUS XI.

Anevriſma & varices meningum.

OBS. 54. Fœmina quadraginta annorum ante biennium *ex tuſſi violenta* ſenſit acutiſſimum *dolorem in capitis parte dextra*; quem ſequebatur pulſationis ſenſus. Externe nil viſu aut tactu percipiebatur. Poſt annum erumpit circa os temporale dextrum, *tuberculum* quoddam *pulſans*, cum dolore & tenſione partium vicinarum. Poſt quatuor menſes ovum gallinaceum æquabat hic tumor. Dein ſenſim increvit ad pugni majoris magnitudinem. Octo elapſis menſibus, proſtrato appetitu labuntur vires; pulſus debilis & inæqualis evadit. Interea tumor mole minuebatur; noctibus inquietis, donec tabe confecta ultimum diem clauſit.

Ab internis partibus ortum ducebat prædictus tumor extra cranium carie perforatum prominens. Carie etiam lædebantur proximiores utrinſque maxillæ partes, &c. Cerebrum comprimebat hic ſaccus anevriſmaticus ſanguine, uti ſolet, concreto turgens. CLAR. STORCK.

Huic ſubjungi debet obſervatio Lib. III. 411.

SECTIO SECUNDA.

DE CEREBRO.

ARTICULUS I.

Vaſa cerebri flatulenta.

OBSERVATIO 55. Virgo triginta annorum, parum firma valetudine, in *febrem tertianam* incidit acerbiſſimo *capitis dolore* ſtipatam; qua poſt quindecim dies numeroſis venæ ſectionibus fugata, bene ſe habere videbatur, cum ingruente præter expectationem ſyncope, ſubito occubuit.

Luſtrato cadavere, reperiuntur venæ cerebri, haud excepto plexu choroide, inanes & flatulentæ. Atria & ventriculi cordis ſanguine etiam orbata occurrunt, cum hydrope pericardii. Lien præterea erat triplo major; & cyſtis fellea pſeudo-lapidibus ſcatebat. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 56. Æthiops triginta annorum, toroſus & bene valens, a nonnullis menſibus languori ventriculi obnoxius, quem leniebant ingeſta; ſolito *inter hilarem jentaculum cedit tremendo*; & moritur.

CEREBRUM.

Pericardium aquæ ſubturbidæ copiam continebat. Similis erat ſtagnatio in ventriculis & anfractibus cerebri: ſanguis vaſorum totius corporis fluidiſſimus obſervatur. Plurima vaſa cerebri flatu diſtenta pellucebant. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 57. Poſt *dolorem capitis*, præter vaſa flatulenta, haud raro reperitur pia meninx veſicæ inſtar diſtenta, & pellucens; ut aqua plurima ſubtus incluſa intumeſcere videretur; quod tamen omnino fieri compertum eſt a flatu membranam diſtendente. Ipſa enim diſſecta ſine lymphæ effuſione, tumor illico ſubſidebat. VVILLIS.

Hunc ordinem ſubeunt obſervationes Lib. II. 621. Lib. III. 36, 74, 75, 264, 281.

ARTICULUS II.

Vaſa ſanguine turgida & varicoſa.

OBS. 58. Vir quinquageſimum ætatis annum numerans, forti conſtitutione præditus in *apoplexiam* delabitur, cum paralyſi brachii dextri. Poſt octiduum & nonnullam remiſſionem recrudeſcit inſultus cum paralyſi totius lateris dextri, & integra ſenſuum abolitione; ac ſexto die e vivis tollitur.

Reperiuntur vaſa cerebri ſanguine atro turgida, ultra modum tumentia. Simili modo afficiebatur plexus choroides. Sed nulla occurrit ſtagnatio ſeroſa, vel ſanguinea. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 59. Adoleſcens novemdecim annorum *capite dolebat*, cum vomitu; ſuccedente febre. *Stupidus* quaſi erat, & delira loquebatur. Dein in affectum *ſoporoſum* incidit, qui lethum accerſit.

Aperto cranio reperiebantur vaſa tenuis me-

CEREBRUM.

meningis ita cruore oppleta, ut primo intuitu omnia ſanguine ſuffuſa apparerent. Ventriculi inſuper humore purulento & viſcido erant imbuti, quo inquinabatur plexus choroides. VVEPFERUS.

OBS. 60. Mulierem, quam ſemel prehenderat *apoplexia*, rurſus corripuit; ſtupidamque, & ſemi-paralyticam reliquit. Elapſo dein uno aut altero menſe, hanc invadit febris, qua intra paucos dies conficitur.

Introſpecto capite deprehendebantur vaſa cerebri ſanguine atro turgentia: ejus vero ſubſtantia erat laxior, cum pauca aqua in ventriculis. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 61. Vir ſexagenarius, cum plene cœnaſſet, & maturius ſolito lectum ſe petere velle dixiſſet; *poſt duas horas a decubitu invenitur mortuus*, imo & frigidus.

Occurrunt vaſa cerebri ſtupenda ſanguinis copia, ultra modum diſtenta, cerebro alias ſano, ſi excipias non multam aquam in ventriculis ſtagnantem. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 62. Bajulus quadraginta annorum, poſt immodicos labores in *comitialem* incidit *morbum*, quo nunquam antea vexatus fuerat; ac intra paucos dies e medio tollitur.

Caput, quod ſolum fuit diſſectum, nihil quidquam habuit attendendum, præter ſummam vaſorum turgeſcentiam. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 63. Vir quidam quinque & triginta annorum in magnam incidit *febrem*. *Delirat*, lucent oculi, pulſus eſt vehemens, & denique moritur.

Vaſa cerebri ſanguine ultra modum turgebant cum pauco ſero in ventriculis. Cor polypoſas recondebat concretiones: etſi ſanguis omnium vaſorum erat fluidus. VALSALVA.

OBS. 64. Multis, qui poſt melancholicas affectiones *inſaniverant*, caput apertum fuit. Venæ capitis inventæ ſunt turgentes, dilatatæ & varicoſæ. BALLONIUS.

Ad traditas accedunt obſervationes Lib. II. 35, 44. Lib. III. 76, 86, 87, 268. Vide *Colluvies ſeroſa cerebri*.

ARTICULUS III.

Carotides oſſeæ.

OBS. 65. Mulier ſexagenaria habitu corporis pallido & molli *difficultate ſpirandi* laborans incidit in *hydropem pectoris*: qua brevi eſt mortua. In amphitheatro noſtro ſectum cadaver exhibuit cerebrum tumidum ſubſtantia quam par erat duriori; vaſa ejus erant ſanguine infarcta, & ſinus præcipue ſanguine concreto obruebantur; plexus choroides hydatidoſus in ventriculis cerebri ſero rubicundo turgidis pernatabat; arteriæ opticæ maxime dilatatæ nervos ſatellites comprimebant; obſtructionibus hepar erat induratum; pectus ſero ſanguineo replebatur; pulmones erant putridi, & cor cum aortæ parte cui connectitur portentoſum, contra carotides cum venis jugularibus inſtar pennæ anſerinæ conſtringebantur; interna earum lamina paſſim oſſea recurrebat intactis aliis vaginis; arteriæ ſubclaviæ vertebrales & venæ jugulares internæ ſolito majores annotabantur. PORTAL.

OBS. 65. (*a*) Quædam quinque & viginti annorum *intolerabili capitis dolore* cruciabatur; qui ſæpius ita exacerbabatur, præſertim in latere dextro, ut lacrymæ fontium ad inſtar ex oculis erumperent; ac ejulatu domeſticos, & vicinos defatigaret; donec migravit ad ſuperos.

Aperto cranio reperitur aquæ magna copia in ventriculis, aliiſque cerebri receſſibus. Arteriæ carotides ita erant induratæ, ut externa facie calculoſæ, ſive in lapideam ſubſtantiam mutatæ, judicarentur. GRAAF.

OBS.

OBS. 66. Quidam ſæviente bruma, atroci *capitis dolore*, juxta latus ſiniſtrum vexabatur. Poſtea de doloribus abdominis queſtus, in *apoplexiam* incidit, qua placide morti traditur.

Imo ventre diſſecto, inventum eſt meſenterium, maximum, ſcirrhoſum & exulceratum. Cranio ſublato; carotis dextra, circa cranii mœnia aſcendens, prorſus oſſea, & quaſi petroſa fuit, cavitate vix permeabili. Arteria vertebralis dextra triplo major, quam ſiniſtra annotabatur. MANGETUS.

CEREBRUM.

ARTICULUS IV.

Cerebrum tumidum.

OBS. 67. Quidam *febre maligna epidemica* correptus, in vomitum æruginoſum anxietatibus & ſudoribus frigidis ſtipatum incidit. Pulſus erat tardus & plenus, cum ſubſultu tendinum. Sævit æſtus præcordiorum: vires proſternuntur; ac ſeptimo die accedit *delirium* lethale.

Stagnabat colluvies ſeroſa ſubflava in abdomine. Hepar tumidum phlyctenas & puſtulas veſiculoſas exhibebat, maculiſque ſubvireſcentibus erat ſignatum. Pancreas intactum & renes putridi conſpiciebantur. Pericardium aquam copioſam continebat. Cerebrum vero tumidum, cellulis innumeris ſero turgidis, quarum majores piſum excepiſſent, ſcatebat. Simili colluvie diſtenti erant ventriculi. ROZE.

OBS. 68. Sartor quinque & triginta annorum, temperamento bilioſo, incidit in *oſſis frontis dolorem* gravativum & lancinantem. Exinde vigiliæ, & *delirium* per intervalla nonnunquam accedens. Somnus ad tres tantum horas extenſus, adeo erat profundus, ut qui ipſi totum corpus dilaniaſſet, vix excitaſſet. Poſt quatuordecim dies, ſine convulſione, fatis ceſſit.

Aperto capite, ecce vaſa turgent in meningibus. Cranium nimiam cerebri molem vix poterat capere. Interiora rimando occurrunt in ventriculis ſeri flavi unciæ octo; plexu choroideo albicante; præterea nihil. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 69. Mercator quadragenarius melancholicus, & gravis curis implicitus, *ab inſolatione cephalalgia* corripitur, cujus vehementia decumbere cogitur; ac quarto die nullo alio ſuccedente ſymptomate occubuit.

Cranio ablato vaſa cerebri & meningum ſanguine ſupra modum turgida deprehenduntur. Cranium vix cerebri videtur capax. Inſuper repertus eſt abſceſſus, avellanæ magnitudine, ſero plenus, in parte cerebri anteriore circa frontem. BONETUS.

OBS. 70. Puer quinquennis agilis & macilentus, de *dolore capitis* conqueritur cum febre mediocri. Tertio die noctu ululabat cum varia agitatione. De die quod garriebat nemo intelligebat. Quinto die obiit.

In conſpectum veniebant meſenterium aridum; veſicula fellis bile fuſca, & grumoſa, repleta; renes intus & extus hydatidibus referti; pulmo dexter partibus vicinis undique cohærens variegatus, ſcirrhoſus & tuberoſus; ac demum diaphragma hydatidibus in facie abdominali coopertum. Ablato cranio, ultra modum tumebat cerebrum cum vaſis atro ſanguine turgidis, & ventriculis ſero repletis. BONETUS.

OBS. 71. In cadavere cujuſdam viri quinque & triginta annos nati, & *cephalalgia ſæviſſima* extincti, inventum fuit cerebrum ab infarctis vaſis ſanguineis ita tumidum, ut vix pixide oſſea coerceri potuiſſet. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

Inter affines numerari debet obſervatio Lib. III. 87.

CERE-BRUM.

ARTICULUS V.

Cerebrum parvum.

OBS. 72. Inſtituta cadaveris ſectione cujuſdam adoleſcentis ab *ipſa nativitate fatui*, tenuior & juſto minor deprehendebatur cerebri moles. VVILLISIUS.

OBS. 73. Cultro anatomico ſubjectum cadaver cujuſdam mentis ſtupore affecti, exhibet cerebrum juſto minus; cui inſuper pauciores annotabantur gyri. BONETUS.

OBS. 73. (*a*) Inſtituta ſectione cadaveris cujuſdam *fatui*, & reſerato cranio animadvertitur cerebri moles tenuior & ſolito minor. TULPIUS.

Similem ferme caſum exhibet obſervatio Lib. III. 87.

ARTICULUS VI.

Cerebrum exangue.

OBS. 74. Vir nobilis quadraginta annorum poſt peripneumoniam quinque & viginti venæ ſectionibus impugnatam, inter ærumnas vitream attingit valetudinem. Cum melius ſe habere videbatur *inexpectata ſyncope* occubuit.

Vaſa cerebri plane inania vel flatu repleta occurrunt. Cordis atria & ventriculi nil fere ſanguinis retinebant. Sed nil magis ſanguinis penuriam arguebat quam variæ corporis ſectiones, haud citra admirationem plane ſiccæ. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 75. Virgo octodecim annorum chlorotica, & ſtipato diverſarum ægritudinum agmine conflictata, *centum & amplius venæ ſectiones* intra noviſſimum annum *paſſa*. Tandem viribus exhauſtis ſubito obiit.

Cerebrum plane exangue videbatur; vaſis utriuſque ſortis flatu repletis; ac nullum fere ſanguinis veſtigium exhibentibus. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

De hac re, Vide *Vaſa cerebri flatulenta.*

ARTICULUS VII.

Cerebrum aridum.

OBS. 76. Adoleſcens de *dolore capitis* conquerebatur: accedente febre, exacerbatur dolor: tum ingruit æſtus viſcerum, rubentque genæ, & corruſcant oculi. Noctes inſomnes ducit cum clamore, jactatione & *delirio*. Dein ſequitur *ſomnus profundus*; aut coma vigil, cum difficili reſpiratione. Omnibus denique in pejus ruentibus, ad ſuperos migravit.

Aperto capite, venæ quaſi varicoſæ tabo & ſanguine rubro turgentes videntur; cum multo ſero in ventriculis. Pars cerebri medullaris ſiccior deprehenditur: membranæ ſicciſſimæ, quaſi per deflagrationem areſa.

arefactæ & rigentes vix lacerabantur; imo ſectæ crepabant, more membranarum arietinarum. Pulmones plevræ nectebantur, & pure ſcatebant. Hepar demum nonnullam labem conceperat. BALLONIUS.

OBS. 77. Quidam melancholicus poſt atras curas acute *febriit*, ſine delirio. A febre liber in *amentiam* incidit. Dein aphonus, & quaſi *catalepticus* immobilis, ſtipitis inſtar jacet. Poſt biennium, non ſecus ac infans ſemeſtris, laſſans fatis conceſſit.

Ablato cranio invenitur cerebrum ſicciſſimum, durum, flavum & digitis friabile. Circa ventriculos mollius & humidius erat; colore tamen aliquantum vitiato. Rete mirabile depreſſum videbatur. Nervorum origines ſiccæ annotabantur, & ſolito graciliores. HENR. AB HEER.

OBS. 78. Quidam adoleſcens *cephalalgia* in dies ingraveſcente laborabat. Acceſſit *febris acuta*, cum æſtu viſcerum intenſiſſimo. Sæviente capitis dolore cum oculis flammeis & facie rubra, circa quadrageſimum diem a producta febre fatis ceſſit.

Aperto capite, apparent venæ atro ſanguine turgentes & quaſi varicoſæ. Item multum ſerum obſervatur in medio ventriculo. Medullaris cerebri ſubſtantia arida deprehendebatur, cum membranis ſicciſſimis. VVILLIS.

OBS. 79. Quidam melancholicus in *furorem* tranſiit; poſtea *fatuus* & quaſi repueraſcens evadit, uſque ad lethum.

Secto cadavere reperiebatur cerebrum ſicciſſimum, & nonnihil digitis friabile. Ejus cortex flavedine citri æmula, ad altitudinem digiti inficiebatur. Rete demum admirabile depreſſum annotabatur. BONETUS.

OBS. 80. Quidam melancholicus, poſt *acutam febrem*, in *amentiam* incidit, & vinculis coerceri debuit, atque furibundus ultimum diem clauſit. CEREBRUM.

Cerebrum erat in ſuperficie ſicciſſimum, durum, & in ſumma parte digitis friabile; flavum undequaque & ad altitudinem digiti tinctum. BONETUS.

OBS. 80. (*a*) In cadavere cujuſdam juvenis improbo *ſtudio confecti*; & ſupra modum *moroſi*: qui miſeræ vitæ pertæſus, tandem ſibi attulit damnatas manus, cerebrum mira ſiccitate & ariditate donatum deprehendebatur. CLAR. BAADERUS.

OBS. 81. Mercator in carcerem conjectus, tandem ſe *melancholiæ*, & mœrori immerſit, ut vigeſimo a captivitate menſe *fatuus* evaſerit. Tandem vitam cum morte commutavit.

Luſtrato capite in conſpectum veniebat cerebrum ſicciſſimum & ſumma parte friabile. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 82. In corpore cujuſdam viri qui *ſuffitum tabaci* tam familiarem habuit, ut non interdiu ſolum, ſed & noctu ſibi temperare non potuerit, tota cerebri ſubſtantia exſiccata & ad minimam molem redacta inveniebatur. THONERUS.

OBS. 83. In diſſectis cadaveribus variorum maniacorum, in propatulum veniebat ſubſtantia medullaris cerebri ſiccior & levior. EX ACT. BEROLINENSIBUS.

In hanc ſeriem revocandæ ſunt obſervationes Lib. III. 39. Lib. IV. 86.

ARTICULUS VIII.

Cerebri durities.

OBS. 84. Vir quinque & triginta annorum *dolore capitis* gravativo, per biennium, torquebatur; cum incidit in hæmorragiam narium. Poſtea præeunte olfactus abolitione, *epilepſia* prehenditur; qua poſt biennium extinguitur.

Reſerato capite, reperitur in ſiniſtro & anteriori cerebri latere, aliqua ſanguinis copia effuſa. In dextra parte prope criſtam galli, cerebrum durum & calloſum; ac cum dura meninge arctiſſime connexum deprehenſum fuit. CLAR. MORGAGNUS.

CEREBRUM.

OBS. 84. (*a*) Adoleſcens ſeptimum decimum ætatis annum agens in horrendos *motus convulſivos* incidit, a quibus congrua cura evaſit. Menſe elapſo, poſt *inſolationem*, eodem morbo & ferociori denuo corripitur, quo brevi extinguitur.

In propatulum venit cerebri quædam portio, pugni magnitudine, ita indurata, ut lapidis duritiem mentiretur. Hinc conjiciebatur vetuſtiorem eſſe læſionem. CLAR. FOURNIER.

OBS. 84. (*b*) Quidam juvenis debilis, & ad *lypothymiam* pronus, pulſu tardo & intermittente, exhauſtis viribus, in *delirium ſoporoſum*, & lethale incidit.

Subſtantia corticalis cerebri tuberculis obſita deprehendebatur. Præterea major erat aquæ copia, tum in capite, tum in vertebrarum theca. Dexter pulmo nonnihil infarctus aquæ innatabat. CLAR. FOURNIER.

OBS. 85. In cadavere *ſtulti*, caſu ab alto illico extincti, ventriculi cerebri aqua erant ſemi-pleni; pauca vero erat colluvies inter meninges. Dura meninx craſſior quam ſolet annotabatur; cum tunicis arteriarum firmioribus. Medulla oblongata, cum protuberantia annulari, & initio medullæ ſpinalis, dura inventa fuit: dum ſubſtantia cerebelli corticalis erat mirum in modum laxa. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 86. In cadavere cujuſdam juvenis *maniaci*, reperiuntur utriuſque meningis vaſa, atro & fluido ſanguine diſtenta. Multa erat aqua turbida in ventriculis, cum variis hydatidibus plexui choroideo inſidentibus, quarum majores uvæ acinum æquabant. Cæterum nil magis notatu dignum occurrit quam cerebri durities; cerebello magis quam ſolet molliore. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 87. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam juvenis, paucis abhinc annis *maniaci*, ob ſtudium, uti ferebatur, intenſius, invita Minerva, deprehendebatur cerebrum firmius, & elaſticum, vix pixide oſſea coercendum. Vaſa ſanguinea tum ambitus cerebri, tum plexus choroidis ultra modum tumebant. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 88. Juvenis octodecim annorum mœrore confectus, in *delirium melancholicum* delabitur, cum pulſu parvo & tremulo. Tandem *ſopore* lethifero corripitur.

Cerebrum & cerebellum compactiora & duriora obſervantur. Ventriculi cordis concretionibus polypoſis ſcatebant. BARRERUS.

OBS. 89. Adoleſcens trium & viginti annorum inter *mærorem* & triſtitiam, immani *cephalalgia* corripitur. Dein ingruit febris lenta, & paulo poſt *ſopor*, cum ſtertore; quibus ingraveſcentibus brevi obiit.

In propatulum venit cerebrum plus æquo durum & compactum. Veſicula fellis erat corrugata & inanis. BARRERUS.

OBS. 90. In cadavere cujuſdam *fatui*, doloribus capitis obnoxii, dura meninx craſſior & denſiſſima, quaſi ſemi-oſſea, cranio circa frontem arctiſſime adhærebat. Cerebrum erat durum; plexus choroides decolor cum variis hydatidibus & ſero ſtagnante in ventriculis. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 90. (*a*) Inveſtigatis interaneis pueri quinquennis *ſcrophulis* defuncti, præter ſtrages ſolitas quas morbus edit in glandulis meſentericis, bronchialibus, ſalivalibus, occurrebat cerebri totius ſubſtantia ſolito firmior, præſertim in parte antica qua nervis olfactoriis inſidet. PORTAL.

OBS. 91. Vir quadraginta annorum primo hypochondriacus, deinde *ſtultus*, tandem cachecticus obiit.

Thorax multam habuit aquam, & duriorem quamdam pulmonum partem. Luſtrato cerebro, medullaris utriuſque hemiſphærii ſubſtantia durior deprehenditur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 92. In cadavere cujuſdam a longo tempore *ſtulti*, & febre ſublati; præter aquam ſub tenui meninge & in ventriculis minori ſane copia ſtagnantem, cerebrum durum invenitur (etſi ſexto ab interitu die). Cerebellum e contra molle erat & flaccidum. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 93. In alio cadavere, cujuſdam etiam *maniaci*, ſubſtantia cerebri dura oc-

cur-

currit; dum fornix & glandula pinealis laxiorem contextum præbebant. Nulla præterea ſtagnabat aqua ſub tenui meninge. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 94. Inter ſectionem cujuſdam lanionis a quatuordecim menſibus *maniaci*, deprehendebatur tantillum aquæ ſub tenui meninge. Cerebrum vero ſtupendam duritiem præ ſe ferebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 95. Introſpecto cadavere cujuſdam fœminæ a novem annis *inſanientis*, & inflammatione pectoris ſublatæ, occurrebat cerebrum durum, cum cerebello molliore & flaccidiore. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 96. Luſtrato capite mulieris *ſtultæ*, pauca aqua deprehendebatur in cerebri ventriculis. Cerebrum vero & cerebellum duriora, procul omni dubio, quam ſolent, deprehendebantur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 97. Inſtituta ſectione cadaveris cujuſdam virginis a triginta annis *ſtultæ*, cerebri & cerebelli ſubſtantia, ubicumque inciſa manifeſto durior deprehenditur. CLAR. MORGAGNUS.

CEREBRUM.

OBS. 98. Reſerato cranio cujuſdam mulieris per quadraginta annos *maniacæ*, & angina ſublatæ, in propatulum veniebat cerebrum prædurum. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 98. (*a*) In cadavere cujuſdam, qui præ ſingulari *moroſitate* per menſem, nullum cibum deglutire voluit, alias ſanus, Cerebrum deprehenditur firmiſſimum & veluti exſiccum. CLAR. SAUVAGES.

OBS. 98. (*b*) In cadavere *veſani* quadragenarii, qui conſtanter tacebat, & omnem cibum potumque renuebat, reperiebatur cerebrum maxime firmum & compactum. Omnia erant exſucca, cum ſanguine viſcidiori. CLAR. SAUVAGES.

OBS. 98. (*c*) Secto cadavere cujuſdam *maniaci* qui cibum potumque renuebat, inveniebantur omnia exſucca, cum cerebro firmo & compacto. CLAR. SAUVAGES.

In harum numero adſcribi debent obſervationes Lib. III. 301, 426, 445.

ARTICULUS IX.

Cerebri color morboſus.

OBS. 99. Vir quadraginta annorum, & temperamenti atrabilarii, *acutiſſima febre* laborabat, cum calore intenſiſſimo. Saniſſima erat mens; donec *amiſſa* cum ſenſuum diminutione *loquela*, intra paucos dies expiravit.

Luſtrato capite, totum cerebrum flavo humore tinctum apparuit, cum vaſis ſanguineis in corticali ſubſtantia fere exſiccatis; & plexu choroide penitus inani. Paucus humor gelatinoſus ſtagnabat in baſi cerebri. FANTONUS.

OBS. 100. In cadavere *icterici*, qui *capitis dolore* continuo conflictabatur, repertum fuit cranium intus & extus flaveſcens. Dura meninx ſimilem præbebat colorem; ut & liquor ſub ea conſpicuus, cujus ſapor non erat notabilis. Tenuis meninx minus erat flava; ſtagnabat in ventriculis humor ſatis copioſus, limpidus & ſubſalſus. Plexus choroides valde glanduloſus reperiebatur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 101. Inſtituta ſectione cadaveris cujuſdam juvenis, cui *tabaci fumus* adeo fuit familiaris, ut ne diem unum ab eo abſtinere poſſet; in conſpectum veniebat cerebrum nigra fuligine tinctum. RAPHELINGIUS.

CERE-BRUM.

ARTICULUS X.

Cerebri inflammatio.

OBS. 102. Quidam ruſticus *radiorum ſolarium verberatione*, ardente ſyrio, diu ſubmiſſus, *dolorem capitis* acerbiſſimum & pulſantem, *febre* ſtipatum contrahit. Cerebrum intus convelli ſentire arbitrabatur. Poſt biduum ingruit *delirium*, cum convulſiva quadam capitis motitatione, & artuum tremore. Quarto morbi die obiit.

Luſtrato capite, reperitur inflammatio in ambitu cerebri, & circumambiente tenui meninge, cujus vaſa ſanguine nigro turgebant, cum variis purulentiæ, & ſyderationis notis. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 102. (*a*) Quidam ulcus latiſſimum in utroque crure geſtans *febre immani*, & ferociſſimis ſymptomatibus ſtipata corripitur, qua intra paucos dies enecatur.

Examini ſubjecto cerebro, patent meningum vaſa cruore plus æquo turgida. Latiſſimam inflammationem exhibebat ſubſtantia corticalis cerebri. Pericardium aquæ copiam recondebat. Ventriculus & inteſtina erant flatulenta; omnia denique viſcera abdominalia gangrænæ notas paſſim exhibebant. CLAR. FOURNIER.

OBS. 103. Quædam virgo juvenis *febre acuta* decumbens, cum perpetuo *delirio*, & ſatis feroci quidem, poſt triduum moritur.

Cranio aperto, patet tenuis meninx tota rubens & inflammata, imo & ipſe cerebri cortex qui naturaliter griſeum colorem refert, ideo rubeſcebat, ac ſi arte anatomica, rubra materia, repleta fuiſſent ejus vaſa. BOERHAAVIUS.

OBS. 104. In cadavere pueri quatuordecim annorum, *variolis mali moris*, inter *delirium* quinto die extincti, reperiebatur inflammatio circa ambitum cerebri, cum variis ſyderationis notis, non ſolum in ipſomet cerebro, ſed etiam in ejus involucris, quadam nigredine infectis. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 104. (*a*) Luſtrato cadavere cujuſdam agricolæ, juvenis, *febre maligna phrenitica* ſublati cerebrum occurrebat infarctum. Pulmones etiam phlogoſi & gangræna tacti conſpiciebantur; atque ſimili labe inquinabantur inteſtina. CLAR. FOURNIER.

Ad traditas accedunt obſervationes Lib. I. 1565. Lib. III. 10.

ARTICULUS XI.

Cerebri abſceſſus & purulentia.

OBS. 105. Vir ſex & quadraginta annorum gracilis & melancholicus, multis annis antehac *phthiſicus* & *aſthmaticus*, circa ſolſtitium æſtivum incidit in *dolorem* gravativum, tenſivum & lancinantem totius *ſincipitis*. Sequuntur vigiliæ, & *deliria* interpolata, ſine febre; & dein *motus convulſivi*, qui brevi, fruſtra omnibus tentatis præſidiis, lethum accerſunt.

Aperto capite, inveniuntur vaſa ſanguine plus æquo repleta, & ſub medio oſſis ſincipitis dextri, a proceſſu falcato uſque ad os temporis extenſum ulcus oblongum cum ſanie craſſa & flava. Occurrunt in ventriculis ſeri limpidiſſimi unciæ duodecim; plexu choroideo nonnihil eroſo & putrefacto. Luſtrato pectore, deprehenditur pulmo ſiniſter a ſterno ad ſpinam dorſi,

ar-

arcte plevræ accretus, ſcirrhoſus, ſanie & pure ſcatens. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 106. Quidam melancholicus ſex & viginti annorum, jam a multis annis obſtructionibus laborabat in capite, præſertim naſo. *Materia quadam ſanioſa per narem ſiniſtram effluebat*, cum tumore circa radicem naſi. Novem elapſis menſibus inter fluxum materiæ purulentæ, ſeceſſit tenue oſſiculum. Perennabat interea *dolor capitis*, & poſt duos menſes aliud excernitur oſſiculum, quaſi carioſum. Dein ſuccedit *paralyſis* totius fere lateris ſiniſtri, cum *lethargo*. Paulo poſt convulſus obiit.

Ichor craſſior deprehenditur in ventriculis cerebri. Præterea detegitur ſub principio nervorum opticorum foramen in cranio cum materia purulenta, peculiari folliculo contenta, quæ partim per nares exitum ſibi paraverat. FRANCUS.

OBS. 106. (*a*) Vir quadrageſimum ætatis annum agens, melancholicus & atris curis ſollicitus, *epilepſia* corripitur; quæ dein pluries recurrit per quatuor annos, ſub quibus de dolore obtuſo & premente in dextro capitis latere querebatur. Hæmorrhoides nonnumquam fluebant ſine levamine. Tandem inter uſum variorum remediorum, in *ſoporem* lethalem incidit.

Cerebri ſubſtantia tum corticalis, tum medullaris, in doloris ſede, durior & ſcirrhoſa, recondebat abſceſſum ad ovi gallinacei magnitudinem accedentem. CLAR. BAADERUS.

OBS. 107. Muliercula e graviſſimi cujuſdam *ponderis geſtatione* ſenſit manifeſte aliquid intra cranium ruptum fuiſſe: & poſtea de *ſæviſſimo ſincipitis dolore*, præcipue circa oculum dextrum conquerebatur. Quandoque præ dolore dextram capitis partem occupante, exclamabat abſceſſum intus ſub ſincipite latere; imo jam exitum parare. Inter hanc ſpem obiit.

Cadavere aperto, & ſecta dura meninge, effluxit ſerum copioſius. Superficies cerebri gelatina flava tegebatur. A ſecto cerebro, undique exilit ſerum flavum & tenue. Reperitur demum in ventriculo dextro abſceſſus ovi gallinacei magnitudine; pure peculiari tunica contento. VVEPFERUS.

OBS. 108. Vir quidam ſexagenarius, cui læſa erat reminiſcentia, *ſurdus* ſenſim, & *hebes* evadit. Doloris expers, tandem ſubitanea morte rapitur.

CEREBRUM.

Secto cadavere, reperitur in baſi cerebri cyſtis ad ovi gallinacei magnitudinem accedens, pure repleta. Oſſis petroſo dextro hærebat, quod carie læſum puri ad aurem appellenti egreſſum largiebatur. Cavitas tympani pure ſcatebat, membrana illæſa; ſed oſſiculis plane abſumptis. Auris ſiniſtra tabum etiam recondebat, intactis oſſibus: ſed nullum patuit commercium inter prædictos abſceſſus. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 109. Quidam poſt *caſum ab alto*, cum gravi capitis contuſione, fractura patellæ & oſſis focilis minoris *febre* corripitur, *delirio* ſtipata, quod dein excipit ſomnolentia. Opportunis adhibitis præſidiis omnia fugantur ſymptomata; & terruminantur oſſa fracta. Remanet tamen dolor obſcurus circa ſinciput cum viſu alterius oculi debiliori & nares emungendi difficultate. Alias bene ſe habere videbatur æger cum incidit in ſoporem lethargicum & lethalem.

Aperto cranio deprehendebatur in altero cerebri hemiſphærio abſceſſus quo ſumme lædebantur nervi olfactorii. EX ACT. CHIR. PARISIENSIBUS.

OBS. 110. Juvenis viginti annorum, ſumme ſtudioſus, *dolorem capitis gravativum*, per plures annos, patiebatur. Dolor præcipue ſeviebat in ſincipite circa radicem naſi, qui ſenſim quaſi obturatur cum difficili reſpiratione. Poſt novem menſes *pus e naribus erumpit*, cum nonnullis ramentis oſſeis. Deinde paralyſi ſiniſtri lateris corripitur, quam excipit apoplexia lethalis.

Introſpecto capite, inveniebatur latex ichoroſus in tribus cerebri ventriculis anterioribus. Præterea medulla oblongata circa principium nervorum opticorum abſceſſum recondebat, cujus pus viam ſibi paraverat ad nares, & ad cerebellum. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 111. Miles ſeptem & viginti anno-

CEREBRUM.

norum *acinace ſauciatus in poſteriore capitis parte*, cum læſione oſſis; poſt ſex menſes inter vulneris medicationem de oculorum gravitate queritur; dein de *vertigine*, & dolore dextri oculi. Sequitur *hemiplegia* lateris dextri; impeditur loquela; accedente demum caro lethali, inter quem brachium dextrum motibus convulſivis agitabatur.

Interna oſſis læſi ſuperficies patet corrupta, cum abſceſſu in ſiniſtro cerebri latere, ac proprio folliculo circumſepto; cujus pus erat fœtidiſſimum. Ventriculus dexter aqua fœtida replebatur. SCULTETUS.

OBS. 112. Quidam agricola intenſiſſimum capitis dolorem ab *inſolatione* contraxit; quem preſſo-pede ſequuntur *febris ardens*, nauſeæ, rigores, vigiliæ & anxietates. Oculi corruſcant & rubent. Die quinto accedit *phrenitis* quæ lethum accerſit; pure tum fluente per os, narem & aurem dextri lateris.

Dempto cranio in conſpectum venit tumor avellanæ magnitudine, qui adapertus effudit pus fœtidiſſimum & viride. Meninges putredine affectæ erant. Subſtrata cerebri ſubſtantia eamdem labem exhibebat. BAILLI.

OBS. 113. Mulier circa nonum graviditatis menſem, *immani capitis dolore* premi cœpit; imminuto tum fluxu aurium purulento, a variolis olim contracto. Dolor exacerbatur, accedente partu felici. Solito more fluentia lochia non impediunt quominus dolor ferocior evadat, & ingruant *motus convulſivi*, qui brevi mortem accerſunt.

Cranio remoto, cujus ſuturæ erant inconſpicuæ, & quaſi obliteratæ, detegitur abſceſſus in parte ſiniſtra cerebri ſtabulans. Os petroſum, integra dura matre, carioſum reperitur. SPONIUS.

OBS. 114. Quidam ruſtico *vulnus infligitur in palpebram*; quo parum curato, circa ſeptimum die *ſomnolentia* cum *torpore* corripitur; & die nono ad ſuperos migravit.

Cranio aperto, reperitur fractura in orbita, circa quam latitabat abſceſſus purulentus tam ingens, ut ſuperior cerebri ſubſtantia in pus converſa videretur, quo undique cerebri ventriculi ſuperius & inferius replebantur. HORSTIUS.

OBS. 114. (a) In cadavere cujuſdam militis *febre maligna*, immani *cephalalgia*, & inſolita virium proſtratione ſtipata, ſeptimo mali die ſublati, cerebri vaſa ſanguine atro turgebant: cortex cerebri & cerebelli utrimque, & in variis locis ſuppuratus conſpicitur. E DIAR. NOSOC. MILITAR.

OBS. 115. Vir quinquagenarius, duobus abhinc annis *capitis gravitati & vertigini* obnoxius, nihil præteritorum in memoriam revocabat. *Dolores* interea *acerbiſſimos* nonnunquam patiebatur, cum *deſipientia fugaci*. Tandem ſenſus debilitantur; ingruit *ſomnolentia*, quam excipit inſultus quidam epilepticus, & lethalis.

Reperiebatur in hemiſphærio dextro cerebri ingens abſceſſus qui ad medullam oblongatam protendebatur, continens materiam quamdam crudam, vel uti inquiunt, frigidam. EX ACT. PARISIENSIB.

OBS. 116. Quidam juvenis *febre maligna* epidemica laborans ſurdus evadit; primis morbi diebus de *ſtupore* univerſali erat querulus; etſi mentis compos. Procedente morbo pulſus fit debilis, cum capite œdematoſo. Difficilis erat decubitus in latus ſiniſtrum; accedit cujuſvis potulenti faſtidium inſuperabile; adeo ut paulo ante obitum aquam duntaxat frigidam deglutiebat.

Secto cranio reperitur in ſubſtantia cerebri & in latere dextro abſceſſus ovum gallinaceum æquans, & pure ſeroſo repletus. CLAR. PRINGLE.

OBS. 117. Juvenis melancholicus *paralyſi* ſiniſtri lateris & dextri convulſione violenta laborabat, comite febre inſigni. Paroxyſmi extra quos mente conſtabat, erant admodum frequentes, ac tandem ægrum ad libitinæ rationem ducunt.

Aperto cadavere, videntur vaſa tenuis meningis dextri lateris, ſanguine nigro & concreto turgida; & hæc pars nigricans apoſtema continebat in proxima cerebri parte. SCHENKIUS.

OBS. 118. Quidam juvenis odontalgiæ & tuſſi ſiccæ obnoxius, *ſyncope* corripitur, quem ſequuntur *inſultus epileptici*. Quibus mor

morbis alternatim recurrentibus, alterantur vires, & acceleratur fatum.

Pulmonis dextri pars ſuperior nigricabat. Cerebrum abſceſſum magnitudine ovi columbini, recondebat; cujus pus album & fœtidum viam ſibi cuderat verſus medullam oblongatam. E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 119. Quidam litteratus *podagræ*, nephritidi & *hemicraniæ* obnoxius incidit in *ſtuporem* brachii dextri, cum impotentia ad motum, & *dolore in ſyncipite dextro*; ac nono die ſenſibus integris occubuit.

Dempto cranio reperiebatur in ſiniſtra parte cerebri prope ventriculum lateralem abſceſſus pure copioſo & fœtido repletus. Renes ambo calculis ſcatebant. VVEPFERUS.

OBS. 120. Vir quidam trigeſimum ætatis annum agens, vino deditus, poſt varias *capitis contuſiones*, inter ebrietatem, *cephalalgia* immani corripitur. Dein *fatuus* evadit; convulſus poſtremo ad plures migravit.

Inter ſectionem cadaveris deprehendebatur juxta latus ſiniſtrum cerebri abſceſſus, magnitudine ovi anſerini, pure ſubviridi & fœtidiſſimo turgens. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 121. Virgo octodecim annorum *febre putrida*, ſolitis ſymptomatibus ſtipata, prehenditur; inter quæ primatum ſane ducebat *dolor capitis* acerbiſſimus, cum *fluxu materiæ purulentæ ex aure dextra*; quibus tandem enecatur.

Cerebrum erat colore luteo infectum; recondebat abſceſſum, magnitudinem ovi gallinacei æquantem, pure ſordido plenum & os petroſum carioſum attingentem. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 122. Puer *cephalalgia* immani & contumaciſſima conflictatus, *ſopore* tandem prehenditur, & fatis ceſſit.

Luſtrato cadavere inveniebatur in media parte cerebri, ſupra oculum ſiniſtrum, abſceſſus caſtaneæ magnitudine. Præterea ſtagnabat in baſi cerebri & ſupra nervos opticos aqua limpida, & nonnihil mucilaginoſa. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 123. Mulier cum per aliquot dies *capitis gravitate* laboraſſet, adeo fuit in *ſomnum propenſa*, ut quæcumque ageret dormire ſemper cuperet. Tandem accedente febre occubuit. CEREBRUM.

Sublato cranio repertus eſt abſceſſus in anteriore cerebri parte; cujus pus paulo ante mortem e naribus profluxerat. DODONEUS.

OBS. 124. Agricola cujus corpus diu *ſolis radii* verberaverant, *dolore capitis*, *febre* & *phrenitide* corripitur. Paulo ante obitum pus fœtidiſſimum fluit per os, narem & aurem dextram.

Occurrit tumor avellanæ magnitudine in ſubſtantia cerebri, continens pus ſubviride & fœtens; putreſcentibus partibus vicinioribus. BONETUS.

OBS. 125. Ruſticus *phalange* in palpebram ſuperiorem oculi ſiniſtri *vulneratur*. Succedit vehemens *capitis dolor*; quo procedente, tandem die nono obiit.

Cranio aperto, orbita ita erat læſa ut oſſiculum in duram meningem dilaceratam imprimeretur. Sub tenui meninge latitabat abſceſſus. BONETUS.

OBS. 126. Puer in *lethargum* graviſſimum incidit, quamvis ſubinde garrire videretur, muſſitando quod nemo intelligebat.

Mortui cranio ſublato, cerebrum & cerebellum, in parte dextra purulenta, ſanioſa & quaſi putrida occurrebant. BONETUS.

OBS. 127. Juvenis melancholicus, *epilepſiæ* obnoxius, in *febrem* incidit *paralyſi* & *convulſionibus* ſtipatam, qua demum extinguitur.

Tenuis meningis vaſa atro & concreto ſanguine turgebant; cum apoſtemate in latere dextro cerebri nonnihil nigricante. J. BAUHINUS.

OBS. 128. Sexagenarius ſenſim *memoriam*, *viſum* & *auditum amittebat*, doloris expers, cum *hebes* factus ſubitanea & inexpectata morte rapitur.

Occurrit abſceſſus in hemiſphærio dextro cerebri intra ſubſtantiam medullarem, cum carie proximiorum oſſium. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS.

CEREBRUM.

OBS. 129. Virgo poſt *ſuppreſſum materiæ ichoroſæ fluxum* ex auribus, de *dolore capitis* gravativo querebatur, tam immani, ut videretur caput non poſſe ſuſtinere.

Inventus eſt poſt mortem gravis in cerebro abſceſſus. BALLONIUS.

OBS. 130. Quidam poſt *capitis contuſionem* neglectam, primo pedum, dein brachiorum *paralyſi* corripitur. Mox ultimum diem clauſit.

Luſtrato cerebro, nullum alicujus momenti vitium, præter abſceſſum in oppoſito latere comparuit. BARTHOLINUS.

OBS. 131. Mulier poſt *capitis gravitatem* aliquot dierum, adeo fuit *ſomniculoſa*, ut excitari non potuerit, & mox obierit.

Sublato cranio reperiebatur abſceſſus in anteriore cerebri parte. DODONEUS.

OBS. 132. Quidam diuturno *capitis dolore*, longiſque vigiliis conflictatus, tandem *levi delirio* & *convulſione* correptus periit.

Aperto cranio inventus eſt abſceſſus, cum pure admodum fœtente & corrupto. NASSIUS.

OBS. 133. Virgo octodecim annorum *doloribus capitis* atrociſſimis, cum crebro *animi deliquio*, per biennium, vexabatur. Accedunt *cæcitas* & *convulſiones*, ac poſt multos menſes mors.

Luſtrato cadavere, reperiebatur in corpore medullari cerebri, prope ventriculos, abſceſſus ingens. E DIARIO ERUDITOR.

OBS. 134. Quidam circa os temporum *vulneratus*, decimo die *ſoporoſus* occubuit.

Vulnus ad cerebrum penetraverat, ubi apoſtema pure turgens annotatur; vicinis partibus ad nigrorem vergentibus. BARTHOLINUS.

OBS. 135. Puer novennis *ſupra frontem percuſſus*, in *carum* incidit. Febre ſuperveniente ſeptimo die obiit.

Sublato cranio, in conſpectum veniebat abſceſſus in anteriore cerebri parte. FORESTUS.

OBS. 136. Quidam poſt *dolorem capitis* diuturnum *occæcatur*; ac tandem præ mali vehementia interiit.

Reperti ſunt abſceſſus in proceſſibus mamillaribus cerebri; oſſe frontis eroſo & perforato. BONETUS.

OBS. 137. In capite nunnullorum *epilepticorum* deprehendebatur abſceſſus in cerebro, inculpatis ventriculis. FERNELIUS.

Traditis ſubjungere licet obſervationem Lib. III. 537. Vide *Colluvies purulenta*.

ARTICULUS XII.

Ulcus & eroſio cerebri.

OBS. 138. Quidam ſenex *repente cadit*, cum *paralyſi* dextri lateris, & balbutie. Die vigeſimo primo, accedente ſpirandi difficultate, fatis ceſſit.

Pulmo dexter phlegmone correptus invenitur. Secta dura matre, erumpit aqua limpida, qua etiam dexter cerebri ventriculus ſcatebat. Siniſter vero æruginoſo colore infectus ulceroſam cavitatem in baſi exhibebat. VALSALVA.

OBS. 139. Sexagenarius alvi fluxu cum torminibus & aſſiduis vigiliis vexatus, ex improviſo *hemiphlegia* in latere dextro corripitur. *Balbutiebat*; ſed mente ſana. Die quarto e medio tollitur.

Cerebrum ſero ſcatebat, cum humore gelatinoſo circa meningum vaſa. Corpus ſtriatum duobus in locis eroſum deprehenditur. VALSALVA.

OBS.

OBS. 140. Quidam juvenis *phrenitide* laborans die decimo octavo morbi extinguitur.

Aperto capite in conſpectum veniebant cerebri ventriculi aqua ſubcerulea & acerrima pleni, a qua ſiniſter ventriculus exeſus erat. NERETIUS.

In hac claſſe recipiuntur obſervationes Lib. III. 36, 265, 273, 278.

CEREBRUM.

ARTICULUS XIII.

Cerebrum gangrænoſum.

OBS. 141. Quidam ſeptem & triginta annorum, ſub carne, in gravem & acutiſſimam *cephalalgiam* incidit. Vix febricitabat; ſed immani ſiti & vigiliis perpetuis vexabatur. Appoſitis ad caput manibus, cerebrum intus convelli & concuti videbatur; capite involuntarie ſubſiliente. Accedit *delirium;* proſternuntur vires. Pulſus convulſivus exploratur: tremunt artus, & die morbi undecimo moritur.

Diſſecto cadavere, reperitur ſanguis effuſus inter pixidem oſſeam; & meninges variis ulcuſculis exeſæ. Vaſa cerebri nigro & retorrido ſanguine turgent. Pars cerebri poſterior, cum ſuis involucris, gangræna correpta viſa eſt; e qua ſecta protinus effluxit copia materiæ purulentæ, ſordidæ & grave olentis. Cerebellum & medulla oblongata ſimiliter ſphacelo tacta deprehendebantur. Cætera corporis viſcera erant plane inculpata. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 142. Cuidam virgini octodecim annorum *peſte affectæ* erumpunt bini anthraces moleſtiſſimi in parte antica & media femoris; quos preſſo pede ſequitur *delirium* lethale.

Meninges cerebri nigricabant; & ſubſtantia cerebri tum corticalis, tum medullaris, varias gangrænæ notas exhibebat. Cor mole maximum ſanguine atro & viſcido replebatur. Hepar etiam majus conſpiciebatur, cum veſicula fellis bile atroviridi turgente. Inteſtina maculis lividis erant ſignata. DEIDIER.

OBS. 143. Vir triginta annos natus diuturnos *capitis dolores* patiebatur, præ quorum acerbitate, tandem *convulſus* obiit.

Remoto cranio, pars cerebri oſſi temporali dextro ſubjacens, ubi fuerat præcipua doloris ſedes, nigra & gangrænoſa apparuit, ad altitudinem ſex linearum. SHERARD.

OBS. 144. Quidam poſt *vulnus capitis* ſanitati, uti videbatur, reſtitutus, *repente concidit*, & *inſultu epileptico* extinguitur.

Aperta calvaria, dimidium ferme cerebrum ſphacelo tactum deprehenditur. SALMUTHUS.

OBS. 145. Vir robuſtus prævio *acerbiſſimo capitis dolore* per octiduum, tandem in *apoplexiam* delabitur; & die decimo quarto obiit.

Inter ſectionem cadaveris, conſpiciebatur totum cerebrum quaſi correptum & ſphacelatum. BRASSAVOLUS.

OBS. 146. Diſſecto corpore cujuſdam inter *inſultum epilepticum* ſublati, in conſpectum veniebat cerebri ſyderatio. GLANDORPIUS.

Pro affinibus haberi debent obſervationes Lib. II. 317, 326. Lib. III. 104.

CEREB-
RUM.

ARTICULUS XIV.

Cerebrum putre.

OBS. 147. Vir ſeptuagenarius valde edax *apoplexia* multo antea prehenſus, & *paralyſi* dextri lateris; altero latere motibus convulſivis interdum agitato; mente non conſtabat, & calculos nonnunquam cum lotio reddebat. Tandem moritur.

Omentum erat retractum, minor hepatis lobus diaphragmati firmiter annectebatur. Lien erat duplo major quam par eſſet. Ren ſiniſter quatuor calculos fovebat. Luſtrato capite occurrit ſeri copia ſtagnantis inter meninges. Plures hydatides exhibebat plexus choroides ſiniſtri ventriculi, ſub quo ſinus percipiebatur a putredine cerebri excavatus. VALSALVA.

OBS. 148. Puer quatuordecim annorum *maculis* rubris, quaſi *ſcorbuticis*, per totam cutem diſſeminatis laborabat, cum laſſitudine ſpontanea: de *dolore* inſuper *capitis* immani querebatur. Poſt nonnullam remiſſionem recrudeſcit morbus, cui adjungitur febris acuta, inappetentia, dolore in ſcrobiculo cordis & ſub axillis ſtipata. Dein ingruunt *convulſiones* epilepticæ lethales.

Cerebrum variis in locis putridum annotatur. Ventriculi aquæ copia diſtendebantur. Duo corpora, quaſi glandoloſa, reperiebantur in quarto ventriculo. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 149. Homo quadraginta annorum de acutiſſimo *dolore*, in anteriore & dextra *capitis* parte, novem menſes, conquerebatur. Circa veſperas exacerbabatur dolor cum delirio cui plerumque jungebantur *convulſiones*. Sæpius æruginoſa vomebat. Tandem extenuatus obiit.

Anterior cerebri lobus dexter totus reperiebatur in fœtidiſſimam putrilaginem diſſolutus. Inteſtina erant penitus contracta & nodoſa. Ventriculi ſubſtantia digitum craſſa animadvertitur: & ejus cavum adeo parvum ut vix libram dimidiam receperit. CLAR. STORCK.

OBS. 150. Quidam poſt gravem *capitis contuſionem*, frequentiores *inſultus epilepticos* patiebatur; quibus antea raro recurrentibus erat obnoxius. Item tremore aſſiduo quatiebatur. Dein accedit amauroſis; ac tandem ad plures abiit.

Reperitur in dextra parte ſincipitis foramen paulo minus, quam ut apicem digiti admitteret, dura matre occluſum; ſub quo occurrit cavea magni ovi capax, plena ſanguine concreto & ſero ſubfuſco; cujus latera ſubſtantiam cerebri ſemi-putrem oſtendebant. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 151. Quidam agricola quadraginta annorum dolore vago in pectore laborans, incidit in *paralyſim* dextri lateris, quod tamen nonnihil movebat. *Intellectus* erat *obſcurus*; pulſus frequens & vehemens. Tandem impeditur reſpiratio; & fatis ceſſit.

Stagnabat in thorace mediocris aquæ ſanguinolentæ copia; & pulmonum poſtica pars plevræ hærebat. Pericardium paucam aquam ſubcruentam continebat. Occurrebat major aquæ copia circa ambitum cerebri laxi: medulla oblonga ſubſidebat, & quaſi putrida diffluebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 152. Mulier ſexagenaria a biennio *epilepſiæ* obnoxia: ſub cujus acceſſu primo leviter tremebat; dein rigida & quaſi immobilis jacebat aphona, donec ad ſe rediret; nonnunquam delirabat, ſuccedente mentis ſtupore. Tandem febre acuta corripitur cum delirio; qua poſt plures dies e medio tollitur.

Reperitur pars hemiſphærii ſiniſtri cerebri molliſſima, in ſeſe conſidens, & quaſi in gelatinam ex cinereo ſubfuſcam mutata; quod vitium ad partem anteriorem ſiniſtri ventriculi protendebatur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 152. (*a*) Vir quadraginta circiter annorum poſt *inſolationem* febre ardente, *immani cephalalgia* ſtipata, corripitur: accedit pervigilium cum oculis flammeis, nau-

nauſea & anxietatibus. Quinto die ingruit phrenitis & nono, erumpente pure ex ore, naribus & auribus, interiit.

Reſerato capite, præter minorem abſceſſum ſub cranio, reperitur totum cerebrum cum ſuis involucris putridum. CLAR. TISSOT.

OBS. 153. In cadavere cujuſdam *lue venerea* inquinati, *epileptici* & *febre* acutiſſima, una cum *affectu comatoſo* intra undecim circiter horas ſublati, in conſpectum veniebat pars ſiniſtra cerebri ferme tota corrupta vel gangrænoſa: erant & in media illa corruptione tria corpuſcula, tanquam gummata virentia. GUARINONIUS.

OBS. 154. Quidam *lue venerea* laborans, in crudeliſſimum *capitis affectum* incidit. Incaſſum adhibitis ſudorificis, ſuffumigiis & inunctionibus mercurialibus, tandem vitam cum morte commutavit.

Secto cranio, nil ferme cerebri reperitur præter quamdam mucoſitatem, & phlegma valde indigeſtum, quod vix quartam pixidis oſſeæ partem opplebat; adeo ut cerebrum a diuturna lue pene conſumptum videretur. GARNIER.

OBS. 154. (*a*) Quidam miles, ventriculo alimentis ſaburrato, & ebrius, *ab alto delabitur*, cum graviſſima capitis contuſione. Præeunte delirio in affectum comatoſum incidit, quem excipit apoplexia lethalis.

Exempto cranio reperitur ſanguis ſtagnans in variis cerebri cavitatibus & receſſibus; vaſis ultra modum turgidis & varicoſis. E DIARIO NOSOC. MILITAR.

OBS. 155. Vir duorum & triginta annorum de *dolore* obſcuro & gravativo *capitis* per annum integrum querebatur; quem ſæpius comitabantur *vertigines*, & interdum *delirium*. Dein memoria labefactatur; ingruit quædam ſomnolentia, ſenſus debilitantur; & tandem ſuperveniente inſultu comatoſo e medio tollitur.

Reſerato cranio, occurrit pars ſuperior corporis calloſi putrida & partim abſumpta. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 156. Vir ſexagenarius opipare vivens, poſt cœnam conſuetam, nonnullis elapſis horis *apoplexia* corripitur cum *paralypſi dextri lateris*. Ad quindecim dies protractus morbus, tandem feralem habuit exitum.

CEREBRUM.

Luſtrato capite, annotatur aqua redundans inter meninges, & in ventriculis cerebri. Corpus ſtriatum nonnullas putriditatis notas præ ſe ferebat. E NOSTR. ADVERSARIIS.

OBS. 157. Quædam virgo ſemi-delirans abſque febre, cum oculis ſcintillantibus & flammeis, de *cephalalgia*, diu noctuque querebatur. Irritis omnibus præſidiis, paulo poſt obiit.

Maxima erat ſeri copia in ventriculis cerebri cum corruptione ſubſtantiæ medullaris circa ortum nervorum opticorum. Vaſa ſupra corticem cerebri perreptantia, ultra modum turgebant. FANTONUS.

OBS. 158. Quidam monachus a receſſu tineæ in *cephalalgiam* moleſtiſſimam incidit: ad quam leniendam ultra tres libras philonii quotannis adhibebat. Tandem poſt decennium exuvias victori dedit.

Aperto capite, in propatulum veniebat cerebrum cum ſuis involucris corruptum. Oſſa carie lædebantur & plurima ſtagnabat pituita. SAXONIA.

OBS. 159. Mulier continua dextri lateris *hemicrania*, diu & acerbiſſime affligebatur; qua tandem omnibus præſidiis obſurdeſcente e vivis rapitur.

Sublato cranio inventum fuit cerebrum in ſiniſtro latere corruptum, ichore & ſanie refertum; qua tamen in parte nulla fuerat doloris ſenſatio. SAXONIA.

OBS. 160. In cadavere cujuſdam *epileptici*, ab inſultu vehementiori enecati, conſpiciebatur in parte anteriori medullæ oblongatæ color ex flavo nigricans; cum mollitie præternaturali; adeo ut ſemi-corrupta apparuit. MORGAGNUS.

OBS. 161. Mulier *tinea* laborabat, quam variis lotionibus fugaverat; cum incidit in *febrem* continuam, vehementi *capitis dolore* ſtipatam. Poſt menſem integrum vitam cum morte commutavit.

Secta calvaria, inveniebatur media & dextra pars cerebri, cum ſuis involucris

CEREBRUM.

plane putrida, & ichore flavo inquinata. SAXONIA.

OBS. 162. In cadavere pueri decennis *variolis* confluentibus, *phrenitide* ſtipatis ſublati, in conſpectum veniebat maxima cerebri ſiniſtri lateris pars in pus fœtidum converſa. CLAR. HALLERUS.

OBS. 163. In cadaveribus variorum qui longa & graviſſima *paralyſi* afficiebantur, corpora ſtriata minus firma, inſtar amurcæ diſcoloratæ, ſtriis multum oblitteratis obſervavit VVILLISIUS.

In hoc ordine locum meretur obſervatio Lib. III. 540.

ARTICULUS XV.

Plexus choroides varicoſus.

OBS. 164. Quidam juvenis vigeſimum quintum ætatis annum agens, & litteris addictus, poſt arduos labores, *febre* acuta corripitur, quæ comitem habet *cephalalgiam* acerbiſſimam. Quinto morbi die, inter remiſſionem, uti videbatur, doloris capitis, ingruit *delirium*, nulla arte ſedandum; ac demum ſeptimo mors adventat.

Examini anatomico ſubjecto capite, in propatulum venit plexus choroides innumeris varicibus, ſumme conſpicuis exaſperatus; cum colluvie ſeroſa ſtagnante tum in ventriculis, tum in aliis cerebri receſſibus. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

ARTICULUS XVI.

Hydatides in plexu choroide.

OBS. 165. Nobilis ſeptuagenarius a trigeſimo ætatis anno calculo laborans, cum maximo ſalivæ ſalſæ proventu, quæ omnes dentes e ſuis alveolis ſenſim excuſſit; ſuffiaminata hac excretione de *dolore capitis* gravativo, ſæpius urgente *ſtranguria* queritur. Interea *ſenſus obſcurantur*, & latus dextrum fit debilius. Œdemate tument pedes; e quibus cute eroſa ingens fluit ſeri copia. Accedit *ſomnolentia*; dein impeditur loquela & dextrum latus reſolvitur. Quinto die ab aphonia placide vivendi finem fecit.

Veſica lapidem continebat ad parvum ovum gallinaceum accedentem. Craſſa meninx apparuit corrugata. Sub tenui ſtagnabat maxima ſeri copia. Hoc humore etiam turgebat uterque ventriculus. Præterea notatu dignus erat plexus choroides ob varias quas exhibebat hydatides, quarum major ad avellanæ magnitudinem accedebat. VALSALVA.

OBS. 166. Vir conſiſtentis ætatis, ab aliquot menſibus ægrotabat; ſed de nullo incommodo, ad caput attinente querebatur. Nulla prævia evidenti cauſa erumpit *tumor ab ore ad auriculam*, & infra mentum ſe extendens. Nec eo minus in taberna fuit ad bibendum, & comedendum, ſed poſtridie e lecto ſurgens *illico mortuus eſt*.

Pulmones graves & turgidi deprehenduntur. Membrana adipoſa inter os & aurem ſero & ſanguine turgebat. Vaſa cerebri erant ſanguine fluido repleta. Aqua obvia fuit ſub tenui meninge, in ventriculis & vertebrarum theca. Majores demum conſpiciebantur hydatides in plexibus choroidibus. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 167. Mulier ſexaginta annorum *leucophlegmatia* laborans in *epilepſiam* incidit, cujus inſultus crebro & ſumma cum vehementia recurrebant. Quibus tandem enecatur.

Luſtrato capite, inveniebatur circa cerebrum, inter ſcilicet ſubſtantiam corticalem & piam meningem, non ſecus ac in ventriculis lateralibus, maxima aquæ copia, præterquam plexus choroides hydatidibus ſumme conſpicuis erat refertus. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 168. In cadavere cujuſdam juvenis, qui poſt acerbiſſimos & diuturnos *capitis dolores*, *convulſionibus* lethalibus correptus fuerat, in conſpectum veniebant vaſa duræ meningis, cruore atro turgida & varicoſa; cum hydatidibus paſſim occurrentibus in ſuperficie cerebri. Ventriculi aqua diſtendebantur, & plexus choroides corporibus quaſi glanduloſis & hydatidibus obſitus deprehendebatur. EX ACTIS PARISIENSIBUS EXTERN.

OBS. 169. Mulier annum undeſexageſimum agens *apoplexia* percutitur, gravi ſuperveniente febre. Dextrum latus ſenſu & motu plane carebat. Brevi e medio tollitur.

Secta cerebri pixide haud paucum ſerum prodiit. Dura meninx craſſior annotabatur. Vaſa piæ meningis atro ſanguine erant diſtenta. Ventriculi colluvie ſeroſa diſtendebantur, cum pluribus hydatidibus plexui chorideo adnatis. CLAR. MORGAGNUS. CEREBRUM.

OBS. 170. Vir quadragenarius inter cœnandum, forti *apoplexia* repente tactus, corruit; qua pergente intra biduum vivere deſiit.

Secto cadavere reperiebatur ſerum ſtagnans intra ventriculos cerebri, cum plexu choroide variis hydatidibus obſito. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 171. Juvenis novem & viginti annorum gibbus & *biboſus*, *illico cecidit*, & moritur; vino quod biberat, una cum ſanguine per os & nares fluente.

Serum occurrit, tam circa ambitum cerebri, quam in ipſis ventriculis. Plures præterea conſpiciebantur hydatides in plexu choroideo. CLAR. MORGAGNUS.

His ſubnectere licet obſervationes Lib. I. 271. Lib. II. 54, 68, 576. Lib. III. 36., 86, 90, 214, 233, 276, 286, 297, 409, 425, 466.

ARTICULUS XVII.

Plexus choroides ſcirrhoſus.

OBS. 172. Juvenis vigeſimum quintum ætatis annum agens, poſt enormes *capitis dolores* in latere dextro, *ſurdus* evadit, & *inſultibus epilepticis* conflictatur. Accedit *paralyſis* non ſolum artuum, ſed etiam veſicæ & ani. Quibus tandem perſiſtentibus fatis ceſſit.

Ventriculus cerebri ſiniſter aqua ſcatebat; plexus vero choroides variis glandulis ſcirrhoſis erat exaſperatus. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 172. (*a*) Vir ad ſummam devectus ætatem *thoracis hydrope* occubuit. Secto cadavere ſerum occurrit in thoracis cavo; mediaſtinum variis locis exeſum liquorem ſubrubrum ſtillabat; reſerata ejus ſubſtantia abſceſſus inter membranas intercluſus apparuit; ablata cerebri pixide unda effluxit: nulli erant in ſuperficie exteriori anfractus. Aqua turgebant ventriculi cerebri; & plexus choroides pluribus tuberculis ſteatomatoſis grano milii ſimilibus exaſperabatur. PORTAL.

OBS. 173. In cadavere cujuſdam virginis *maniaca*, paucum ſerum continebant ventriculi cerebri; ſed plexus choroides exhibebat quatuor glandulas majores, quæ in corpus ſolidum & luteum, forma ad ſphæricam accedente, induruerant. VALSALVA.

OBS. 173. (*a*) In cadavere cujuſdam *epileptici* cujus inſultum præibat furor, conſpiciebantur vaſa cerebri plus æquo turgi-

da,

CEREBRUM. da. Plexus choroides variis granulis erat exaſperatus, duris & ſcirrhoſis. CLAR. DULAC.

OBS. 174. Reſerato capite cujuſdam juvenis *comatc vigili* perempti, inveniebantur duæ parvæ pilæ compactæ, quibus erat ſubſtantia albicans, & tunica flava, ciceris magnitudine, plexui choroideo adnatæ. PANAROLUS.

OBS. 174. (*a*) In plexu choroideo majuſculas ſcirrhoſas, albas & veſiculoſas glandulas, etiam avellanæ æquales, ſe vidiſſe teſtatur CLAR. HALLERUS.

Hujuſce læſionis exempla proſtant in obſervationibus Lib. I. 816. Lib. III. 100, 210, 214, 269.

ARTICULUS XVIII.

Plexus choroides putris.

OBS. 175. Quædam mulier quinquaginta circiter annorum, jamdudum hyſterica, *dolore & gravitate* inſigni *capitis* conflictabatur. Sub hac rerum conditione, circa initium noctis alte dormiens ſubito expergefacta in *paroxyſmum convulſivum* incidit; qui brevi in apoplexiam lethalem tranſiit.

Corpore cultro anatomico ſubjecto, & exempta calvaria, in apricum veniebant vaſa ſanguine diſtenta. Meninge craſſiore amota; per alteram, vel tenuem, & pellucidam, cernebatur aqua limpida cerebri plicas & anfractus cerebri implens. Plexus vero choroides aquæ diu immerſus, & velut elixus, diſcolor & ſemi-corruptus conſpiciebatur. VILLISIUS.

Vix abſimiles caſus præbent obſervationes Lib. III. 105, 403.

ARTICULUS XIX.

Glandula pinealis ingens.

OBS. 176. Puer tredecim annorum, cum anno præterito inflammatione pectoris ſiniſtri laboraſſet, corripitur *dolore capitis* ſupra oculos. Poſtridie *delirat* & viſcida evomit. Interea accedunt *convulſiones*; quæ demum lethalem poſt ſe trahunt ſoporem.

Ventriculus humore æruginoſo ſcatebat. Pulmo dexter tuberculum recondebat, nucem juglandem fere æquans. Siniſter plevræ annectebatur. Pericardium ſeri uncias duas & amplius continebat. Dura meninx circa criſtam galli cinericia erat & nonnihilránioſa. Glandula vero pinealis erat ſtupendæ magnitudinis. VALSALVA.

OBS. 177. Vir ſexaginta annorum jamdudum *vertigini* obnoxius, *apoplexia* percutitur, e qua ſolitis præſidiis evaſit; perſiſtente imo & increſcente vertigine. Cum poſt viginti quinque dies, bene ſe habere videbatur, recurrente apoplexia fatis imperantibus paruit.

Luſtrato capite, patet cerebrum plane inculpatum, ſi glandulam pinealem excipias, cujus moles nucem juglandem æquabat. Ejus ſubſtantia compacta & denſiſſima, carcinomatis naturam redolebat. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 178. Virgo viginti annorum *cephalalgia* a ſex menſibus diſcruciabatur, qua tandem *occæcatur*. Senſibus poſtremo

mo orbata; in mediis planctibus mortem obiit.

Secto cadavere, omnia illæſa videbantur in cerebro; quo accuratius rimato, detegitur glandula pinealis quaſi ſaxea, & ovi gallinacei amplitudinem æquans. DRELINCURTIUS.

De hacce læſione mentio ſubjicitur in obſervationibus Lib. III. 210, 381.

CEREBRUM.

ARTICULUS XX.

Glandula pinealis lapidea.

OBS. 179. Senex quinque & ſeptuaginta annorum de dolore interaneorum ſæpiſſime conquerebatur, cum fame quaſi canina & ſiti immani. Accedit *dolor capitis* gravativus, cum *delirio melancholico*. Tandem ingruit febris continua, quæ feralem habet exitum.

Lien deprehenditur mirum in modum contractus. Cyſtis fellea continebat lapidem, magnitudine nucis moſchatæ. Ren dexter calculis ſcatebat; ſiniſter vero ſabuloſus & ſemi-putridus conſpiciebatur. Pia meninx corporibus quibuſdam glanduloſis erat exaſperata; & cerebri moles contracta ab aquæ copia circa ejus ambitum collectæ. Glandula vero pinealis lapidea annotabatur. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

De glandula pineali ſabuloſa creberrime occurrente etiam in ſanis corporibus nil addimus.

ARTICULUS XXI.

Cerebellum laxiſſimum.

OBS. 180. Quædam fœmina quadrageſimum ſecundum ætatis annum agens, *difficili reſpiratione* conflictata ob pulmonem, uti medicis videbatur, infarctum; tandem perſiſtente, & ingraveſcente ægritudine ſupremum diem obiit.

Inſtituta cadaveris ſectione, in conſpectum veniebant pulmones ſani & plane inculpati. Deprehendebantur vaſa cerebri ſanguine ultra modum diſtenta. Cerebellum vero laxiſſimum annotabatur. CLAR. MORGAGNUS.

Conſimiles caſus exhibent obſervationes Lib. III. 86, 92, 95, 382.

ARTICULUS XXII.

Cerebellum ſcirrhoſum.

OBS. 181. Coquus octo & quadraginta annorum jampridem de acutiſſimis *capitis doloribus* querebatur. Acceſſit artuum inferiorum debilitas, Dein *febricula*, *delirio* ſtipata interdum laborabat. Elapſis duobus menſibus, dum omnia in pejus ruebant, fatis conceſſit.

Luſtrato capite, laxum reperitur totum cor-

CEREBRUM. corpus calloſum. Ventriculi multum aquæ limpidæ continebant. Medium cerebellum ſcirrhoſum, vel ad carneam naturam accedens, uniuscoloris, conſpiciebatur: quod ſcilicet e corpuſculis ſubrotundis, inter ſe ita compactis, ut nullum interſtitium, nulla membrana, nullaque vaſa occurrerent, conſtare videbatur. MORGAGNUS.

OBS. 181. (*a*) In cadavere puellæ mendicantis ſexennis, macilentæ & *ſcrophuloſæ*, præter glandulas ſcirrhoſas meſentericas, inguinales & bronchiales deprehendebatur lobus cerebelli ſiniſter, pene totus duræ matri pertinaciter hærens. Inciſo tentorio occurrit ſcirrhus enormis, duarum utrimque unciarum diametro, in quem tota aut medullaris, aut corticalis cerebri ſubſtantia degeneraverat. Uniformiter ſpiſſus erat tumor, fibroſus, renis fere inſtar, & ſciſſilis; nulla ſuperſtite nota arbuſculorum medullarium. CLAR. HALLERUS.

OBS. 182. Puer fere triennis incidit in *languorem inſolitum*, cum mole capitis aucta, & macie totius corporis. Poſt octodecim menſes *impeditur loquela*, & *obſcurantur mentis munia*. Morbo in dies ingraveſcente tandem e medio tollitur.

Cranium majus deprehenditur, quam in adulto; ob ingentem aquæ molem, qua totum ſcatebat cerebrum. Infundibulum ſumme erat dilatatum. Glandula pituitaria exiliſſima cartilaginis duritiem aſſequebatur. Cerebellum vero ſcirrhoſum occurrit; non ſecus ac pars proxima medullæ oblongatæ cui arcte hærebat. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 183. In cadavere puellæ *ſcrophuloſæ*, præter tumores ſcirrhoſos paſſim intus & extus diſſeminatos, reperitur hemiſphærium ſiniſtrum cerebelli in maſſam ſcirrhoſam commutatum; in qua nullum percipiebatur veſtigium ſubſtantiæ tum corticalis, tum medulloſæ. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

ARTICULUS XXIII.

Abſceſſus cerebelli.

OBS. 184. Juvenis novemdecim annorum *dolore ſincipitis* gravativo corripitur, cum vigiliis & inappetentia. Tribus elapſis menſibus ſub hoc rerum ſtatu, ſubito evaneſcit dolor; & bene ſe habere videbatur æger, cum poſtridie, ingruente *lypothymia* rapitur.

Occurrit in medio cerebelli abſceſſus continens puris ſinceri uncias duas; cum ſanguine copioſo effuſo, ob diſruptionem ſinus lateralis ſiniſtri. EX ACT. EDIMBURGENSIB.

OBS. 184 (*a*) Miles gravi *cephalalgia* laborans in *ſoporem* caroticum, altiſſimum incidit, in quo ſupinus jacuit, oculis apertis & irretortis cum pulſu æquali valido, ſano ſimili; quibus pergentibus quinto ſoporis die obiit.

Inter ſectionem corporis nil aliud inventum eſt præter abſceſſum avellanæ magnitudine in cerebello. PRIVAT.

OBS. 185. Introſpecto cadavere cujuſdam juvenis *febre maligna* epidemica, nullo delirio ſtipata extincti reperiebatur in cerebello abſceſſus magnitudinem ovi columbini vix ſuperans, materia fluida & ichoroſa repletus. CLAR. PRINGLE.

Proſtat affinis caſus in obſervatione Lib. III. 26.

AR-

ARTICULUS XXIV.

CEREBRUM.

Cerebellum putre.

OBS. 186. Vir triginta annorum poſt *contuſionem capitis* graviſſimam, querebatur de *dolore ſincipitis* ſiniſtri periodico, cujus paroxyſmi in dies frequentiores, & tandem *furorem* & *convulſiones* accerſebant, uſque ad obitum.

Secto cadavere, in conſpectum veniunt cerebri vaſa ſanguine plus æquo turgida. Ventriculi laterales aqua replebantur; & cerebellum putridum occurrit. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 187. Adoleſcens *in capite percuſſus* fuit, cum fractura oſſis parietalis. Vulnere methodice curato, die ſeptimo ſupervenit *eryſipellas* in capite & in pectore. Undecimo obiit. Nunquam febricitavit, neque deliravit, niſi paucis horis ante obitum.

Reſecto cranio, in conſpectum veniebant meninges inflammatæ, cum cerebello corrupto. FANTONUS.

ARTICULUS XXV.

Marcor nervorum.

OBS. 188. In cadavere cujuſdam pauperculi *amauroſi*, quæ hunc pedetentim invaſerat, a duobus & viginti annis laborantis, reperti ſunt anteriores cerebri ventriculi, ſubſidentiam paſſi, & conglutinati. Nervi optici duplo minores quam in aliis obſervabantur. SPIGELIUS.

OBS. 188. (*a*) Poſt *cæcitatem* oculi dextri nervus opticus ejuſdem lateris reperiebatur gracilior & obſcurior uſque ad ſuum principium. Hinc nec decuſſantur, nec implicantur nervi optici; ſed alter alteri dumtaxat accedit ut deinceps disjungantur. SANTORINUS.

OBS. 189. Introſpecto cadavere cujuſdam qui dum viveret de *viſu imbecilli* in oculo conquerebatur, repertus fuit nervus opticus ejuſdem lateris extenuatus; altero pleno. RIOLANUS.

OBS. 190. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam fœminæ *cæcitate* afflictæ, in propatulum veniebant nervi optici ſub egreſſu a cranio, marcidi & ſolito minores. ROLFINCKIUS.

OBS. 191. In cadavere ſexagenarii a pueritia cæci, vel *gutta ſerena* laborantis, cum pupillis clariſſimis, inventi ſunt nervi optici exiliores & quaſi intorti. BENNINGERUS.

Inter affines numerari debent obſervationes Lib. II. 787. Lib. III. 77.

ARTICULUS XXVI.

Nervi abſumpti.

OBS. 192. Inſtituta cadaveris ſectione viri conſiſtentis ætatis, qui dum viveret neminem ſibi in *fumi tabaci* uſu parem habebat, papillares cerebri proceſſus, cum ner-

CEREBRUM. nervorum olfactoriorum extremitate prorſus deerant; ita ut ne veſtigium quidem eorum reliquum eſſet. FALKENBURGIUS.

OBS. 193. In quodam patibulario ultra modum *fumifugo* deerant omnino proceſſus mammillares cerebri; qui forte ab immodico tabaci uſu fuerant abſumpti. MAGNENUS.

De cerebro falſo incuſato. *Vide* obſervationes Lib. I. 291, 305, 859, 1552, 1597. Lib. II. 41, 432.

SECTIO TERTIA.

DE TUMORIBUS INTERNIS.

ARTICULUS I.

Tumores cyſtici.

TUMORES INTERNI. OBSERVATIO 194. Puella duodecim annorum pituitoſo & pingui habitu prædita, a quatuor menſibus maximo *dolore fixo in vertice* laborabat; cum accedit vomitus ſine febre. Tandem mors doloribus & miſeriis finem impoſuit.

Aperto capite, omnia optime conformata inveniuntur. Sed occurrit præter expectationem cyſtis aqua repleta, naribus & infundibulo hærens, e qua diſrupta ſtatim exivit aqua cum impetu ad libras duas; quaſi a fonte ſcaturiens, & in altum proſiliens. BORELLUS.

OBS. 195. Quædam mulier poſt *capitis contuſionem* de *vertigine* per integrum annum graviſſimas querelas habuit. Variis incaſſum tentatis, *apoplexia* fortiſſima ſubito rapitur.

Cultro anatomico ſubjecto cadavere, & ſublato cranio, in propatulum veniebat in ſiniſtro latere tumor tunicatus, ratione folliculi & materiæ contentæ, hydatidibus haud abſimilis; ovi gallinacei magnitudinem adæquans, & tertium cerebri ventriculum ex parte comprimens. SCULTETUS.

OBS. 196. Puer duodecennis continua *febre* laborabat; *delirabat*; floccos carpebat, & inſomnes habebat noctes. Lingua erat exuſta & fuliginoſa; dejiciebat fæces nigras, ſiccas & duras, pillularum inſtar. Triduo poſt e vivis migravit.

Secto capite, reperiebatur in ſubſtantia medullari cerebri tumor nucis juglandis magnitudine, ſubrubeſcens & venis ſanguine turgentibus repletus. Rupto abſceſſu emanavit fœtidus ichor. FONTANUS.

OBS. 197. Quædam fœmina e *gravi pondere capite geſtato*, ſenſit manifeſte aliquid intra cranium ruptum fuiſſe; hinc de *vertigine* querebatur; ſub quo rerum ſtatu tandem obiit.

Secta craſſiori meninge, copioſum ſerum effluxit. In ventriculo dextro occurrit tumor, ovi gallinacei magnitudine peculiari tunica & craſſiori veſtitus. Inciſo hoc folliculo effluxit aqua turbida, ſubfuſca. WEPFERUS.

OBS. 198. Virgo poſt contuſionem capitis, de *cephalalgia* & vigiliis queritur, ſine febre. Dein accedit *delirium* melancholicum; inter quod, poſt ſex menſes, lapſu ab alto ſubito enecatur.

Luſtrato cerebro reperiuntur in utroque ventriculo, tres tumores nucis avellanæ magnitudine, colore fuſco; ventriculorum late-

lateribus pediculis adnati. Præterea ovarium dextrum, ovi gallinacei magnitudinem æquans abſceſſum recondebat. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 199. Quidam *balbutia* moleſta affligebatur, quæ nullis auxiliis potuit unquam emendari. Tandem *ſuffocatione* extinguitur.

Dempto cranio in apricum venit cyſtis, id eſt ſacculus, robuſta membrana, & compacta contextus, ſeroſum humorem continens, qui in cerebro deliteſcebat. RIVERIUS.

OBS. 200. Quædam poſt contuſionem ſincipitis *vertigine* afflicta fuit. Tandem *apoplexia* ſubito rapitur.

Inſpecto cerebro, occurrit in ſiniſtro latere tumor aqua limpida repletus, ad ovi magnitudinem accedens & tertium ventriculum comprimens. BONETUS.

OBS. 201. Quidam juvenis duorum & viginti annorum, *dolore capitis* laborabat; cujus vehementia *viſum* & *olfactum amiſit*; ac demum *convulſus* obiit.

Abſceſſus reperti ſunt in proceſſibus mammillaribus, haud a meliceribus abſimiles; quamquam ad ſcirrhum proxime accedebant. Os frontis & ethmoideum carie lædebantur; haud ſine luis venereæ ſuſpicione. BALLONIUS.

OBS. 202. Puer triennis ingenti laborabat *tumore ex oculo ſiniſtro*; adeo ut integer bulbus cum ſuis muſculis foras protuberaret.

Mortui ablato cranio reperitur veſicularis tumoris materia intra cranium & duram matrem collecta, integro plane & illæſo cerebro. PAVVIUS.

TUMORES INTERNI.

OBS. 203. Quidam ſacerdos quaſi ſubito factus eſt *ſtolidus*, & paulo poſt *apoplexia* forti e medio tollitur.

Inter diſſectionem cadaveris, deprehendebantur aliquot veſicæ rotundæ, albidæ & humore quodam pituitoſo repletæ, ſupra corpus calloſum. PANAROLUS.

OBS. 204. Vir ſeneſcens, ſex menſes ante obitum, *cæcus*, & deinde *ſurdus* evadit; ac demum *inſultu apoplectico* rapitur.

Sublato cranio, occurrit tumor ſteatomatoſus, pugni magnitudine; ſitum habens inter cerebrum & cerebellum. DRELINCURTIUS.

OBS. 205. Quidam ruſticus *lue venerea* inquinatus, & de *capitis dolore* perpetuo querulus; tandem obiit.

Inſtituta cadaveris ſectione occurrunt tria gummata, candida, duræ matri inhærentia, cum oſſis carie. MERCATUS.

OBS. 206. In corpore puellæ quæ paucis ante obitum diebus, *cæcitate* correpta fuit, reperitur inſignis folliculus, qui nervos opticos premebat, & libram ſemis ſeri limpidiſſimi continebat. PAVVIUS.

OBS. 207. In cadavere cujuſdam mulierculæ quæ *dolore capitis* continuo conquerebatur, occurrebat tumor cyſticus, humore tenui & bilioſo repletus, juxta proceſſum mammillarem. FONTANUS.

Circa hanc læſionem. Vide *Anevriſma meningum*.

ARTICULUS II.

Tumores fungoſi.

OBS. 208. Virgo juvenis, a ſex annis, *dolore capitis* acerbiſſimo laborabat. Fruſtra perterebratur cranium; & ægra octavo ab hac operatione die, ultimum fatum ſubiit.

Reſerato capite, reperiebantur tres tu-

TUMORES INTERNI.

mores fungoſi a ſubſtantia corticali cerebri prodeuntes, & duræ meningi, inibi craſſiori accreti. Pars cranii huic læſioni proſpiciens exiliſſima, chartæ papyraceæ inſtar, deprehenditur. Præterea ventriculi laterales aqua replebantur; & tertius ſanguine ſcatebat. EX ACTIS CHIRURG. PARISIENSIBUS.

OBS. 209. Cadaver cujuſdam *epileptici*, cultro anatomico ſubjectum exhibebat in altero cerebri ventriculo tumorem quemdam fungoſum vel carnoſum; cæteris partibus inculpatis. RHODIUS.

ARTICULUS III.

Tumores ſcirrhoſi.

OBS. 210. Vir triginta annorum, melancholicus & *hypochondriacus*, per tres menſes querebatur de *dolore* gravativo & moleſtiſſimo in parte poſtica *capitis*; qui ad cervicem & ſcapulas propagabatur. Quo tandem majorem ſævitiem exercente, ingruunt *motus convulſivi* ferociores, quibus brevi e medio tollitur.

Vaſa cerebri ſanguine nigerrimo turgebant. Sinus longitudinalis ſuperior intus & extus innumeris granis glanduloſis obſitus deprehenditur. Similia corpuſcula exhibebat plexus choroides. Ventriculi ultra modum diſtenti humorem viſcidum continebant. Glandula pinealis quadruplo major pure ſcatebat. Præterea occurrebant in quarto ventriculo innumeræ glandulæ duriores ad ſuppuratum vergentes, e quarum aggerie emergebat corpus magnitudinem ovi gallinacei æquans, in quod abierat fere totum cerebellum. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 211. Puer quatuordecim annorum, toto corporis ambitu minutis *maculis rubris ſcorbuticis* oblito; *dolorem capitis* obtuſum, cum appetitu proſtrato patiebatur. Accedentibus debilitate & atrophia in cephalalgiam acutiſſimam incidit; unde ſæpius ſe caput vix tollere poſſe clamitabat. Erumpente tandem vomitu, poſt nonnullas intermiſſiones, ad plures migravit.

Aperto capite, in propatulo fit pia meninx eroſa; fœtente cerebro. Serum ſtagnabat in ventriculis cerebri. Occurrit circa nates glandula quædam ſebacea, durior & friabilis. Duæ aliæ, nucis juglandis magnitudine, inter plicas cerebri reperiebantur. MANGETUS.

OBS. 212. Quidam *dolore & imbecillitate capitis* conflictabatur, cum vigiliis pertinaciſſimis. Dein *obſcuratur viſus* in oculo ſiniſtro, & poſt menſem in dextro; hinc paulo poſt emergit cæcitas, nullo vitio extus apparente. Poſtremo ingruunt *convulſiones*, quas excipit tabes lethalis.

Præter vulgatiſſimam pulmonum ſtragem, reperiebatur cerebrum, aqueo & copioſo humore irriguum. Occurrit præterea in parte anteriori & ſiniſtra tumor globoſus, ſtrumæ inſtar, ovi gallinacei magnitudinem ſuperans, & nervorum opticorum exortui incumbens. PLATERUS.

OBS. 213. Mulier quinquagenaria, jamdudum graviſſimo *capitis dolore* laborans, in *lethargum*, cum membrorum reſolutione alterius lateris incidit; qui opportuna curatione fugatur, remanente cephalalgia. Poſt viginti circiter dies in *affectum ſoporoſum* relapſa e vita deceſſit.

Cranio aperto, invenitur tumor ſcirrhoſus, tres digitos latus, lateribus ſinus tertii accretus, quo vaſa in ſinum dehiſcentia comprimebantur. Porro omnes cerebri anfractus aqua limpida erant repleti. BONETUS.

OBS. 214. Puer ſeptennis *capitis dolore* ſubito corripitur in latere ſiniſtro, cum *ſomnolentia* & laſſitudine ſpontanea. Hunc ſequitur nauſea, cum inappetentia. Poſt octiduum ingraveſcit ſopor, cum pulſu exili & in-

& inæquali. Reſpiratio impeditur, & undecimo die comatoſus interiit.

Secta calvaria, occurrit tumor mollis & carnoſus, avellanæ magnitudine, duræ meningi adnatus, in latere ſiniſtro & prope ſuturam ſagittalem. Ventriculi cerebri erant aqua repleti, cum plexu choroideo duro, ſcirrhoſo, & hydatidibus referto. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 215. Quidam, antea ſtrenuus miles, in *ſtupiditatem* incidit, quod infortunium ſubiit a gravi *capitis contuſione*, quam inconſulto poſthabuerat.

Aperto mortui cranio invenitur ſupra calloſum cerebri corpus, inſignis tumor globoſus, glandulæ inſtar carnoſus, ſcirrhoſus, fungoſuſque, pomi mediocris magnitudine, peculiari involucro obductus, venulis conſitus; ab omni tamen connexione cum ſubſtantia cerebri liber. Ventriculi præterea cerebri ſero turgebant. PLATERUS.

OBS. 216. Fœmina duorum & triginta annorum, poſt *mærorem* & triſtitiam, *ſuppreſſis menſibus*, *dolore capitis* gravativo corripitur, cum debilitate partium & tremore. Poſt varias intermiſſiones & mutationes, reſpectu ſitus doloris, accedit quædam membrorum *reſolutio*. Poſtea ingraveſcente capitis dolore, & exſolutis viribus interiit.

In conſpectum veniebant bini tumores in ſubſtantia corticali ſiti, inæquales & calloſi; ac ſemi-policem lati. Præterea ſtagnabat copia ſeri in ventriculis. EX ACT. PARISIENSIBUS.

OBS. 217. Quidam a ſex menſibus *dolore capitis* immani laborabat; cum *inſultu epileptico* vehementiſſimo prehenditur. Quo fugato, ulterius ſævit epilepſia; recurrunt motus convulſivi fugaces. Dein ingruit *delirium*, cum metu & *horrore* cujuſvis *liquidi*, & nonnullo mordendi deſiderio; quibus perſiſtentibus intra biduum e vivis tollitur.

Detecta dura meninx exhibet ſeptem ſarcomata circa ſinum longitudinalem ſita, & piſi molem æquantia. Ventriculi cerebri colluvie aquea replebantur. E DIARIO MEDICO.

OBS. 218. Quinquagenarius per ſemi-annum *cephalalgia*, ſub ſutura ſagittali, perpetuo torquebatur. Accedente *lethargo* cum partiali membrorum reſolutione, poſt tres hebdomadas apoplecticus corruit. TUMORES INTERNI.

Inſtituta cadaveris ſectione, inveniebatur juxta latus ſinus tertii tumor ſcirrhoſus tres digitos latus, membranis accretus. BLANCARDUS.

OBS. 218. (*a*) Juvenis quintum luſtrum agens febre, ſæviſſimo *capitis dolore* ſtipata, corripitur. Succedit *amauroſis* ſiniſtri oculi, dein dextri. Tandem poſt perpeſſas alias miſerias moritur.

Aperto capite occurrit tumor ſtrumoſus, qui e dura matre nervorum opticorum exortui incumbebat. PLATERUS.

OBS. 219. Quidam *dolore capitis* correptus, mox incidit in *febrem*, poſt cujus curationem, remanſerunt cephalalgiæ reliquiæ cum vigiliis & capitis imbecillitate. Tandem obiit.

Inveniebatur cerebrum humore aqueo irriguum. Præterea detegitur globus quidam, glandulæ inſtar, incluſus in cerebri ſubſtantia. BONETUS.

OBS. 220. Vir quadraginta annorum per biennium, inter varias ægritudines, quibus erat obnoxius, *ictero*, & immani *capitis dolore* conflictabatur; donec tandem obierit.

Detracta dura matre, in propatulum venit tumor ſcirrhoſus & latus, piæ matri adnatus, ad ſiniſtram falcis partem; nulla ſtagnante colluvie. HILDANUS.

OBS. 221. Adoleſcens octodecim annorum *epilepſiæ* obnoxius, pluribus abhinc annis *febre maligna* corripitur; & obiit.

Vaſa cerebri ſanguine admodum turgebant. Præterea in conſpectum veniebat corpus quoddam glanduloſum, fabæ magnitudinem æquans, in ſubſtantia corporis ſtriati dextri, ſitum. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 222. In corpore cujuſdam qui poſt diuturnos *capitis dolores*, *cæcus* evaſerat; reperiebatur ſerum in omnibus cerebri receſſibus; cum tumore quodam, glandulæ vel ſtrumæ inſtar, incluſus in ſubſtantia

Tumores interni.

tia cerebri. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 223. In cadaveribus variorum *ſcorbuticorum*, *cephalalgiæ*, dum viverent obnoxiorum, coaleſcebant cerebri involucra, tuberculis, vel tumoribus ſcirrhoſis obſita. WILISIUS.

OBS. 224. Cadavera nonnullorum *epilepticorum* varia ſarcomata cerebri involucris adnata exhibent. E MISCELL. CURIOSIS.

SECTIO QUARTA.

DE COLLUVIE SANGUINEA.

ARTICULUS I.

Sanguis effuſus extra cerebrum.

Colluvies sanguinea.

OBSERVATIO 225. Quinquagenarius inter potatores eximius, vino ſaburratus, *ex alto delabitur*. Hunc ſenſibus orbatum invadunt *convulſiones*, ſummum terrorem incutientes; quas ad integrum diem protractas excipit *delirium* furioſum. Poſt triduum mente conſtabat, & de fractis dumtaxat viribus conquerebatur. Decem elapſis diebus, omnique metu depoſito, in *inſultum convulſivum* atrociſſimum incidit; & præter omnium expectationem ſubito enecatur.

Sublato cranio illæſo, patet in dextro latere dura meninx nonnihil labefactata, ob copiam grumoſi ſanguinis qui prima involucri ſectione, cum impetu proſilit. Totum hemiſphærium dextrum obvolvebat prædictus latex, qui diuturnæ moræ notas præ ſe ferebat. E NOSTRIS ADVERS.

OBS. 226. Fœmina ebria cadendo *fronte in durum obſtaculum impingit*; & paulo poſt moritur.

Cranium erat integrum: ſed inveniebatur ad lobos poſteriores cerebri ingens copia ſanguinis grumoſi extravaſati. Major quantitas cerebellum totum compreſſit. Aperto abdomine occurrunt inteſtina flatu diſtenta. Inteſtinum vero cæcum inflatum & elaſticum tantam cavitatem habuit ut duodecim aquæ libras facile reciperet. Valvula Bauhini erat omnino oblitterata. Inteſtinum colon in chordam duriſſimam contractum reperitur. Veſicula fellis quinquaginta, & ducentos calculos recondebat. CLAR. SORCK.

OBS. 227. Vir quadrageſimum ætatis annum agens *febre quartana* corripitur. Poſt plures menſes *crura* & *venter intumeſcere* cœperunt; & ſubtumida facies luridum colorem induit. Subito tandem, & *inopinanter moritur*.

Serum copioſum & ſanguinolentum ſtagnabat in abdomine. Nigricabat hepar; & lien cæruleus apparebat. Thorax ſero ſubrubello etiam ſcatebat. Vaſa cerebri ſanguine valde turgida conſpiciebantur. Ventriculi cerebri eodem ſero replebantur. In parte poſtica calvariæ ſub tentorio duræ matris ſanguis grumoſus niger ad unciam unam & ſemis extravaſatus reperiebatur. CLAR. HASENOHRL.

OBS. 228. Septuagenarius ebrius, & *ex alto delapſus* contraxit in calvaria tam amplum vulnus ut conſpiceretur dura mater. Sequuntur *vertigines*, *vomitus* & *ſtupor*. Poſtridie ad ſe rediit febris expers.

Die-

Die tamen quarta, excreatis prius *ſputis purulentis*, periit, præter omnem ſpem, ab inopinata *apoplexia*.

Interiora capitis perſcrutantibus obtulit ſe ſerum replens ventriculos cerebri. Dein detegitur longiſſima rima excurrens uſque ad ſellam equinam; ubi occurrit ingens oſſis cuneiformis fragmentum, extra ſitum cum copioſo ſanguine coagulato. TULPIUS.

OBS. 229. Juvenis toroſus & athleticus, ac laute victitans, ſtatim poſt prandium, dum ſeſe incurvabat, *derepente corruit*, *ſenſu motuque privatus*, utpote apoplecticus. Nonnihil tamen *convulſus*, intra quindecim horas, animam expiravit.

Remota olla, reperiebatur nigerrimi ſanguinis ingens copia a diffractis carotidibus & vertebralibus ſub dura meninge totum cerebrum circumambiens, illæſis ventriculis. DRELINCURTIUS.

OBS. 230. Vir quinquagenarius vino deditus *præceps decidit*, atque occiput validiſſime impegit, *ſanguis ex ore & aure dextra copioſe emanavit*. Bis merum *cruorem vomuit*. Paulo poſt inepta effutiebat. Dein ingruit *apoplexia* fortiſſima, qua brevi rapitur.

Dirutis cerebri muniis, plurimum ſanguinis grumoſi ſub dura meninge effuſus erat, qui baſim cerebri & ipſam medullam ſpinalem madefaciebat. Ventriculi ſero cruento turgebant. Fiſſura demum detegitur in baſi cranii, quæ ad ſellam equinam protendebatur. VVEPFERUS.

OBS. 230. (*a*) Reſerato capite cujuſdam fœminæ quæ ſub gravi caſu, immani *contuſione in occipite* ad lævam conflictata fuerat & decimo quarto die e vivis deceſſerat, præter fiſſuras cranii reperitur in parte oppoſita circa lobum anteriorem cerebri ad dextram ſanguis effuſus inter piam meningem & corticem cerebri, cum nonnullis purulentiæ notis. EX ACTIS CHIRURG. PARISIENSIB.

OBS. 231. Quidam viribus integer, *ictu vehementiore* in ſiniſtrum oculum repente *attonitus corruit*, cum omnibus fortis *apoplexiæ* indiciis. Duodecima tandem ab hoc infortunio hora ad plures migravit.

Aperto capite reperiuntur interiores oculi venæ, contuſionis vi diſruptæ, e quibus ſanguis ad cochlearia duo circa cerebri baſim ſtagnabat; ventriculis plane illæſis. FERNELIUS. COLLUVIES SANGUINEA.

OBS. 232. Juvenis *melancholicus*, cujus *mens* haud raro *ægrotabat*, febre intermittente pertinaciſſima laborabat. Tandem *capitis contuſione* a lapſu enecatur.

Hepar erat ingens; meſenterium obſtructum & tumidum; epiploon ſemi-putridum. Pulmones deprehendebantur tuberculoſi. Luſtrato demum capite, occurrit copia ſanguinis effuſi inter meninges; cum oſſe morboſo circa baſim cerebri. VATERUS.

OBS. 233. Mulier ſexagenaria, habitu carnoſo prædita, quæ, peſſimo ſane more, ſanguinem crebro venæ ſectione profundebat, *mortua reperta eſt*, inter vegetiorem, uti videbatur, ſanitatem.

Reſerato capite, ſectiſque illæſis meningibus, omnia ſanguine ſuffuſa comparuerunt. Animadvertebantur in ventriculis, præter ſerum cruentum, hydatides parvulæ plexui choroideo adnatæ. BONETUS.

OBS. 234. Quidam impacto in ſiniſtra tempora palo *graviter ictus concidit*. Surgit tamen; ſed paulo poſt *ſopore profundo* correptus interiit.

Sanies putridiſſima e naribus cadaveris effluebat. Remoto cranio invenitur ſanguis niger & coagulatus ad uncias tres, qui lateralem oſſis ſphænoidei cavitatem adimplebat. BINNINGERUS.

OBS. 235. In cadavere pueri ſexdecim annorum *epilepſia* ſublati, nulla patuit epilepſiæ cauſa, niſi quod cerebri ventriculi fuerint valde compreſſi, ſibique invicem ſuperjacentes, ſine ulla manifeſta cavitate. In ſupremo vero cerebro, prope cranium ſanguis concretus detectus fuit. BARTHOLINUS.

OBS. 236. Vir ſexagenarius *epilepſiæ* obnoxius, *febre* corripitur, inter quam ingruit inſultus epilepticus ferociſſimus, & lethalis.

Invenitur inter meninges, præter ſeri copiam, portio effuſi ſanguinis ad latus. Item occurrunt ventriculi ſero repleti cum

cum turgidis glandulis in plexu choroideo. VALSALVA.

COLLUVIES SANGUINEA.

OBS. 237. Quidam *ex alto delapſus*, *ſine ſenſu* & *motu jacet*. Sanguis erumpit ex auribus: ingruit vomitus enormis; poſtero die ad plures abit.

Remoto cranio, ſanguis inter ipſum & duram matrem copioſe in occipite extravaſatus deprehenditur; cujus mole cerebellum & medulla ſpinalis comprimebantur. MANGET.

OBS. 238. Quædam mulier poſt *contuſionem* incruentam, pugno inflictam in muſculum temporalem, ſubito incidit in *ſoporem* lethargicum, & die undecimo obiit.

Levis erat ecchymoſis in muſculo læſo; & oſſa cranii plane illæſa deprehendebantur; ſed ſtagnabat copioſus ſanguis inter cranium & duram meningem. EX ACT. CHIRURG. PARISIENS.

OBS. 239. Quidam infra orbitam oculi ſiniſtri *enſe* punctim *vulneratus* fuit. Paulo poſt loquela & ratione privatus; tandem cum ſtertore *apoplecticus* mortuus eſt.

Aperto capite videtur vulnus pertingens ad ventriculum cerebri per os cribroſum: unde copia ſanguinis atri & grumoſi, quo tota cerebri baſis & regio cerebelli inquinabantur. VVEPFERUS.

OBS. 240. Quidam *temulentus*, vehementer in *pectore ictus*, repente *concidit*, & poſt duas horas animam efflavit.

Reperitur fractura cranii a caſu exorta. Remota calvaria, occurrit ſanguis ubertim effuſus ſupra & infra cerebri involucrum. TULPIUS.

OBS. 241. Septuagenarius *repente in humum cadit*, *ſiniſtra* corporis parte *reſoluta*, *dextera* ingentibus *motibus convulſivis agitata*, facie rubra. Vix uno exacto die interiit.

Aperta calvaria, in conſpectum venit ſanguis coagulatus, inter dextrum cerebri lobum, & duram meningem in parte poſtica. VALSALVA.

OBS. 242. Quidam ad ſiniſtram capitis partem *percuſſus*, mox *ſopore prehenſus*, brevi migrat ad ſuperos.

Capite aperto, invenitur durior cerebri meninx, ſub oſſe petroſo, ſanguine omnino ſuffuſa, cum purulento humore. BONETUS.

OBS. 243. Adoleſcens viginti annorum, aliquoties *catalepſi* corripiebatur; ac dein epileptico inſultu tollitur.

Vaſa meningum & anfractuum cerebri ſanguine erant turgidiſſima; ut & plexus choroides. Occurrunt inſuper circa baſim verſus occiput, ſanguinis extravaſati circiter libræ tres. VVEPFERUS.

OBS. 244. In cadavere puellæ quadam *febre delirio ſtipata*, extinctæ, animadvertebantur vaſa meninges perreptantia ſanguine ultra modum turgida; cum effuſo ſanguine. Cerebri ſubſtantia humore aquoſo madida annotabatur. VVILLISIUS.

OBS. 245. Introſpecto cadavere bimuli, cujus *achores* prorſus *evanuerant*, diarrhæa & atrophia extincti, candidum & elegans occurrit cerebrum, ſub cujus tamen baſi reperitur aqua cruenta ad uncias quatuor. BARTHOLINUS.

OBS. 246. In cadavere cujuſdam mendici *apoplexia*, uti videbatur, interempti; deprehendebatur in latere dextro & inter meninges ſanguis ſemi concretus. Major quantitas ejuſdem ſanguinis ſub lobo poſteriore cerebri deliteſcebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 247. Inter ſectionem cujuſdam juvenis *morbo attonito* ſublati, in conſpectum veniebat quamplurimus ſanguis, atramenti inſtar ater, extra cerebrum effuſus. J. BAUHINUS.

OBS. 248. Secto quodam *apoplectico* viginti annorum, præter vaſa cerebri & meningum ſanguine turgida; obſervabatur ſanguis effuſus ad libram unam, circa medullam oblongatam. VVEPFERUS.

In hanc ſerjem revocandæ obſervationes Lib. III. 13, 141. Lib. IV. 195.

ARTICULUS II.

COLLUVIES SANGUINEA.

Sanguis intus & extus effuſus.

OBS. 249. Mulier quinque & quinquaginta annorum, temperamento ſanguineo, vino dedita, & graviſſimis inteſtini coli doloribus obnoxia, *torpida*, & *ad ſomnum propenſa*, tandem de dolore temporis & oculi dextri conqueritur; & ſubito *apoplexia* corripitur. Poſt horam manus dextra paralytica evadit; vinum debilibus conatibus vomuit; & paulo poſt *inter ſtertorem* ultimum diem clauſit.

Colon contractum raras cellulas habebat; & amplioribus quam ſolet gyris verſus umbilicum ſe contorquebat; cum nonnullis gangrænæ notis. Pericardium aquam ſubcruentam continebat. Valvulæ aortæ erant oſſificationi proximæ. Demum luſtrato cerebro conſpicitur in ſubſtantia hemiſphærii dextri major ſanguinis grumoſi copia, cujus quædam portio effluxerat inter utramque meningem, & in ventriculum dextrum. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 250. Quidam juvenis ſpaſmo in ſuris cruciabatur: dein doluit cervix, & caput ad latus trahebatur; nonnihil impeditur loquela; ingruit *ſomnolentia*. Inter inappetentiam & vomitum vires languent, cum pulſu frequenti & calore. Interea e ſcala per plures gradus *præceps ruit*; caputque valde alliſit: hinc gravis *lypothymia*, cum *dentibus arcte conſtrictis*. Dein accedit vertigo titubans, vel viſus hallucinatio: ulterius impeditur loquela & ingruit *apoplexia*, quam excipit inſultus epilepticus; ſiniſtro latere paralytico. Poſtridie a caſu obiit.

Secta dura matre in ſiniſtro latere, plurimum ſanguinis, aquæ loturæ carnium ſimilis confertim erumpit; qui etiam maxima occurrit copia in ventriculis & circa baſim cerebri. Fiſſura demum reperitur prope os petroſum ſiniſtrum. VVEPFERUS.

OBS. 251. Famulus duorum & viginti annorum poſt velociſſimum curſum, ſæviente hyeme, cum poſtridie e lecto exiliret, ter *præceps ruit*. Sublatus de profundo *occipitis dolore* queritur: mox febre corripitur cum dolore & laſſitudine totius corporis. Die tertio *lethargus* evadit. Octavo, aphonus more apoplecticorum per horam jacet. Poſtea occipitis dolor exaſperatur, & ad totam ſpinam vehementiſſimus extenditur. Nono recrudeſcente *apoplexia* e medio tollitur.

Secto cranio ſanguis grumoſus invenitur circa medullam ſpinalem ex lacerato carotidis internæ trunco. Ventriculi aqua ſcatebant, cum pauco ſanguine congrumato. VALSALVA.

OBS. 252. Vir quinque & quadraginta annorum, habitu corporis gracili, *podagra* excruciabatur; qua ſuppreſſa exſurgit tuſſis moleſtiſſima. Recuperata, uti videbatur, ſanitate, ſubito *apoplexia* fortiſſima corripitur. Poſt horas circiter octo, inter nonnullos motus convulſivos e medio tollitur.

Remoto cranio, & diſciſſa dura meninge plurimum cruoris profluxit inter meninges collecti. Præterea ventriculi, totumque cerebrum a majori ſanguinis copia contaminantur. Ne minimum contuſionis veſtigium deraſis capillis apparuerat. VVEPFERUS.

OBS. 253. Vir duorum & ſeptuaginta annorum *tabaci uſui* multum deditus, *repente cadit*. Facies pallet: deinde inſtar icterici nonnihil flaveſcit, & intra horæ quadrantem extinguitur.

Multum ſanguinis concreti ſub tenui meninge inventum eſt; inter ſcilicet hoc involucrum & anteriorem cerebri ambitum. In ventriculis etiam paululum ſanguinis grumoſi conſpectum eſt. Poſtremo plexus choroides quaſi inflammatus videbatur. VALSALVA.

OBS. 254. Quidam nobilis *ex alto cecidit*, & tempus ſiniſtrum fortiter alliſit. Abolentur ſenſus, atque poſt triduum *apoplecticus* obiit.

Dura mater circa partem læſam atro ru-

COLLUVIES SANGUINEA.

rubebat; qua ſecta reperitur plurimum ſanguinis grumoſi. Uterque ventriculus aqua ſubcruenta ſcatebat. Plexus choroides ruberrimus, minutis glandulis refertiſſimus conſpiciebatur. Sublato cerebro occurrit multum ſanguinis grumoſi ſtagnans in baſi cranii. VVEPFERUS.

OBS. 254. (*a*) Quidam nobilis incidit in *dolorem capitis* ſubitaneum & intolerabilem: ac paulo poſt apoplecticus evaſit.

Cor tam capax erat ut libras tres ſanguinis contineret. Aorta & arteriæ cerebri conſpiciuntur ultra modum dilatatæ; & totum cerebrum ſanguine obruebatur. LAURENTIUS.

OBS. 255. Mulier cephalalgiæ a pluribus annis obnoxia, tandem ingraveſcente malo in *apoplexiam* fortiſſimam incidit; qua brevi e vivis rapitur.

Ablato cranio, vaſa duræ meningis ultra modum dilatata, nigra & varicoſa reperta ſunt; cum copioſo ſanguine intus & extra cerebrum ſtagnante. BONETUS.

OBS. 256. Vir trium & triginta annorum a prima pueritia *convulſionibus* erat obnoxius cum claudicatione in latus ſiniſtrum. *Morte repentina* rapitur.

Remoto cranio, reperitur grumoſi ſanguinis portio circa proceſſum falciformem. Ventriculi ichore copioſo ſunt referti. Animadvertitur demum circa poſticam cerebri partem quædam ſanguinis grumoſi copia. MANGETUS.

OBS. 257. Quidam ebrius *ictu* circa tempus dextrum adeo *percuſſus* fuit, ut humi proſtratus *ſubitanea morte* occubuerit.

Secto cranio, ingens ſeri quantitas cum copioſo ſanguine effluxit: ventriculi cerebri & ejus anfractus majorem ſanguinis effuſi copiam exhibebant. VVEPFERUS.

OBS. 258. Vir octo & triginta annorum ab *ictu lapidis* ſupra ſupercilium, *proſtratus*, poſt octodecim horas aphonus evadit, & tertio die genuina *apoplexia* tollitur.

Deprehenditur dura meninx nigricans; pia vero putris erat & fœtens. Inſignis præterea erat ſanguinis copia extra vaſa effuſi in ventriculis, aliiſque anfractibus. BONETUS.

OBS. 259. Muliercula, furiarum non poſtrema, patientia mariti in furorem verſa, *fortiter* in tempore dextro *percutitur*; *concidit*, & paulo poſt obiit.

OBS. 260. Quidam a capitis *contuſione* cruenta in *ſoporem lethargicum* incidit, quem excipiunt motus convulſivi & mors.

Cranium erat integrum: ſed occurrit ſanguis ſtagnans in pluribus cerebri partibus; ob vaſa ſcilicet a violenta cerebri commotione diſrupta. LEDRAN.

ARTICULUS III.

Sanguis effuſus in ventriculos.

OBS. 261. Quinquagenarius ab incunabulis *fatuus*, cujus caput inter jocos ſæpius contuſum & alliſum fuit; ut profundæ caveæ cranio impreſſæ abunde teſtabantur; *ſomnolentus* evadit, & vertigine nutante prehenditur. Poſt cœnam ad decubitum ſe componens, & ſcabellum duos pedes altum ſcandens in pavimentum proſternitur; & tota nocte nudus, *ſenſibus orbatus*, *humi decubuit*. Lecto impoſitus incaluit & nonnullas voces edit; ſed clauſis oculis. Interea reſpiratio impeditur; pulſus fit debilis; & duabus & viginti horis poſt invaſionem interiit.

Cerebri ventriculi laterales aqua ſcatebant, cum nonnullis ſanguinis grumis. Cor erat vaſtiſſimæ molis; & aorta ampliſſima. Pulmones plevræ & diaphragmati undique annectebantur. VVEPFERUS.

OBS. 262. Celeberrimus Malpighius, ſex

ſex & ſexaginta annos natus, vomitionibus & ſeceſſibus bilioſis erat obnoxius: quibus ſuppreſſis ingruebant *cordis palpitationes*, *arthritis* & *lithiaſis*. Sub hac rerum conditione, imo & exaſperatis ſymptomatibus, inter graviores curas apoplexia percutitur, ſubſequente *paralyſi* totius dextri lateris; e quibus poſt quadraginta dies evaſit; remanente tamen læſione tum memoriæ, tum ratiocinii. Tribus elapſis menſibus, denuo in apoplexiam incidit, qua fortiſſima, intra quatuor horas e vivis rapitur.

Cor occurrit mole ſua auctum. Multum nigricabat bilis veſiculæ felleæ. Pelvis renis dextri a retento lotio diſtendebatur. Veſica minorem calculum fovebat. Luſtrato demum cerebro deprehenditur dexter cerebri ventriculus ſanguinis nigri & grumoſi libras duas continens. Siniſter vero parum aquæ flavæ recondebat. Vaſa demum cerebri erant undequaque varicoſa. BAGLIVI.

OBS. 262. (*a*) Duodecimum ætatis annum peragens puer *variolis confluentibus* aggreſſus, occubuit.

Viſcera maculis varioloſis defœdata occurrunt; vaſa pulmonis valde erant dilatata; ſanguis effuſus in bronchia cylindros aereas vias obturantes efformabat; cerebrum ſanguine concreto erat obductum; ventriculi ejus ſero ſcatebant, & quod mirandum occurrebat, limpidiſſimum quod in ſiniſtro ventriculo ſtagnabat, colore rubenti diffuſum quod in dextro; quæ coloris diſcrepantia dubia nobis movebat an ſepto integro & nullibi perforato interciperetur ventriculorum communicatio uti fieri augurabatur illuſtriſſimus archiater Joannes-Baptiſta Senac, ſed cum hæc a propoſito ſint aliena, alibi pertractanda relinquo. PORTAL.

OBS. 263. Mulier octoginta annorum plethorica *cecidit ſenſus & motus expers*, cum ſtertore, manibus frigidis & reſolutis. Poſtridie *febre* correpta fuit; & paulo poſt extinguitur.

Aperta calvaria, vaſa tumida deprehendebantur, tum in dura meninge, tum circumcirca gyros cerebri. In utroque ventriculo occurrebat grumus ſanguinis ad ovi anſerini magnitudinem accedens. Inſuper ſerum cruentum devolutum erat in tertium & quartum ventriculum, uſque ad ſpinam medullarem. Vaſa plexus choroidis diſrupta obſervabantur; unde totus plexus inanis & decolor erat. DRELINCURTIUS.

COLLUVIES SANGUINEA.

OBS. 263. (*a*) Quidam miles octo & quadraginta annorum a *pleuritide*, uti videbatur, evaſit. Poſt quatuor menſes *ictero* corripitur, congruis remediis fugato. Tribus poſtea elapſis menſibus, *poſt largiſſimum prandium corruit*, & moritur.

Cerebrum ſanguine infarctum deprehenditur. Ventriculus dexter ſanguinis congrumati uncias tres continebat. Hepar obſtructum, & ingens, abſceſſum duos pollices latum inter ſupremam partem & diaphragma ſitum, exhibebat, pus atro-viride & fœtidiſſimum continentem, cum viciniori diaphragmatis parte craſſiori & calloſa. Cyſtis fellea bile turgebat. E DIAR. NOSOC. MILITAR.

OBS. 264. Fœmina ſeptem & quadraginta annorum, temperamento ſanguineo-melancholico, cui res erat anguſta domi; inter vegetiorem ſanitatem, ſubito gravem *inſultum apoplecticum* patitur, cum *paralyſi* totius lateris dextri. Tempeſtivis præſidiis reſtituitur. Poſt quinquennium & diuturnas vertigines apoplexia fortiſſima tacta, ſubito enecatur. Notandum quod inter hunc poſtremum inſultum tremebant artus, & quaſi rigore concutiebantur.

Venæ cerebri flatu turgebant. Serum cruentum reperiebatur in ventriculis; & detegebatur in ſubſtantia thalamorum opticorum grumus ſanguinis ad ovi gallinacei magnitudinem accedens. Ventriculus demum quartus ſanguine congrumato ſcatebat. MANGETUS.

OBS. 265. Vir ſex & quinquaginta annorum *apoplexia* corripitur. Poſt ſex horas dextra pars corporis convellitur & contrahitur, ſed præcipue manus & pes: ſiniſtra vero paralytica evadit. Humorem ex ore emittebat viſcidum & copioſum. Poſtridie maximam circa pectus ſenſit concutionem; & paulo poſt quaſi ſtrangulatus obiit. Notandum quod pluribus abhinc annis *vertigini* erat obnoxius; & nonnullis diebus ante obitum, de *dolore capitis gravativo* multum querebatur.

Reperiebatur in dextro cerebri ventri-

culo magna ſanguinis nigri variegati & quaſi purulenti extravaſatio; cum quadam eroſione circa fundum prædicti ventriculi. BAGLIVIUS.

COLLUVIES SANGUINEA.

OBS. 266. Sartor quinquagenario major, terrore, mœrore, gravique ira conflictatus in *hemiphlegiam* dextri lateris incidit. Variis remediis incaſſum tentatis; adhibita etiam machina electrea haud feliciori ſucceſſu, e medio *derepente tollitur*.

Luſtrato capite patet dura meninx, ad lævam ſinus longitudinalis, craſſa & dura; atque arcte hærens cranio & piæ meningi. Vaſa cerebri ſanguine turgebant. Ventriculus ſiniſter aqua rubella & grumoſo ſanguine plenus annotatur. Ventriculus quartus copioſo & coagulato ſanguine diſtentus erat; uſque ad magnum occipitis foramen. CLAR. HAEN.

OBS. 267. Quidam duorum & triginta annorum, potator ſtrenuus, *ſoporoſus & hebes*; a quindecim annis poſt graviſſimam pectoris contuſionem, vehementioribus *cordis palpitationibus* erat obnoxius; quæ viſu & auditu procul percipiebantur. Sub hoc rerum ſtatu, præter expectationem, *ſubitanea morte* rapitur.

Invenitur ventriculus cordis dexter amplior quam par eſſet. Similis ferme dilatatio annotatur in venis cavis, auricula, & arteria pulmonari. Pulmones aridi & corrugati, cum tunica craſſiore deprehenduntur. Luſtrato cerebro occurrunt ventriculi ſanguine nigro & congrumato turgidi. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 268. In cadavere cujuſdam helluonis, qui in ipſa ebrietate *apoplexia* tactus, intra biduum extinctus erat, pia meninx tota anevryſmatica & varicoſa deprehenditur; non modo in ſuperficie, ſed inter omnes cerebri valvulas & anfractus; inter utrumque hemiſphærium; potiſſimum vero ad tempora. Ventriculus anterior ſiniſter grumoſi ſanguinis eam habebat copiam, ut commune cochlear expleret, dexter vero dimidium paulo fluidioris. CLAR. HAEN.

OBS. 269. Sexagenarius potator ſtrenuus, a *vertigine* ſæpius cadere ſolitus, poſt prandium *apoplexia* percutitur; & brevi e vivis rapitur.

Secta dura matre erumpit aqua copioſa. Concretio gelatinoſa vaſorum piæ meningis interſtitia occupabat. Plexus choroidis glandulæ ad majoris lentis grana accedebant. In dextro ventriculo duo occurrebant grumi ſanguinis. In portione ſiniſtra cerebelli erat etiam ſanguis concretus ad unciam unam; circa quem cerebelli ſubſtantia fracida cernebatur. VALSALVA.

OBS. 270. Quidam in *febrem malignam* epidemicam incidit, quæ bis in die exacerbatur. Tertio die vehementior evadit cum æſtu moleſtiſſimo, & ſubſultu tendinum; erumpentibus petechiis. Dein accedunt nauſeæ & vomitus, cum dejectionibus bilioſis, & ſub-obſcuro delirio. Quinto die ingruit *ſomnolentia*, qua brevi ad libitinæ rationem ducitur.

Luſtrato cadavere, reperiebantur pulmones plevræ hærentes, ſanguine & pure infarcti. Hepar & renes inflammatione tenebantur. Ventriculi cerebri ſanguinem effuſum, vel ſerum cruentum continebant. E DIARIO MEDICO.

OBS. 271. Quidam juvenis poſt lautiorem cœnam, & largum vini hauſtum ſtupore in manu dextra afficitur: dein reſolutionem femoris & cruris ejuſdem lateris ſubit, judicio nonnihil impedito. Poſtea viſum oculi dextri amiſit; ſemper mentis compos. *Mens* demum *obnubilatur*; & ingruunt *convulſiones*, quibus brevi e medio tollitur.

Capite aperto, occurrunt anteriores cerebri ventriculi ſanguine partim ichoroſo, partim concreto & grumoſo, cum ſeri copia ultra modum repleti. VVILLISIUS.

OBS. 272. Vir duorum & quadraginta annorum edaciſſimus, & vitreæ valetudinis, in *epilepſiam* incidit. Poſt triennium crebrius recurrunt inſultus; majoremque ſævitiem exercent; donec tandem ingruente ferociori extinguitur.

Hepar lien & inteſtina ſolitam magnitudinem ſuperabant. Hemiſphærium dextrum cerebri phlogoſeos notas præ ſe ferebat. Ventriculi laterales ſanguine congrumato turgebant. Ramuli jugularium internarum humore quodam craſſiore obſtructi obſervantur, & variis corporibus glandulofis compreſſi. EX ACTIS LIPSIENSIBUS.

OBS.

OBS. 273. Quidam nobilis *arthriticus*, quadrageſimum ætatis annum agens, curis ſolicitus, *motibus convulſivis* in facie & manibus per intervalla tentabatur. Tandem in affectum incidit vertiginoſum cum proclivitate ad ſomnum. Poſt quinque & viginti dies *apoplexia* prehenditur; cum *paralypſi* ſiniſtri lateris; & intra biduum moritur.

Cerebrum erat flaccidum. Ventriculus dexter uncias duas ſanguinis coagulati continebat; ejus parietes ad profundi ulceris ſimilitudinem erant corroſi. VALSALVA.

OBS. 274. Vir quinque & quadraginta annos numerans, atrociſſimis *capitis doloribus* torquebatur. In *ſomnolentiam* tandem incidit, quam poſt ſex circiter horas excipit *apoplexia* lethalis.

Vaſa tenuem meningem irrigantia inania proſtant. Ventriculi laterales cerebri maximam ſeri cruenti copiam continebant. Tertius ventriculus ſanguine congrumato turgebat; qui latex etiam ſtagnabat in quarto ventriculo. Exhauſto ſanguine, fovea conſpicitur in ſubſtantia medullari cerebri eodem latice repleta. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 275. Mulier quinquagenaria, bene, ut videbatur, valens, ſubito *apoplexia* tacta concidit. Die tertio febriebat. Quarto febris increvit. Quintus vero mortem attulit.

Vaſa cerebri mirum in modum erant diſtenta. Ventriculus ſiniſter tanta cruoris copia replebatur, ut haud amplius capere potuiſſet. Sed quod mirum inter ſanguinis grumos ſe prodidit glomus, ciceris grano par, pilorum ſimul implexorum & complicatorum. EX INSTITUTO BONONIENS.

OBS. 276. Septuagenarius meracioribus vinis indulgens, oculorum inflammationi obnoxius, de capitis plenitudine querebatur; cum poſt *inſolationem*, *apoplexia* corripitur, qua poſtridie moritur.

Dexter cerebri ventriculus ſanguinis concreti copiam continebat, cujus moles æquabat ſane ovum gallinaceum. Plexus choroides veſiculas aquæ plenas, & magnas habebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 277. Vir quadragenarius ex meri abuſu *vertiginoſus*, *apoplexia* percutitur: poſt nonnullam remiſſionem recrudeſcit morbus, & mortem accerſit.

Dexter cerebri ventriculus maximam concreti & atri ſanguinis copiam colligebat. Præterea reperiebatur in ſummo hemiſphærio dextro aliquid effuſi ſanguinis, inſtar nigræ ſugillationis. CLAR. MORGAGNUS.

COLLUVIES SANGUINEA.

OBS. 278. Sexagenarius *fortuito lapſu* caput magno impetu ad ſolum allidit, ſanguine e naribus erumpente. Sequitur *brachii ſiniſtri reſolutio*, cum laborioſa reſpiratione & pulſu duro. Die quarto in *aphoniam* incidit, & quinto mors ingruit.

In dextro cerebri ventriculo repertæ ſunt concreti ſanguinis unciæ duæ. Corpus ſtriatum partim erat eroſum. VALSALVA.

OBS. 279. Mulier ſeptuagenaria a multis jam menſibus obllivioſa, incedens vix pedes attollebat. *Ex improviſo cadit*, inter comedendum, cum *paralyſi lateris ſiniſtri*. Poſt novem horas obiit.

Cerebri ventriculi pleni inveniuntur liquido ſanguine. Dexter valde eroſus erat circa thalamum nervi optici. Plexus choroides vix potuit obſervari. VALSALVA.

OBS. 280. Quidam duorum & quadraginta annorum, tribus annis ante obitum *epilepſiæ*, haud infrequenti, erat obnoxius; qua demum ulterius ſæviente, e vivis tollitur.

Reperiuntur inflammationis notæ in parte dextra cerebri, & copia ſanguinis coagulati in ventriculis, ac demum rami jugularium internarum indurati & humore glutinoſo, exſiccato, obſtructi. SPONIUS.

OBS. 281. Mulier ſeptem & quadraginta annorum *apoplexiam* fortem patitur, cum paralyſi dextri lateris; e quibus, poſt artis præſidia, evaſit. Paulo poſt *caſu ab alto* ſubito enecatur.

Introſpecto capite, reperiuntur vaſa cerebri flatu turgentia; ventriculi vero ſero cruento diſtenti inveniebantur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 282. Puer duodecennis *epilepſiæ* obnoxius, tandem inſultu ferociori, in *apoplexiam* deſinente e medio tollitur.

Inter ſectionem cadaveris, in conſpectum

venie-

Colluvies sanguinea.

veniebat cerebrum ſubdurum & quaſi inflammatum. Ventriculi vero ſanguinis coagulati copiam recondebant. SPONIUS.

OBS. 283. Cadaver matronæ trium & ſeptuaginta annorum, *aſthmaticæ*, & *morte ſubitanea* raptæ, exhibebat intra ventriculos cerebri tres grumos ſanguinis; unumquemque amygdalam ſuo cortice involutam æquantem. Præterea pulmones arctiſſimo nexu coſtis affixi apparuerunt. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 284. In cadavere principis ex ſtirpe regia, quinquageſimum ætatis annum agentis, paulo ante obitum *vertigini* & *hæmorragiæ narium* obnoxii, *apoplectico* inſultu intra paucas horas ſublati, reperiebatur copia ſanguinis intra ventriculos cerebri; cæteris partibus plane inculpatis. DIONIS.

OBS. 285. Matrona opipare vivens *dolore* quodam gravativo *capitis*, & nonnullis *vertiginibus*, ac *palpitatione cordis*, a menſe integro laborabat; cum ſubito poſt prandium *apoplectica* corruit.

Secto cadavere in propatulum veniebant cerebri ventriculi laterales ſanguine effuſo mire diſtenti. DIONIS.

OBS. 286. Fœmina quadraginta annorum tantis *capitis doloribus* torquebatur, ut inter horum ſævitiem, *furore* raperetur, quo demum in puteum ſe præcipitem dedit.

Ventriculi cerebri laterales ſero cruento turgebant, cum plexu choroideo hydatidibus obſito. EX ACT. PHYS. MED. GERMANIÆ.

OBS. 287. Vir quinquagenarius *apoplexia*, quæ tertia dicebatur, forti corripitur, cum pulſu exili, ſtertore & *totius corporis reſolutione*. Intra ſeptem horas interiit.

Cerebri ventriculi copioſo ſanguine grumoſo replebantur. Septum pellucidum erat diſruptum, & fornicis nullum erat veſtigium. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 288. In cadavere cujuſdam ſenis, qui multo tempore ante obitum *apoplexia* tactus, *paralyſi ſiniſtri lateris* prehenſus fuerat, invenitur inferior ventriculi ſiniſtri pars nonnihil eroſa, cum polypoſis ſanguinis concretionibus, circa plexum choroidem. VALSALVA.

OBS. 289. Muliercula *pugno validiori percuſſa*, quaſi *apoplectica* concidit; & brevi rebus humanis vale ſupremum dixit.

Diducta calvaria, deprehenduntur cerebri ventriculi copia ſanguinis concreti ſupra modum diſtenti. HENR. AB HEER.

OBS. 290. In cadavere mulieris *apoplexia* tactæ, *ſuccedente paralyſi*, omnes cerebri ventriculi concreto ſanguine turgebant, ut ne guttulam quidem amplius excipere potuiſſent. BARTHOLINUS.

OBS. 291. Inſtituta ſectione cujuſdam ſexagenarii *apoplexia ſanguinea* ſubito rapti, in conſpectum venit ſanguinis effuſi copia, circa glandulam pinealem, & in quarto cerebri ventriculo. E DIAR. MEDICO.

OBS. 292. In cadavere fœminæ ſexaginta annorum *inſultu apoplectico* ſublatæ, deprehenduntur cerebri ventriculi, & præſertim dexter, ſanguine atro & grumoſo pleni. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 293. Poſt *apoplexiam*, vel ictum ſanguinis, cerebri ventriculos, ſanguine ſtagnante infarctos annotarunt BORELLUS, VVARTHON, &c.

In hac claſſe locum merentur obſervationes Lib. I. 1242. Lib. II. 922, 924. Lib. III. 78, 208.

ARTICULUS IV.

COLLUVIES SANGUINEA.

Sanguis effuſus intra ſubſtantiam cerebri.

OBS. 294. Vir nobilis ad ſexageſimum ætatis annum proxime accedens; ſanguineo temperamento præditus & opipare vivens, *vertigini* erat obnoxius, cum ſubito *apoplexia* perculſus corruit.

Aperto capite, patent vaſa meninges irrigantia, ſanguine ultra modum diſtenta. Ventriculi cerebri plus æquo dilatati, præter plexum choroidem tumentem & varicoſum, majorem ſanguinis grumoſi copiam recipiebant; qui latex etiam corpus cerebri medullare dextri hemiſphærii, ſpeluncæ inſtar ſolutum, ſubierat. Præterea pulmones tumidi, & ſanguine turgentes deprehendebantur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 295. Anus duorum & centum annorum incidit in *febrem continuam*; & dein in diarrhæam. Aptis reſtituta medullis, *viribus ſenſim defecit*, ut lectulo perpetuo affixa, cardiacis ſemper fovenda eſſet. Demum deſiit vivere.

Omnia viſcera ſana inveniebantur. Cerebrum erat naturale; ſed cruor ater & ſpiſſus effuſus erat ſub pia meninge, ad lobum poſteriorem ſiniſtrum; ita quidem ut cavum, pollicem capiens, in hoc lobo expleret. CLAR. HAEN.

OBS. 296. Quinquagenarius, temperie ſanguinea & corpore obeſo, *apoplexia* tactus, cum *paralyſi utriuſque lateris*, poſt quatuor horas, rebus humanis vale ſupremum dixit.

Arteriæ duræ meningis ſanguine ultra modum turgebant, adeo ut ramuli, vel capillares ſumme erant conſpicui. Præter maximam ſanguinis copiam, qua ſcatebant cerebri ventriculi, detegitur in dextro hemiſphærio fovea capaciſſima ſanguine grumoſo repleta, & in ventriculum ejuſdem lateris hians. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 297. Vir ſexaginta annorum *aphonia* correptus, quaſi moribundus jacet, cum pulſu humili. Die inſequenti in magnam *febrem* incidit, orbatus facultate ſentiendi; *artu ſuperiori ſiniſtro reſoluto*. Die quarto ingruunt *convulſiones*, & mors.

In utroque cerebri ventriculo multum aquæ invenitur cum confertiſſimis hydatidibus plexui choroideo adnatis. In dextro cerebri hemiſphærio cavernula deprehenditur ſubrotunda, nucis juglandis capax; & nigro ſanguine plena. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 298. Mulier ſeptuagenaria, cui paucis abhinc annis viſus imminui cœperat, cum manifeſtis ſuffoſionis notis; jam ab aliquot menſibus lingua titubabat; cum *apoplexia* lethali corripitur.

Luſtrato cerebro, invenitur magna ſanguinis copia, cum grumo, peculiari cavitate circa frontem concluſa; quæ cavitas in ſubſtantia cerebri medullari, ovum gallinaceum recepiſſet. Erat inſuper carotidis inſignis ramus diſruptus; hinc plane vacuus. VVEPFERUS.

OBS. 299. Quædam matrona affectioni hyſtericæ obnoxia, in hæmorrhagiam narium frequentem, & nonnunquam immanem incidit; qua intempeſtiva arte ſufflaminata, acerbiſſimo *capitis dolore* cum loquela impedita corripitur; quem ſequitur *inſultus apoplecticus*, quo illico e vivis tollitur.

Reſerato capite & ſectis meningibus lateris dextri, proſilit magna ſeri copia. Præterea occurrit fovea in ſubſtantia medullari hujuſce hemiſphærii continens ſanguinem congrumatum ad unciam unam & ſemis. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 300. Bajulus annum agens quadrageſimum, nullum unquam morbum paſſus, *apoplexia* ſubito interficitur.

Cerebrum in dextra parte effuſionem ſanguinis oſtendit, ſub tenui meninge. Præterea erat in medio hemiſphærio ſiniſtro caverna excavata ab effuſo nigerrimo & ſemi-concreto ſanguine. Quod cavum per foramen amplum patebat in ventriculum ſini-

ſiniſtrum, qui etiam ſanguine replebatur. CLAR. MORGAGNUS.

Colluvies sanguinea.

OBS. 301. Vir quinque & triginta annorum per biennium *dolore ſincipitis* laborabat; cum erumpit ſanguis majori proventu e naribus. Fugato hoc ſymptomate abolitur olfactus, & dein ingruunt *inſultus epileptici* per biennium cerebro recurrentes, quos excipit interitus.

Cerebrum circa criſtam galli durum & calloſum firmiter duræ matri hærebat. Præterea reperitur ſanguis effuſus intra ſubſtantiam partis anterioris & ſiniſtræ cerebri. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 302. Quidam quadragenarius ſubito corripitur dolore acutiſſimo in parte dextra ſincipitis. Hinc emergit *paralyſis dextri lateris*. Dein *apoplecticus* evadit, & poſt quatriduum ultimum diem clauſit.

Inſtituta cadaveris ſectione & luſtrato capite, ſectum corpus cerebri ſtriatam exhibet maſſam ſanguinis grumoſi, quâ viciniores cerebri partes multum comprimebantur. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 303. Mulierem quadraginta annorum, bibacem, *apoplexia* prehenderat; *utroque latere reſoluto*, qua brevi e vivis deceſſit.

Reperiebatur in hemiſphærio ſiniſtro cerebri cavum amplum ſanguine grumoſo turgens, cujus quædam pars in ventriculum ejuſdem lateris pervenerat. Dexter ventriculus aqua incruenta ſcatebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 304. Vetula quinque & ſeptuaginta annorum *apoplexia* corripitur. Stertebat cum pulſu debili, & *lateris ſiniſtri reſolutione*. Ac intra biduum mortua eſt.

Cerebri ventriculi aquam cruentam continebant. In ſiniſtro erat ſanguis concretus, non paucus, qui eruperat ex ampla fovea in corpore ſtriato excavata. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 305. Vir ſexagenarius, poſt ſubitaneum & vehementem *capitis dolorem* in latere ſiniſtro, *apoplexia paralyſim dextri lateris* comitem habente, corripitur. Poſtridie recrudeſcente inſultu e medio tollitur.

In propatulum venit corpus ſtriatum recondens foveam cruore congrumato repletam. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 306. Juvenis quinque & viginti annorum de *dolore* vehementi lateris dextri *ſincipitis* ſubito ingruentis conquerebatur. Poſt ſemi-horam hunc invadit *apoplexia*, qua intra tres horas e vivis rapitur.

Occurrit ſanguis grumoſus ad molem ovi gallinacei effuſus intra ſubſtantiam hemiſphærii dextri cerebri. EX ACT. PARISIENSIB.

OBS. 307. Vir quadrageſimum ætatis annum agens *dolorem ſincipitis* ſiniſtri gravativum per triduum patiebatur; quem dein exacerbatum excipit *inſultus apoplecticus* lethalis.

Luſtrato cadavere reperiebatur aggeries ſanguinis congrumati in fovea intra corpus calloſum & ſubſtantiam ſtriatam ſiniſtri lateris inculpata. EX ACT. PARISIENSIB.

OBS. 308. In cadavere cujuſdam *apoplectici* ſiniſtrum cerebri hemiſphærium ſubnigrum apparuit, quaſi ab encymoſi. Uterque cerebri ventriculus ſero cruento ſcatebat. Intra medullarem ſubſtantiam hæmiſphærii dextri erat cavea quinque digitos tranſverſos lata nigro ſanguine pleniſſima. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 309. Vir quinquaginta annorum, jam binos *inſultus apoplecticos* paſſus, *dextro latere reſoluto*; tandem tertio rapitur.

Nil annotatione dignum reperitur in cerebro, ſi excipias foveam in ſubſtantia medullari hemiſphærii ſiniſtri inſculptam, & cruore congrumato turgidam. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 310. Fœminam jam canam ſubito invadit *apoplexia* fortis; cum *paralyſi dextri lateris*; quâ intra paucos die enecatur.

Animadvertebatur in parte medullari cerebri ſiniſtra, alte diſſecta ſanguis niger & concretus ad uncias duas. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 311. Introſpecto cadavere viri quinque & quadraginta annorum, *apoplexia ſanguinea* intra quatriduum rapti; annotatur ſanguis minori copia effuſus, intra ſub-

ſubſtantiam medullæ oblongatæ. Ventriculi vero cerebri ſero cruento ultra modum turgebant. EX ACT. PARISIENSIBUS.

OBS. 312. Cultro anatomico ſubjectum cadaver cujuſdam *apoplectici* exhibet ſanguinem effuſum intra ſubſtantiam medullæ oblongatæ; inter ſcilicet tertium & quartum cerebri ventriculum. E DIARIO MEDICO.

COLLUVIES SANGUINEA.

Hanc ſeriem ingredi debet obſervatio Lib. III. 84.

ARTICULUS V.

Sanguis effuſus in cerebellum.

OBS. 313. Puer quatuordecim annorum lumbricis laborans, ſanguinis profuſioni per nares obnoxius erat. Ex alacri & vivido, ſine cauſa manifeſta, obtuſior factus, inventus eſt poſt prandium jacens, quaſi *apoplecticus*, manibus caput comprimens, ſine loquela & paulo poſt ſine motu. Pulſus explorabatur humilis & intermittens, cum ſpirandi difficultate, & ſpuma in ore. Poſt novem horas vivere deſiit.

Luſtrato capite, in conſpectum veniebat in ventriculis cerebri, & in medio cerebello ſanguis ater & concretus ad duo circiter cochlearia. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 314. Anus octogeſimum quintum ætatis annum agens; quæ olim vigeſies pepererat, *inſultu apoplectico* vehementiſſimo ſubito corripitur, binos antea paſſa. Intra horas ſexdecim fatis ceſſit.

Inter ſectionem capitis conſpiciebantur vaſa cerebri ſanguine plus æquo diſtenta. Ventriculi ſerum continebant cum nonnullo ſanguine grumoſo. In dextra vero parte cerebelli occurrit cavea non parva, ſanguine in grumos concreto, pleniſſima. CLAR. MORGAGNUS.

SECTIO QUINTA.

DE COLLUVIE SEROSA.

ARTICULUS I.

Hydrocephalos.

OBSERVATIO 315. In capite *pueri quinquennis*, ſerum tanta copia occurrit, ut diſſoluta capitis deformis oſſa inter ſe deciſſerent; qua effuſa & exhauſta, omnia vacua & innoxia ab adſtantibus judicabantur; etſi non deficiebat cerebrum, ſed ab exuberante aqua, libras quinque ad minimum æquante, & in ventriculis primum collecta ſequax ſubſtantia cerebri adeo fuit diſtenta, ut inſtar craſſioris membranæ undique adhæreſceret arcuatæ diſſolutorum oſſium circumferentiæ. TULPIUS.

COLLUVIES SEROSA.

OBS. 316. Examini anatomico ſubjectum caput infantis primum ætatis annum agentis,

Colluvies serosa.

tis, exhibebat aquam limpidam, ſubſalſam ad ſex & triginta uncias accedentem: qua extracta, adeo apparebant cuncta vacua, ut quis exiſtimare potuiſſet cerebrum huic plane deficere. Amiſſa enim figura globoſa, indueratformam convexi fornicis. Cortex tamen cinereus a medulla albicante optime diſcernebatur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 317. Luſtrato cadavere *puellæ biennis*, cujus caput per ſeptem menſes in immenſum increverat, reperiebatur aqua collecta in ventriculis, ad novem fere libras; adeo ut cerebrum in capitis vertice, quaſi membranæ modo erat tenue, & fere continuum cum meningibus. Suturæ ab hac ingenti mole divulſæ, cum oſſibus tenuioribus conſpiciebantur. VESALIUS.

OBS. 318. In cadavere *pueri trimeſtris*, hydrocephalo extincti, utrumque cerebri hemiſphærium in faſtigium attollebatur. Oſſa cranii longiſſima a ſe invicem abſcedebant; & pericranium inter oſſa cum dura matre coaleſcebat. Sectis meningibus cum impetu proſilit aqua limpidiſſima. Ventriculi cerebri in immenſum dilatati, ſubſtantiam cerebri ita arctabant, ut primo intuitu caput ſine cerebro credidiſſes. VVEPFERUS.

OBS. 319. Secto cadavere *infantis octodecim menſium*, a nativitate hydrocephalo ingenti laborantis cum capitis pelluciditate, annotantur oſſa cranii mollia, proceſſibus membranoſis tum e pericranio, tum e dura matre firmiter hærentibus, oriundis loco ſuturarum juncta; quæ continebant aquæ limpidæ libras octo. Cerebrum ſumme coarctatum & compreſſum occurrit; ſuis prominentiis & cavitatibus ferme oblitteratis. Cerebellum ſolum inculpatum deprehendebatur. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 320. *Puer bimulus* capite arietare, lingua balbutire & pedibus titubare cœpit. Paulo poſt *paralyticus* evadit. Crura rigent, urina involuntarie profluit & caput in immenſam molem increvit. Tandem convulſis muſculis trunci plane emaciatus obiit.

Reperiuntur ſuturæ multum dehiſcentes, cum ingenti aquæ copia ſtagnantis intra ventriculos cerebri plane deformes. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 321. *Puella undecim annorum*, hydrocephalo prehenditur. Caput immenſam molem intra paucos menſes aſſequitur. *Cæca* evadit; & tota facies herpete defœdatur. Anno elapſo, ſupremum diem obiit.

Aperto capite occurrunt oſſa a ſuis connexionibus ſoluta. Dura mater facci inſtar in ſtupendam magnitudinem dilatata continebat aquæ limpidæ libras decem; quæ non ſolum ambiebat cerebrum, ſed etiam ventriculos latiſſimos replebat. E MISCELL. CURIOS.

OBS. 321. (*a*) Mulier quædam infantem parit, qui neglectus incipit laborare *hydrocephalo*. Ita increſcebat hic morbus ut miſer infans præ tumore capitis ex cunis vix eximi potuerit. Tandem moritur.

Secto corpuſculo reperiebatur ſub dura matre magna aquæ copia, quæ ſua compreſſione encephali molem ad nihilum fere redegerat. BOERRHAAVIUS.

OBS. 322. Luſtrato capite *infantis biennis* hydrocephalo extincti, reperiebantur hiantes oſſium cranii commiſſuræ. Dura meninx, cum ſuis proceſſibus craſſior & quaſi calloſa animadvertebatur.

Ventriculi cerebri a mole aquæ in tantam amplitudinem erant diſtenti ut cerebrum in ambitu ſemi-pollicis craſſitiem vix ſuperaret. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 323. *Puer paulo poſt nativitatem* in hydrocephalum incidit. Anno ætatis ſeptimo luminibus orbatur. Poſtea nonnullos *inſultus apoplecticos* decumbens patitur; interdum *convulſivos*; donec anno ætatis vigeſimo quarto obiit.

Stupenda aquæ copia reperitur in ventriculis cerebri; adeo ut uterque facillime duos pugnos excepiſſet. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 324. Cujuſdam *puellæ quadrimeſtris* capitis moles major quam par eſſet conſpiciebatur. Morbo increſcente, fluctuatio quædam in capite, tactu molli, obſervabatur. Poſt plures menſes ſub hoc rerum ſtatu ingruunt *convulſiones* & mors.

Ven-

Ventriculi cerebri tres circiter aquæ libras continebant. Cerebrum abſque anfractibus mire erat diſtentum. VVEPFERUS.

OBS. 325. In cadavere *puellæ quinquennis*, cujus caput in ſtupendam molem excreverat, dura mater firmiter cranio hærebat. Secta tenui meninge effluxerunt aquæ libræ novem. Mox ita concidit cerebrum ut vix duodecimam cranii partem impleret; quod contrectatum inſtar pultis diffluebat. Cerebellum vero ſatis erat integrum. VVEPFERUS.

OBS. 326. Luſtrato capite *infantis octimeſtris* hydrocephalo ſublati, percipiuntur oſſa cranii tenuiora & hiantia. Tredecim aquæ libræ intra ventriculos continebantur. Cerebri anfractus penitus oblitterati videbantur; & totum cerebrum nonniſi ſaccum referebat. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 327. *Puer* cujus caput in incredibilem molem increverat; tandem in *ſoporem lethargicum* lethalem incidit.

Invenitur in duobus anterioribus cerebri ventriculis aqua limpidiſſima ad libras octo, qua ipſummet cerebrum in ſacculum extendebatur. Cranium paſſim membranoſum, potius quam oſſeum videbatur. HILDANUS.

OBS. 328. Quidam *puer ingenio carens*, loquelæ & riſus expers, & hydrocephalo laborans, tandem interiit.

Ingens aquæ copia cryſtallo clarioris, reperta eſt in ventriculis, aliiſque cerebri receſſibus; ita ut totum cerebrum in ſaccum extenderetur, oblitteratis circumvolutionibus, & gyris. HILDANUS.

OBS. 329. *Infans* a nativitate incidit in hydrocephalum; adeo ut ſenſim tam increvit caput ut ejus peripheria ulnam fere & dimidiam æquaret. Cutis & dura meninx in divulſarum ſuturarum ſpatio arcte concreverant. Stupenda aquæ copia cerebrum ferme oblitterabat; integro, ſed contractiſſimo remanente cerebello. PECHLINUS.

OBS. 330. In hydrocephalo nonnunquam media cerebri pars afficitur, etſi totum caput protuberat, hærente liquore in dextro vel ſiniſtro ventriculo. Unicum ventriculum aqua ultra modum repletum, altero plane illæſo vidit in *binis infantibus* TULPIUS.

COLLUVIES SEROSA.

OBS. 331. In capite *infantis* hydrocephalo ſublati, cujus ſtupenda erat capitis moles, cum forma inſolita, oſſa cranii longiſſime a ſe invicem, mira membranarum extenſibilitate abſceſſerunt. Cerebrum mire diſtentum aquæ libras octo recondebat. MANGETUS.

OBS. 332. Aperta calvaria *infantis*, hydrocephalo extincti, ſuturæ cranii magno hiabant ſpatio. Intus vero non cerebrum, ſed cerebri loco reperitur aqua mucoſa. Simile quod a nullo anatomicorum fuit obſervatum. KERKRINGIUS.

OBS. 333. In cadavere *pueri biennis*, hydrocephalo denati, pia meninx veſicæ inſtar pellucida aquam limpidam inodoram & inſulſam continebat ad ſex libras. Obſcura erant partium cerebri mire coarctati veſtigia. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 334. *In puero octimeſtri*, hydrocephalo enecato, conſpiciebantur oſſa cranii ab invicem disjuncta. Nulla reperiebatur aqua circa ambitum cerebri; ſed tota ad libras tredecim coercebatur intra ventriculos mire dilatatos. HEURNIUS.

OBS. 335. Aperto capite *infantis ſemeſtris* horrendo hydrocephalo ſublati reperiuntur ichoris libræ quatuor & viginti, cum cerebro, inſtar oculi bovini, exiguo; unciam unam & ſemis pendente, toto putrefacto & corrupto. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 336. Inter ſectionem *pueri biennis* hydrocephalo rapti, maxima aquæ copia deprehendebatur intra ſubſtantiam medullarem cerebri, ad nihilum fere redactam & putridam; oblitteratis ventriculis lateralibus. EX ACTIS LIPSIENSIBUS.

OBS. 337. Introſpecto capite infantis hydrocephalo laborantis, tanta colluviei aqueæ copia cerebrum diſtendebatur ut cranii ſu-

Colluvies serosa.

turæ quatuor ferme digitis a ſe invicem diſtarent. FONTANUS.

OBS. 338. In capite *pueri triennis* hydrocephalo defuncti, occurrit ingens aquæ moles, quatuor libras ſuperans, qua ſuturæ capitis, longo inter ſe diſſidio, diſtrahebantur. HUCHERUS.

OBS. 339. Cadaver *pueri octennis*, cujus caput ingens erat, exhibebat ſtupendam aquæ copiam intra ventriculos cerebri collectam; nulla occurrente circa ambitum. E MISCELL. CURIOS.

OBS. 340. In ſecto capite cujuſdam *infantis*, hydrocephalo extincti, deprehendebatur tota cerebri moles, vix pilam palmariam æquans. PARÆUS.

OBS. 341. In cadavere *infantis tredecim menſes nati*, & hydrocephalo enecati, deprehendebatur aqua ad libras ſex inter utramque meningem, turbida, & viſcida. EX ACT. PHYS. MED. GERMAN.

OBS. 342. Inſtituta ſectione corporis *pueri ſeptennis*, hydrocephalo, uti videbatur, denati, in conſpectum veniebat aqua ad libram unam in ventriculis cerebri. EX ACT. PARISIENS.

Traditis ſubjungere licet obſervationem Lib. III. 182.

ARTICULUS II.

Aqua extra cerebrum.

OBS. 343. *Puer ſeptennis ſupinus cecidit*, occipitiumque pavimento graviter alliſit. Illico exortus eſt ingens capitis dolor, nullis exterius læſionis notis apparentibus. Decimo a caſu die acceſſit *iſchuria* indomabilis & die decimoquarto obiit. Nullæ convulſiones mortem præceſſerunt; nec ullius membri reſolutio. Venter autem multum intumuit; & urina poſt obitum per horæ fere quadrantem profluxit.

Aperto cadavere nil vitii præ ſe tulerunt viſcera abdominalia. Diſſectis cranii tegumentis in occipitio, ubi ictus fuerat, reperitur ſanguis ad libram unam & amplius ſub cute deliteſcens. Inſuper apparuit ingens ſeri copia in anteriori capitis parte inter cerebrum & meninges. E MISCELL. CUR.

OBS. 344. Quidam nobilis octogenarius, qui olim credebatur phthiſicus, & dein calculo fuit obnoxius; tandem ſenior incidit in *vertiginem*, aliaſque capitis affectiones. Intra noviſſimum quem vixit annum, variis *inſultibus*, tum *convulſivis*, tum *paralyticis* prehendebatur, cum *ſpirandi difficultate*. Poſtea œdematoſa fiunt crura; dein tumet abdomen: accedit *bulimies*: ingruunt *convulſiones*, quas preſſo pede ſequitur lethum.

Inteſtina flatu turgida deprehenduntur. Renes varios calculos fovebant. Thorax maxima aquæ copia ſcatebat. Pulmones duri & variis quaſi cicatricibus ſignati, ex purpureo nigreſcebant. Pericardium a multo ſero erat diſtentum. Aquæ demum copia occurrit intra meninges, circa anfractus cerebri & præſertim in baſi. VALSALVA.

OBS. 345. Mulier quadragenaria & plethorica de *doloribus capitis* gravantibus conquerebatur; at non tantis ut aliquid ſiniſtrioris expectaretur. Cum capite inclinato, igni accendendo incumberet, *apoplexia* validiſſima correpta eſt; e qua nihil proficientibus auxiliis medicis, poſt paucas horas e medio tollitur.

Secto cranio, in conſpectum venit cerebrum totum quantum ſero ſanguinolento copioſiſſime ſuffuſum. Vaſa turgida & varicibus quamplurimis exaſperata annotabantur. MANGETUS.

OBS. 346. Vir ſexagenario major *veterem ani fiſtulam* geſtabat, *quæ ſponte exſiccatur*,

tur, & ferruminatur. Paulo poſt cum bene ſe habere videbatur, illico deficiunt vires, ita ut decumbere cogeretur. Cujuſvis doloris, non ſecus ac febris, expers, *quaſi immobilis jacebat*. Poſt duodecim dies, nullo alio ſuperveniente ſymptomate, mente conſtans, placide obiit.

Luſtrato cadavere, inveniebatur cerebrum paululum depreſſum, & medulla ſpinalis aquæ innatantia. Ventriculi vero ne minimam ſeri guttulam continebant. E NOST. ADVERS.

OBS. 347. Mulier ſexaginta annorum *capitis contuſionem* patitur. Poſt octodecim dies, plane fugata ecchymoſi, nullo hactenus malo percepto cœpit *debilitari*. Poſt biduum *vacillabat memoria*, & *incondita loquebatur*. Poſtea viribus plane deficientibus, licet multum comederet, functiones cerebri magis magiſque delebantur; donec binis elapſis menſibus tandem obiit.

Multum inveniebatur ſerum album & turbidum in ſubſtantia corticali ſatis profunde hærens. Ambitus cerebri qui hoc ſero alluebatur ad minimum attacta deffluebat. LAMOTTE.

OBS. 348. Mulier prægnans ſæviſſimum *capitis dolorem* patiebatur. Circa quartum conceptionis menſem, caput manibus ſuffulciens, malum quoddam graviſſimum ſibi imminere prædixit.

Mortuæ remoto cranio, dura meninx tumida & elata conſpiciebatur, ac ſi flatibus diſtenderetur; arteriis ſanguine turgidis. Saucia cerebri ſubſtantia, copioſum ſerum ex omnibus viſceris anfractibus emanavit. Vaſa ſanguifera tenuis meningis ultra modum dilatata ſe præbuerunt. VVEPFERUS.

OBS. 349. Quidam gravativo *capitis dolore*, cum ſummo virium languore conflictabatur. Frigoris adeo erat impatiens ut ad primum hyemis appulſum cubiculo concluſus maneret, cujus omnes rimas papyro glutine inducto obſtrui curabat; & nonniſi poſt adventum ultimarum hirundinum, liberiori aeri ſe committebat. Tandem *morte repentina* tollitur.

Reſerato capite, deprehenſa eſt inſignis ſeroſorum humorum colluvies inter duas meninges. BONETUS.

OBS. 350. Vir quinque & triginta annorum *poſt contuſionem* capitis, eryſipelate faciei cum tumida glandula parotide corripitur; qui tumor pluries evaneſcit & renaſcitur. Subito tandem *retrogreſſo eryſipelate*, ingruit *phrenitis*, cui ſuccedit *ſopor lethargicus*; & vigeſimo a contuſione die occubuit. COLLUVIES SEROSA.

Reperitur aquæ copia inter cranium & meninges. Pectus parum aquæ etiam recondebat. Pulmo dexter nonnihil inflammatus videbatur. Cor concretiones polypoſas recondebat. Serum denique ad libras quatuor in abdomine ſtagnabat. DEIDIER.

OBS. 351. Quidam crudeliſſimam *cephalalgiam* patiebatur, a qua ipſi nec mora, nec requies; adeo ut præ dolore quandoque amens videretur; ut quid diceret, vel faceret, non raro neſciret. *Apoplexia* demum rapitur.

Capite examini anatomico ſubjecto, a ſecta dura meninge erumpit ſerum pallidum ſpicei coloris, & quidem tanta copia, ut cyathi aliquot unciarum capaces eo impleri potuiſſent. VVEPFERUS.

OBS. 352. Puer undecennis poſt eſum fructuum, vomitu tentatus eſt cum alvi torminibus. Mox ſequitur *febris* cum ingenti *capitis dolore*. Nono die in *ſoporem lethargicum* incidit; & brevi expirat.

Dempta calvaria, deprehendebatur in baſi cranii, præſertim circa medullam oblongatam & ſpinalem, ſerum flaveſcens & ſtagnans ad cochlearia tria. PEIERUS.

OBS. 352. (*a*) Juvenis ſtudioſus, cætera ſanus, ſine ulla evidenti cauſa ſomno diuturno & tandem *lethargo* correptus eſt. Intra duas ſeptimanas convulſus obiit.

Cerebri ventriculi aqua tumidi reperti ſunt; ac tota cerebri baſis ſero in fundo calvariæ ſtagnante immerſa erat. LOUVVERUS.

OBS. 353. Puella quinquemeſtris *febre*, & alvi fluxu corripitur. Tertio die accedit *artuum ſuperiorum convulſio*, & dein *morbus regius*; quibus ſeptimo die fatis ceſſit.

Inteſtinum rectum atra nigredine erat infectum. Pericardium aqua flava plenum de-

COLLUVIES SEROSA. deprehenditur. Annotatur inter meninges ſeroſus humor, qui circa vaſa in modum gelatinæ partim concreverat. VALSALVA.

OBS. 354. Nobilis matrona poſt fluxum hæmorrhoidalem, *hemicraniæ* obnoxia vixit. Totam capitis partem anticam & ſiniſtram occupabat dolor capitis; plerumque ſemel in hebdomada recurrens.

Diſſecto defunctæ cadavere, in propatulo fit ſtupenda aquæ copia inter duram matrem & cranium; non ſecus ac circa proceſſum falciformem. BAILLY.

OBS. 355. Puer decennis in *capite percuſſus*, poſt longiſſimam medicationem, & deperditionem ſubſtantiæ cerebri, convaluit citra noxam. Poſt tres annos *ſubito extinguitur*.

Caput ſine cerebro inventum eſt. Dura meninx quaſi duplicata recondebat aquam limpidiſſimam. (Œdipo opus eſſet). ZACUTUS.

OBS. 356. Vir triginta annorum, poſt caſum ab alto, *capite contuſo*, *ſenſibus orbatur*. Dein delira loquitur, & tertio die interiit.

Nulla detegitur fractura in cranio: ſed occurrit aqua inter utramque meningem ad plures uncias. Inſuper cerebrum plane inculpatum deprehenditur. E NOSTRIS ADVERS.

OBS. 357. Vir ſexagenarius & magni nominis, *conſolidatis veteribus ulceribus*, in provecta ætate, in melancholiam incidit. Tum *memoria fit debilior*, & *judicium tardius*. Poſt ſex menſes & nonnullas remiſſiones, quaſi hebes in *ſoporem lethalem* incidit.

Secto cranio plurimum aquæ ſtatim emanavit; adeo ut quartam pixidis partem aquæ repletam fuiſſe crederetur. WEPFERUS.

OBS. 358. In cadavere cujuſdam *epileptici*, reperitur poſticum caput univerſum aqua repletum; ut non ſolum principium nervorum aquæ innataret, ſed membranæ ipſæ aqua prægnantes & imbutæ, non ſecus ac papyrus aut tela aquæ diu immerſa, conſpicerentur. CAR. PISO.

OBS. 359. Cujuſdam *muſculorum tenſionibus dolorificis* obnoxii, recens expergefacti, illico totum *corpus horreſcere* incipiebat. Illi poſt obitum univerſa cerebelli compages & ſpina medullaris latice aqueo madeſcebant. BONETUS.

OBS. 360. In cadaveribus variorum qui dum viverent, *torpore & oblivione* afflictabantur, colluviem ſeroſam cerebri anfractus exteriores, ejuſque poros & meatus corticales ſubientem, reperiit. WILLISIUS.

OBS. 361. Mulier quinquagenaria per totum vitæ curriculum *cephalalgiæ* obnoxia, tandem *apoplectica* interiit.

Invenitur cranium craſſiſſimum, ſuturis deſtitutum, quo ablato deprehenditur ſerum in omnibus cerebri receſſibus, exceptis ventriculis, congrumato ſanguine plenis. MANGETUS.

OBS. 362. Quidam *dolore capitis* & *tenui deſtillatione* vexabatur, cum exigua convulſione cervicis ad poſteriora.

Defuncti capite aperto, comperitur aqua ad cochlearia tria inter duram meningem & cerebri poſticam ſedem. BONETUS.

OBS. 363. Puella poſt *epilepticum inſultum*, in comatoſum affectum lethalem incidit.

Tranſverſim ſciſſa cerebri ſubſtantia effluxerunt aquæ citrinæ, majori copia ſtagnantes circa nervorum conjugationes. BONETUS.

OBS. 364. Quidam *dolore capitis* conflictatus, poſt menſem *cæcus* evaſit. Poſtea ingruunt *convulſiones* lethales.

Inſtituta cadaveris ſectione, in propatulum venit tota cerebri moles humore aqueo irrigua. BONETUS.

OBS. 365. Quidam tribus ſeptimanis ante obitum *cæcitate* prehenditur, nullo vitio extrinſecus in oculis apparente.

Mortui inciſo cadavere in conſpectum venit colluvies ſeroſa, magna copia collecta inter duram & piam meningem. WEPFERUS.

OBS. 366. Quidam ſenex jampridem *ſo-*

ſomnolentia fere inexpugnabili tenebatur; ſub qua rerum conditione tandem obiit.

Cerebrum repertum eſt in aqua natans, cujus quantitas ad libram unam, & amplius accedebat. RUBEUS.

Pro affinibus haberi debent obſervationes Lib. I. 305. Lib. II. 637, 660, 944. Lib. III. 122, 179.

COLLUVIES SEROSA.

ARTICULUS III.

Aqua in cerebri ventriculis.

OBS. 367. Parvulus triennis ophthalmiæ & exanthematibus faciei obnoxius, *febre lenta* cum appetitu dejecto corripitur. Interea *torpidus* & *ſomnolentus* evadit. Congruis remediis bene ſe habere videbatur, cum recidivam patitur, brevi ſuccedente totius *dextri lateris paralyſi*. Dein quaſi inſenſibilis jacuit. Reſpiratione demum, & pulſu fatiſcentibus, interiit.

Calvaria exempta, anterior cerebri regio, aqua per membranas transfluente intumeſcebat. Ventriculi eodem latice replebantur; ac plexus choroides tanquam ſemi-coctus, ſubalbicans, & fere exanguis apparebat. BONETUS.

OBS. 368. Puellam novennem *vertigines*, cum crebro *lypothymiæ metu* moleſtabant. Vires erant languidæ, cum appetitu dejecto. Aderat *tuſſis* aſſidua & humida, quæ dein *convulſiva* evadit. Tum apertius *febricitat*, cum ſiti & calore. Noctes inſomnes cum inſigni corporis agitatione ducit. Accedit *delirium* quod excipiunt *convulſiones* lethales.

Vaſa cerebri ſanguine turgebant ad crepaturam. Pluribus in locis prope cerebellum ſanguis atro-purpureus extravaſatus reperitur. Ventriculi cerebri aqua limpida replebantur. Inteſtina demum tenuia paſſim mutuo involvebantur. VVILLISIUS.

OBS. 369. Puella poſt inſignem frigoris ſuſceptionem incaleſcente corpore, *febre continua* corripitur, quæ ſingulis diebus plures exacerbationes patitur. Interea accedit tuſſis non moleſta: dein hanc invadit *ſopor lethargicus*, cum *oculorum obnubilatione*. Die tandem duodecimo catarrhus ad pectus fertur, deglutitioque fit difficilis, ac intra paucas horas periit.

Reſerato cranio, in propatulum veniebat inter corticem & corpus calloſum aqua limpida ad uncias octo. Luſtrato pectore pulmones phlegmone obſeſſi apparent quæ in ſuppuratum abierat. BONETUS.

OBS. 370. Mulier duorum & viginti annorum recens nupta, incidit in dolorem femoris dextri, quem poſt viginti dies excipit *dolor capitis*, cum cibi faſtidio & vomitu. Omnia in dies pejora fiunt, & accedunt moleſtiſſimæ refrigerationes, *tremores corporis*, & *mentes perturbationes*. Exſurgit poſtremo dolor ingens in regione iliaca dextra; cui ſitis vehemens adjungebatur. Tandem vigeſimo die mortua eſt.

Secto cadavere, reperitur ſeri ſubſalſi ingens vis intra laterales cerebri ventriculos. Coli inteſtini pars dextra nonnihil inflammata deprehenditur. EX INSTIT. BONONIENS.

OBS. 371. Miles ſex & viginti annos numerans univerſo corporis habitu intumeſcit. Dein ingruunt *cordis palpitationes*, pulſu tardo & inæquali. Noctu profunde dormit. Tandem poſt maximum *anaſarcæ* incrementum, *ſoporoſus* interiit.

Corpus cultro anatomico ſubjectum exhibebat omentum aquam in ſua duplicatura continens. In cavo pectoris gelatina quædam reperiebatur. Pulmo dexter undique plevræ erat adnatus: ſiniſter aqua circumdatus, in ſummitate ſemi-putridus, abſceſſum aluit. Pericardium abundat aqua. Cerebri vero vaſa, non ſanguine, ſed aqua turgere videbantur. Ventriculi demum

mum ſerum copioſum recondebant. CLAR. HASENOHRL.

COLLUVIES SEROSA.

OBS. 371. (*a*) Vir quadraginta annorum, temperamenti phlegmatici, hernia inguinali laborans, ingentem ſanguinis copiam abſque tuſſi rejecit, ſcilicet per vomitum. Paulo poſt *febre quartana* corripitur. Vires inter uſum variorum medicaminum ſenſim collabuntur, *tument abdomen & artus inferiores*, atque *hebes* evadit æger. Tum febris, permutato ſuo rythmo, anomala fit; quæ demum *epilepſiam* lethalem poſt ſe trahit.

Luſtrato cadavere, magna occurrit ſeri copia in omnibus cerebri ventriculis, non ſecus ac in thorace & abdomine. CLAR. BAADERUS.

OBS. 372. Quidam *hydrope pectoris* laborans, ſomnum niſi prona facie & inclinato capite capeſſere non potuit. Si enim capite in pulvinar reclinato ſe componeret, intra tertiam horæ partem horrendis inſomniis & terroribus, triſtis ſemper evigilavit. Poſtea *cordis tremore, & oppreſſione* diu conflictabatur; donec tandem migravit ad ſuperos.

Celebrata cadaveris ſectione, ventriculi cerebri aqua ſumme diſtenti animadvertebantur. BONETUS.

OBS. 373. Puella ſeptennis a duobus menſibus, *dolore capitis* graviſſimo circa frontem affligebatur, nonnunquam ita acuto, ut cultro ſibi caput dividi frequenter poſtularet. Interea ingruunt *paroxyſmi epileptici*, quibus de medio rapitur; haud ſine ſuſpicione latentis abſceſſus.

Reſerato cranio, nihil repertum fuit præter ſeroſum humorem, in cerebri ſubſtantiam & præſertim in ventriculos effuſum. RIVERIUS.

OBS. 374. Senem cruris ulcere laborantem repente *capitis dolor* prehendit. Poſt viginti quatuor horas ingruit *apoplexia*, cum *dextrorum artuum reſolutione*; ac repente obiit.

Inſpecto cadavere, non pauca reperitur aqua in ventriculis cerebri. Plexus choroides utriuſque lateris pallidus obſervatur; ſeptum pellucidum anterius erat diſruptum. Omnis demum medullaris ſubſtantia dextri hemiſphærii valde fuſca conſpiciebatur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 375. Juvenis octodecim annorum poſt alvi fluxum, tuſſi & vigiliis conflictabatur. Dein incidit in melancholiam, a *noſtalgia* oriundam. Ingruunt leves *convulſiones*, cum pulſu exili & quadam *ſomnolentia*; quibus in dies ingraveſcentibus tandem enecatur.

Aperto cadavere, annotantur vaſa cerebri ſanguine atramenti inſtar nigri turgeſcentia. Ventriculi cerebri laterales maxima aquæ copia diſtendebantur. BARRERUS.

OBS. 376. Vir quinquagenarius plethoricus, & ſæpe ebrius, a quodam viſo ſpectro, uti dicebat, in totius *corporis tremorem* incidit, cum *febre & oris diſtorſione*. Gravantem capitis dolorem ſibi moleſtum eſſe geſtu indicabat *aphonus*. Intra ſex dies, nil conferentibus præſidiis, conficitur.

Secto cadavere, vaſa cerebri occurrunt ſanguine ultra modum diſtenta. Stagnabat inſuper aquæ copia in ventriculis cerebri. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 377. Puella *tuſſi convulſiva* afficiebatur. Succedit *febris*, & dein ingruunt motus convulſivi, primo in artubus, mox in facie, & ſubinde in toto corpore, cum pulſu inordinato, & intermittente.

Inter cadaveris ſectionem inveniebantur vaſa meninges perreptantia, ſanguine turgida. Præterea cerebri ſubſtantia prorſus erat madida, & omnes ventriculi aqua limpida replebantur. BONETUS.

OBS. 378. Infans ſemeſtris *convulſionibus inter dentitionem* corripitur, in oculis præcipue conſpicuis, alvo libera: incaſſum variis tentatis remediis, tandem graviori inſultu corripitur & obiit.

Dura meninx arctiſſime cranio hærebat: tenuis vero ſupra os petroſum utriuſque lateris infarctum pituitoſum purulentiæ ſpeciem referentem exhibebat. Præterea cerebri ventriculi ſero copioſiſſimo turgebant. E NOST. ADVERS.

OBS. 378. (*a*) Puer ſexennis nonnihil *ſomnolentus*, digitos continuo naribus admovebat. *Febricitabat*, facie alternatim ru-

rubente & pallente. Videtur interdum a *vermibus* ſtrangulari; dejicit viridia & *toto corpore convellitur*. Duodecimo morbi die obiit.

Nullum erat in abdomine vitium. Cerebrum vero molle & quaſi pultaceum conſpiciebatur, cum ventriculis aqua repletis. CLAR. SAUVAGES.

OBS. 378. (*b*) Infans octo annorum, edax & obeſus, poſt *inſolationem* in *febrem* continuam incidit convulſionibus & ſomnolentia ſtipatam; qua brevi e vivis rapitur.

Examini ſubjecto cadavere deprehenduntur duo lumbrici mortui in tubo inteſtinali; cerebrum vero nil morboſi exhibebat præter colluviem ſeroſam in ventriculis lateralibus ad uncias circiter ſex ſtagnantem. CLAR. SAUNYER DULAC.

OBS. 379. Puella quatuor annorum, habitu corporis gracili, & temperie bilioſa, *febre ardente* corripitur, cum pungitivo *capitis dolore*, & lotio pauco. Creſcente morbo, decimo quarto die occubuit.

Inſtituta cadaveris ſectione, & luſtrato cerebro, deprehendebatur libra circiter una aquæ limpidiſſimæ intra ventriculos cerebri. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 380. Adoleſcens *phthiſicus* conquerebatur ſe non poſſe ſupinum decumbere, nec caput reclinare; & ab hoc vel illo corporis ſitu, cordis tremores & animi deliquia patiebatur.

Corpore poſt obitum diſſecto, invenitur præter pulmones ſcirrhoſos & purulentia defœdatos, ingens ſeri ſalſi & flavi copia intra omnes cerebri ventriculos fluctuans. BONETUS.

OBS. 381. Juvenis octodecim annorum in *noſtalgiam* incidit; & melancholiæ plus æquo indulgens, quaſi *hebes* evadit. Interea vires deficiunt, pulſu exili. Tandem ingruit ſomnolentia lethalis.

Vaſa cerebri cruore atro ſcatebant. Tertius ventriculus aquæ copiam continebat. Glandula pinealis triplo major ſolito occurrit. Veſicula demum fellea bile glutinoſa ſubatra turgebat. BARRERUS.

OBS. 382. Anus, poſtquam antiqua artuum ulcera minus jam in dies manantia, & noviſſime arida apparuerant; ſenſim quaſi a ſenectute confecta mortua eſt.

COLLUVIES SEROSA.

Laterales cerebri ventriculi aqua turbida erant pleniſſimi; albeſcente plexu choroideo. Cerebellum præterea plus æquo flaccidum deprehendebatur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 383. In quadam muliere, quæ diu triſtis vixerat; & de *catarrhis* vel *gravedine* millies conqueſta fuerat, atque ad fletum, copioſaſque lacrymas erat promptiſſima; deprehendebatur totum cerebrum humidum & ſpongiæ inſtar aqua imbutum, cum ventriculis ſimili latice repletis. DIEMERBROEK.

OBS. 384. Puer quatuordecim annorum; duobus menſibus ante obitum *caput ex alto alliſit*. Accedit *febris*, *capitis dolore* ſtipata. Interea æger *ſtupidus* evadit, & ebrii inſtar incedit. Dein oculis clauſis obmuteſcit; dentibuſque ſtridet uſque ad mortem.

Luſtrato cadavere, animadvertebatur colluvies ſeroſa ad libram unam in ventriculo dextro cerebri ſtagnans. CHIFFLETIUS.

OBS. 385. Quidam *melancholicus* taciturnus & comatoſus, de ingenti *capitis dolore* conquerebatur. Pergente & ingraveſcente morbo, vitam cum morte commutavit.

Sublato cranio, occurrunt venæ cerebri ſanguine melancholico turgentes. Ventriculi cerebri ſatis magna aquæ copia replebantur. BALLONIUS.

OBS. 386. Juvenis quinque & viginti annorum incidit in *febrem* continuam, cum immani *capitis dolore*, pulſu parvo & tremulo. Interea ingruit *delirium*, quod tandem poſt nonnullas remiſſiones mortem acceſſit.

Inter ſectionem cadaveris, deprehendebatur major aquæ ſubluteæ copia in tertio cerebri ventriculo. BARRERUS.

OBS. 387. Puella duodecimum ætatis annum agens, immani *dolore in vertice* a quatuor menſibus laborabat. Omnia alimenta rejiciebat, etſi febris expers. Tandem *tabe* confecta e vivis diſceſſit.

COLLUVIES SEROSA. Aperto capite, in apricum veniebat aqua limpida, ad libras circiter duas ſtagnans in ventriculis cerebri. BARRERUS.

OBS. 388. Virgo octodecim annorum, *doloribus capitis* acutiſſimis obnoxia, tandem incidit in *phrenitidem* nulla arte ſedandam, qua brevi ad libitinæ rationem ducitur.

Introſpecto capite, inveniebantur ventriculi cerebri præter modum dilatati, libras ſcilicet duas & amplius aquæ limpidiſſimæ colligentes. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 389. Mulier jam antea *ſurda*, *movendi facultatem amiſit*, pulſum & corporis calorem. Tarda & querula erat reſpiratio. Quibus pergentibus, intra triduum obiit.

Reperiebatur omnis ſanguis fluidus. Cerebri ventriculi paululum craſſioris ſeri recondebant. VALSALVA.

OBS. 390. Puer tredecim annorum de *immani capitis dolore* in latere ſiniſtro, a ſex menſibus, laborabat, cum *febre quartana*. Tandem ultimum diem clauſit.

Inſtituta capitis ſectione, conſpiciebatur ſiniſter cerebri ventriculus, colluviei aqueæ & limpidæ libram unam continens. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 391. Quidam de acerbiſſimo *capitis dolore* a tribus menſibus conquerebatur; ejus facies erat pallida; cum pulſu duro, parvo & frequenti. Tandem migravit ad ſuperos.

Inſtituta cadaveris ſectione, in propatulo fiunt ventriculi laterales cerebri colluvie aquea ſubflava repleti. BARRERUS.

OBS. 392. Inciſo cadavere cujuſdam puellæ ad *vertiginem* pronæ, & *febre acuta* extinctæ reperiebatur cerebri ſubſtantia prorſus madida, cum ventriculis humore aqueo ultra modum repletis. Inſuper vaſa meningum ſanguine plus æquo turgida conſpiciebantur. BONETUS.

OBS. 393. Virgo ſeptennis *dolorem capitis* gravantem patiebatur; & paroxyſmis epilepticis erat obnoxia, cum ſpuma in ore. Tandem accedente ferociori e vivis rapitur.

Primo intuitu cerebrum inculpatum videbatur; ſed inciſo, occurrit ſerum in ventriculos & ipſammet cerebri ſubſtantiam, effuſum. RIVERIUS.

OBS. 394. Adoleſcens *phthiſicus* per plures hebdomadas non potuit ſupinus decumbere; quippe ab illo ſitu *convulſiones* patiebatur. Tandem ſub hoc rerum ſtatu obiit.

Luſtrato cadavere, ingens patet ſeri flavi & ſubſalſi copia intra omnes cerebri ventriculos fluitans. VVILLIS.

OBS. 395. In cadavere fœminæ quadraginta annos natæ, & *apoplexia* intra biduum ſublatæ, præter aquæ pauxillum in ventriculis cerebri; nil uſquam in cerebro, cerebello & medulla oblongata, accuratiori examini ſubjectis, quoque verſum ſecando deprehendi potuit. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 396. Puer quatuordecim annorum *caput caſu ex alto alliſit*; hinc *febris*, *ſtupor*, & dolor capitis, abſque rubore aut inflammatione, in parte læſa.

Cerebro mortui cultro anatomico ſubjecto, inveniebatur ventriculus dexter cerebri aquæ libram unam continens. BONETUS.

OBS. 397. Quemdam agricolam ebrium *aphonia* prehenderat; pluribus fruſtra tentatis, quarto die viribus deficientibus, fatis ceſſit.

Reſerata calvaria, in conſpectum veniebat multa aqua in ventriculis cerebri lateralibus. Plexus choroides pallebat, & glandula pinealis ſabuloſa annotabatur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 398. In cadavere juvenis mulieris *delirio* ac *inſultu epileptico* ſublatæ, omnes cerebri ventriculi deprehenduntur humore aqueo limpidiſſimo ſcatentes; cæteris partibus plane inculpatis. BONETUS.

OBS. 399. In aperto cranio variorum infantium *epilepſia* denatorum, animadvertebantur ventriculi cerebri laterales colluvie feroſa acri, & flaveſcente diſtenti. DRELINCURTIUS.

OBS.

OBS. 400. Miles in *poſteriori capitis parte ſauciatus*, de *vertigine* queritur, & dein in *paralyſim* incidit, quam excipit lethum.

Examini ſubjecto capite, detegitur ventriculus cerebri dexter aqua limpida repletus; altero illæſo. SCULTETUS.

OBS. 401. Quidam melancholicus paulo ante obitum, primo *ſomnolentus*, & dein *comatoſus* evaſit.

In corporis diſſectione, maxima aquæ limpidæ quantitas in cerebri ventriculis, plus æquo diſtentis, reperta eſt. BONETUS.

OBS. 402. Caput cujuſdam fœminæ *convulſionibus* ſublatæ exhibebat omnes cerebri ventriculos, humore aqueo flaveſcente, vel ſero bilioſo ſcatentes. RHODIUS.

COLLUVIES SEROSA.

His adde obſervationes Lib. I. 333, 424, 816. Lib. II. 18, 19, 97, 302, 319, 367, 478, 545, 845, 849, 866. Lib. III. 4, 17, 29, 76, 86, 90, 100, 105, 181, 208, 227, 228, 548. Lib. IV. 180. *Vide* præterea *Oſſificationes meningum*. *Vaſa cerebri ſanguine turgida*. *Cerebrum tumidum*. *Hydatides in plexu choroideo*. *Sanguis effuſus in cerebrum*. *Medulla ſpinalis hydrops*.

ARTICULUS VI.

Aqua intus & extra cerebrum.

OBS. 403. Fœmina jam diu hyſterica, inter prægnationem *affectibus convulſivis* moleſtabatur. Tandem abortum patitur, graviſſimis ſymptomatibus ſtipatum; ingraveſcentibus convulſionibus. Poſtea inter convaleſcentiæ ſpem, ingruit *dolor capitis gravativus*. Tum recurrunt paroxyſmi convulſivi, quos excipit *apoplexia lethalis*.

Calvaria exempta, vaſa meninges & cerebrum perreptantia ſanguine diſtenta apparebant. Omnes cerebri receſſus & cavitates implebat colluvies ſeroſa. Plexus choroides aquæ diu immerſus & veluti elixus, diſcolor & ſemi-corruptus conſpiciebatur. Serum juxta nervorum origines ſeſe inſinuans piam meningem a medullæ oblongatæ caudice per duos digitos latos ſeparaverat. VVILLISIUS.

OBS. 404. Septuagenarius poſt varia infortunia *cachecticus*, cum crurum intumeſcentia œdematoſa & ulcere in tibia dextra, *iſchuria* afficitur, cum dolore colico & alvi adſtrictione, ſequente brachiorum *paralyſi*. Tum de *dolore capitis* & *vertigine* conquerebatur. Poſtea tuſſit & purulenta expuit; donec tandem exſolutis viribus, obiit.

Exenterato cadavere, pulmones obſervantur accreti, ſubduri & compacti. In cavo pectoris occurrit ſerum ſubcruentum. Secto cranio, plurimum ſeri ſubpallidi effluxit, quod etiam replebat omnes cerebri ventriculos, in fiſtulam ſacram etiam illapſum. Plexus choroides inſuper pallidus & exanguis annotabatur. VVILLISIUS.

OBS. 405. Vir quadraginta annorum, cannabis carminator queritur de tumore prope cartilaginem enſiformem, cum quodam dolore gravativo circa lumbos. Interea *crus dextrum reſolvitur*; accedit *iſchuria* veſicaris: difficilis fit reſpiratio: ingruunt *convulſiones* artuum ſuperiorum per intervalla recurrentium. Dein *mens obſcuratur*: ſiniſtrum crus invadit paralyſis. Tandem inter ſæviores *convulſiones*, obiit.

Luſtrato corpore, invenitur multa aqua turbida in abdomine. Humore ejuſdem indolis ſcatebat pericardium. Vaſa cerebri atro ſanguine erant diſtenta. Poſtremo ſtagnabat aqua limpida in ventriculis & anfractibus cerebri: ſed major annotabatur copia in baſi cranii, circa occipitis magnum foramen. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 406. Vir nobilis ſexagenarius urinæ vitiis obnoxius, *antiquo cruris ulcere occluſo* incidit in *lypothymias*, crebro recurrentes. Dein *apoplexia* corripitur, cum

Colluvies serosa.

hemiplegia lateris dextri. Inter varia præſidia, oborta eſt *febris* de genere putridarum, cum ſuſpicione inflammationis pulmonum. Tandem accedit *ſtertor*, quem brevi excipit lethum.

Inter exenterationem cadaveris, occurrit veſicula fellis quatuor pſeudo lapillos recondens. Pulmones erant inculpati. Secta craſſa meninge, copioſa effluxit aqua. Vaſa cerebri ſuperficiem irrigantia plus æquo turgida cernebantur, & cinerea quadam gelatina obducebantur. Cerebrum flaccidum annotabatur, cum aqua ſtagnante in ventriculis. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 407. Muliercula ex hepatis & veſiculæ fellis obſtructione in tertianam notam incidit. Deinde *dolore colico* corripitur, & *paralytica* evadit. Paralyſis primo invaſit artus ſuperiores & dein inferiores. Tum ægra contabeſcens de ventriculi dolore, ſiti, appetitu proſtrato, & dolore illii ſiniſtri gravativo querebatur. Poſt diem integrum, accedit *delirium*, quod brevi ſequitur *epilepſia* lethalis.

Exenterato cadavere reperiebatur ventriculus humore ſubviridi turgens. Cerebri vero ventriculi, aliique receſſus capitis interni, non ſecus ac fiſtula ſpinalis, aqua limpidiſſima obruebantur. COITERUS.

OBS. 408. Fœmina ſeptem & quinquaginta annorum, præeunte frigore, *febre* corripitur, quæ bis quotidie iiſdem ſymptomatibus ſtipata recurrit. Quinto & ſexto die tres numerantur paroxyſmi, cum difficili reſpiratione, *dolore capitis*, ſiti ingenti & lingua aridiſſima. Septimo die omnia bene ſe habent; & ægra, e morbo evaſiſſe videbatur, cum poſt prandium, dum alacriter loquitur, *inſultu apoplectico* ſubito rapitur.

Secto cadavere reperitur ſerum ſtagnans in ventriculis cerebri & ejus anfractus. Vaſa tenuis meningis gelatinoſa concretione obducebantur. Cerebrum ſolito flaccidius deprehendebatur; & totus corporis ſanguis erat fluidiſſimus. VALSALVA.

OBS. 409. Senex ex *apoplexia hemiblecticus* toto corporis latere dextro, capite ſano; tandem febre corripitur cum ſpirandi difficultate, ſine dolore. Poſt nonnullos dies, viribus deficientibus, & accedente penis gangræna, vitam cum morte commutavit.

Pulmo dexter ex nigro purpureus, durus & compactus deprehenditur. Siniſtrum pectoris latus aqua ſcatebat. Luſtrato cerebro, aqua copioſa reperitur circa ambitum cerebri, in ventriculis & theca ſpinali cum nonnullis hydatibus in plexu choroide. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 410. Octogenarius poſt varia incommoda, & præſertim *dolorem capitis* gravativum, in *delirium tremorem* comitem habens, incidit. Poſt ſexdecim dies, pulſu debiliore, ſtertor ſupervenit & brevi lethum.

Pulmones duri, obſtructi & ſicci deprehendebantur. Occurrebant valvulæ aortæ duræ, necdum tamen oſſeæ. Multum aquæ ſtagnabat in baſi cerebri & tubo vertebrali. Craſſa meninx erat corrugata. Latitabat ſub tenui meninge aqua ſubcruenta, non ſecus ac in ventriculis. Vaſa cerebri nigro & concreto ſanguine turgebant. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 411. Puella ſex annorum cum dimidio nata, jugi *cephalea*, ab incunabulis, laborabat; cujus præcipua ſedes erat in poſtica oculi ſiniſtri parte: cæterum hilaris, curſu, ſaltu & luſu indeſinenter ſe exercens octiduo ante mortem, nonnihil *ſtupida* & *oblivioſa* deprehendebatur. Quatriduo ante fatum ipſam invadit *apoplexia* & convellitur brachium ſiniſtrum dextrum.

Pia meninx tota occurrit varicoſa. Ventriculus dexter duas aquæ uncias continebat. Stagnans etiam ſerum reperitur circa baſim cerebri. Præterea pulmones partibus ambientibus arctiſſime hærebant. CLAR. DE HAEN.

OBS. 412. Quidam juvenis quinque & viginti annos natus in *febrem* epidemicam *mali moris* incidit. *Dolore capitis* atrociſſimo torquebatur; & moleſtiſſimis anxietatibus premebatur cum nauſea & vomitu. Procedente morbo delira loquitur; ac tandem convulſionibus corripitur; undecimoque morbi die fatis ceſſit.

Luſtrato cerebro, occurrunt vaſa circa ambitum perreptantia plus æquo turgentia. Colluvies ſeroſa omnes cerebri receſſus replebat; atque circa cerebrum, &

medullam ſpinalem fluitabat. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 412. (*a*) Quidam miles e variolis confluentibus convaleſcens, intemperanti victui indulgens, *febre ardente* prehenditur, qua brevi illuc mittitur unde negant redire quemquam.

Præter abſceſſum enormem ſub ſcapula ſiniſtra reperiebatur in capite copia ſeri ſanguinolenti, cum vaſis ſanguineis ultra modum turgidis. Pectus etiam colluvie ſeroſa ſcatebat cum nonnullis ſuppurationis notis in pulmonibus. Imus venter ſimilem ſtagnationem exhibet, cum ventriculo & inteſtinis phlogoſi nonnihil tactis. E DIARIO NOSOC. MILITAR.

OBS. 412. (*b*) In cadavere vetulæ *febre maligna*, *delirio* & *ſopore comatoſo* ſtipata, raptæ, reperitur magna aquæ copia intus & extra cerebrum, cujus involucra nonnullas purulentiæ notas paſſim exhibebant. Similis annotabantur labes in pulmonibus; pericardio & mediaſtino aqua ſcatentibus. In abdomine vero patent tumores cyſtici hydatidibus turgidi, in muſculos & corpus adipoſum ſiti. Lien parvus erat & putridus, cum epiploo inflammato & gangrænoſo. E DIARIO NOSOC. MILITAR.

OBS. 413. Quædam mulier ſex & quinquaginta annorum *apoplexia* percutitur, cum reſolutione brachii ſiniſtri. Adhibitis opportunis præſidiis bene ſe habere videbatur, cum poſt ſex dies, de novo ingruit affectus, qui brevi mortem poſt ſe trahit, haud animadvertentibus qui ægræ aſſidebant. Notandum quod lubricæ eſſet valetudinis, macilenta, fluxui hæmorrhoidali & hemicraniæ obnoxia.

Occurrit ſeri ingens copia inter cranium & duram meningem, circa proceſſum falciformem, & in omnibus cerebri cavitatibus. BONETUS.

OBS. 414. Vir triginta annorum melancholicus, *febre intermittente*, dein *ictero* & *hydrope* laborabat; ac poſtremo in *epilepſiam* lethalem incidit.

Invenitur hepar duplo majus, quam natura eſſe debet; lien ingens, & epiploon putridum, cum labe in meſenterio. Inteſtina vermibus ſcatebant. Aquæ copia replebatur thorax & pericardium. In capite vero major occurrit ſeri quantitas, quod omnes cerebri receſſus, intus & extus ſubierat. MANGOLT.

COLLUVIES SEROSA.

OBS. 415. Quidam juvenis acerbitate *dolorum abdominis* in motus convulſivos incidit, & poſtea obiit *paralyticus*.

Secto cranio, aqua ſtatim non pauca ſponte fluit. Dura meninx occipiti & cerebello interjecta, papyri inſtar madida erat & decolor. Totum principium ſpinalis medullæ, non ſecus ac nervi, in aqua plurima innatabat. Simili latice ſcatebat quartus ventriculus; ſubſtantiaque cerebelli eodem erat prægnans. BONETUS.

OBS. 416. Vir quinquagenarius poculis deditus, *gutta roſacea* laborans, ab aliquot menſibus levem *cardialgiam* patiebatur: dein *cephalalgia* acerbiſſima conflictabatur. Tribus hebdomadis ante mortem *cæcus* omnino evaſit. Quatriduo ante obitum *apoplexia* forti tactus, e vivis tollitur.

Luſtrato capite inveniebatur ſerum inter utramque meningem; inter piam & cerebrum; in ventriculis, aliiſque cerebri receſſibus, uſque ad fiſtulam ſpinalem. BONETUS.

OBS. 417. Mulier ex ingenti animi mœrore, *febre* ardente, cum *capitis dolore*, cui poſtea ſupervenit *phrenitis*, correpta; ſummam hilaritatem exhibebat. Frequenter manum capiti, tanquam iſtic dolorem perſentiſceret, admovebat. Tandem reſipuit; & paulo poſt obiit.

Reſerata calvaria, effluxit aqua loturæ carnium ſimilis. Uterque ventriculus aqua ſumme diſtentus inveniebatur. COITERUS.

OBS. 418. Quædam per multos annos affectibus ſpaſmodicis obnoxia, de *capitis dolore* gravativo querebatur. Poſtea in *paroxyſmum convulſivum*, valde horrendum, & lethalem incidit.

Cranio exempto, reperiuntur vaſa cerebri ſanguine plus æquo turgida. Præterea occurrit aqua limpida omnes cerebri anfractus replens, ejuſque quaſi compagem totam inundans. BONETUS.

OBS. 419. Hypochondriacus quadraginta annorum *vomitui*, *capitiſque dolori* obnoxius, ebrius vehementiori capitis dolore & vomi-

COLLUVIES SEROSA.

vomitione immani conflictatur. Accedit *delirium*, quod brevi poſt ſe trahit *convulſiones* & lethum.

Pericardium circa ſincipuc craſſiſſimum invenitur a ſuccis gelatinæ in modum concretis. Serum reperitur ſtagnans in cerebri ventriculis; non ſecus ac inter ſubſtantiam corticalem, & meninges. Præterea hepar erat durum. VALSALVA.

OBS. 420. Sexagenarius procerus & obeſus, multum comedere & potare ſolitus, *apoplexia* corripitur, qua paulo poſt convaluit. Duobus elapſis annis in eumdem morbum incidit, cum *paralyſi* dextri lateris, & circa decimam ab inſultu horam fatis ceſſit.

Cerebrum ſolito firmius & durius annotatur, cum multa aqua circa ejus ambitum ſtagnante. Ventriculi eadem colluvie ſcatebant. Vaſa demum per tenuem meningem diſcurrentia turgidiora deprehendebantur. MORGAGNUS.

OBS. 421. Vir trium & quadraginta annorum, *phthiſicus* olim judicatus, a decem annis *hemicrania* laborabat, & de dolore circa ſternum interdum querebatur. Poſt cœnam hilaris, & ſanus, in lecto ſequenti mane *mortuus inventus* eſt.

Secto cadavere, vaſa tenuis meningis ſanguine diſtenta obſervabantur. Ventriculi cerebri multa aqua ſcatebant, non ſecus ac tubus arteriarum cervicalium. Pulmones, alias ſani, ſanguine turgere videbantur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 422. Quædam virgo *cephalalgia* immani torquebatur. Inter medios cruciatus, multum humoris flavi & tenuis e naribus effluebat. Suprema hieme, denegata hac excretione, dolor capitis majorem exercebat ſævitiem. Tandem in *motus convulſivos*, cum *ſtupore*, incidit; & poſt biduum *apoplectica* vitam depoſuit.

Inſpecto cerebro, animadvertitur humor flavus totam cerebri regionem intus & extus inundans. MANGET.

OBS. 423. Fœmina quadraginta annorum *cephalalgiæ* obnoxia, & venæ ſectionibus plus æquo indulgens, incidit in *ſyncopem*, quam excipit dolor capitis longe moleſtior. Poſt triennium ſubito obiit.

Luſtrato capite, occurrit ſerum ſubluteum circa cerebri peripheriam, inter ſcilicet meninges. Præterea ventriculi ſimili latice replebantur. EX ACT. PHYS. MED. GERMAN.

OBS. 424. Puer quadriennis triſtis, *hebes & apathicus*, cui nullus mucus narium excernebatur, nullum ſputum, & lotium minori quam par eſſet copia fluebat; tandem obiit.

Deſideratur ren ſiniſter, cum ſuo uretere. Dexter haud ſolito amplior & ſanus deprehenditur. Pericardium aqua erat ultra modum diſtentum. Ventriculi cerebri ſeroſa colluvie erant repleti, qua etiam totum cerebrum erat imprægnatum. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 425. Septuagenarius, facie pallida, auditu gravi, *vertigini*, & virium languori obnoxius, *tremulus* cum enterocele; cætera ſanus & robuſtus, veneri cum juveni uxore poſtreme operam dabat. Inter ambulandum repente *apoplexia tollitur*.

Deprehenditur cerebrum flaccidum cum ſtagnante ſero copioſo inter meninges, & in ventriculis. Plexus choroides hydatidibus ſcatebat. VALSALVA.

OBS. 426. Juvenis vigeſimum primum ætatis annum agens, febre prehenditur cum delirio. Dein ingruunt *motus convulſivi*, cum tendinum in carpis ſubſultu: hos excipit affectio ſoporoſa & lethalis.

Cerebrum prædurum aqua intus & extus obruebatur. Quædam gelatina cum bullis aeris cerebri anfractus occupabat. Vaſa ſanguine nigro erant diſtenta. Theca demum ſpinalis multam aquam continebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 427. In multis a *lethargo* defunctis plicarum cerebri interſtitia aqua limpida repleta inveniuntur; quin & extima ejus ſubſtantia a nimio madore mollis & minus firma. Inſuper in nonnullis occurrunt cavitates interiores lympha turgentes; totiuſque cerebri compages hydrope ſeu potus diluvio inundata annotatur. WILLISIUS.

OBS. 428. Quidam acerbiſſimos *dolores* per quadraginta dies *in abdomine* patiebatur, cum ingruunt *motus convulſivi* ac

ac demum *paralyſis* quæ mortem poſt ſe trahit.

Inteſtina reperiuntur inculpata, & nulla dolorum abdominalium patet cauſa. Secto capite occurrit ſerum inter cranium & meninges effuſum, quod etiam majori copia colligitur circa medullam ſpinalem. Ventriculus demum quavis ſimili colluvie ſcatebat. CAR. PISO.

OBS. 429. Puella *febre* laborans, cum levi calore & ſiti, *vertigine* continua moleſtabatur; ac tandem obiit.

Calvaria amota; vaſa meninges perreptantia ſanguine turgida conſpiciebantur; quaſi cruoris maſſa in capite tota aggereretur. Cerebri ſubſtantia humore aquoſo ſupra modum irrigata videbatur, & omnes ventriculi aqua limpida replebantur. VVILLISIUS.

OBS. 430. Vir quatuor & ſexaginta annorum, poculis deditus, olim febre quartana diu laboravit. Reſtituta ſanitate, *inter prandium attonitus*, humi concidit; & cum *ſtertore* animam efflavit.

Reperitur totum cerebrum aqua obrutum; hoc latice etiam ſcatentibus ventriculis, aliiſque cerebri receſſibus. Medulla ipſa ſpinalis in ſuo involucro aqua etiam penitus ſubmerſa obſervabatur. MANGETUS.

OBS. 431. In cadavere cujuſdam viri nobilis, *catarrhis* dum viveret obnoxii, & de *capitis dolore* perpetuo queruli, reperiebatur plus quam libra ſeri tenuioris inter duram & tenuem meningem diffuſa; qua imprægnata pia meninx ſolitam craſſitiem quater ſuperabat. Eodem ſero, ſed rubicundiore ventriculi turgebant. BONETUS.

OBS. 432. Juvenis quatuor & viginti annorum macilentus, miles profugus, frigore in agris enecatur.

Cor & majora vaſa ſanguinem fluidiſſimum continebant. Inciſa dura matre, multum aquæ promanavit. Ventriculi aqua limpida turgebant. Occurrit in glandula pituitaria ſinus muco gelatinoſo ſubflavo ſcatens. BONETUS.

OBS. 433. Virgo *cephalea* immani diu affligebatur, cum fluxu ſeri flavi & tenuis per nares; quo ſufflaminato exacerbatur dolor capitis; ingruunt *convulſiones* atroces, cum *ſtupore*; quas poſt triduum excipit *apoplexia*.

Inſtituta capitis ſectione, occurrit latex ſeroſus & flavus, cerebri anfractus profundiores, ejuſque ventriculos inundans. VVILLISIUS.

COLLUVIES SEROSA.

OBS. 434. Adoleſcentulus quindecim annorum *vertigini* obnoxius, ex improviſo *in terram cadit*, ſuppreſſis omnium ſenſuum functionibus. Poſt horam ad ſe redit, linguæ motu nonnihil læſo. Paucis poſt diebus incidit in *febrem acutam*, cum *ſopore* & levibus *motibus convulſivis*. Tandem moritur.

Inter ſectionem cadaveris, & luſtrato cerebro, multum ſeri intus & extus ſtagnantis animadvertitur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 435. Quidam ſæviſſima *cephalalgia* tactus, *cæcus* evaſit. Dein ingruit *paralyſis* pedis dextri; quam ſequuta eſt paulo poſt ſiniſtri reſolutio; & dein lethalis *apoplexia*.

Reperitur ſerum inter utramque meningem; inter piam & cerebrum; in ventriculis & fiſtula ſpinali. RIOLANUS.

OBS. 436. Mulier acerbiſſimos *capitis & aurium dolores* patiebatur; ad quos demulcendos ſæpiſſime admittebat per infundibulum, fumum cephalicum. Deteriores tamen fiunt dolores, & mors accedit.

Secto capite, reperitur magna aquæ copia intus & extra cerebrum; cujus cauſam ad vapores frequentius ſuſceptos retulerunt medici. BALLONIUS.

OBS. 437. In corpore cujuſdam qui artuum debilitate laborans, tandem *ſtupore & ſpaſmis* correptus fuit, in apricum venit univerſa cerebri compages juſto humidior; vel latice aquoſo madida, & prorſus immerſa. Ventriculi & theca vertebrarum, aquam etiam continebant. BONETUS.

OBS. 438. Puella annua *febre*, *dolore capitis*, & alvi fluxu ſtipata, prehenditur. Accedit *ſopor comatoſus*, qui brevi mortem poſt ſe trahit.

Secto cadavere, occurrit ventriculus in ſiniſtra parte nigricans, & viridi humore reple-

repletus. Examini ſubjectum caput exhibet cerebrum ingenti aquæ copia circumfuſum, cum variis puſtulis aqua plenis. BONETUS.

COLLUVIES SEROSA.

OBS. 439. In capite cujuſdam mulieris, quæ *febre ardente* & immani *cephalalgia* correpta, manum capitis perpetuo admovebat, deprehenditur inter meninges aquæ copia, loturæ carnium ſimilis: uterque ventriculus ſtagnante ſero etiam turgebat. Vaſa demum, tum piæ meningis, tum plexus choroidei ſanguine aquoſo & pituitoſo infarcta videbantur. BONETUS.

OBS. 440. Puer quadrimeſtris poſt tormina *aphonus convellebatur*, *cum ſpuma in ore*. Reſpiratio erat difficilis. Poſt multa adhibita remedia, paroxyſmis ſæpe recurrentibus, tandem duodecimo ætatis menſe interiit.

Aperto cadavere, ingens ſeroſæ colluviei copia deprehendebatur in ſingulis cerebri ventriculis, & extra cerebrum. BALLONIUS.

OBS. 441. Quidam immani *capitis dolore* torquebatur; comite nonnumquam *vertigine*, donec tandem ad ſuperos migravit.

Secta dura meninge, plurimum ſeri ſubpallidi effluxit, quod inter cerebri involucra ſtagnabat. Ventriculi ſimili colluvie ſeroſa ultra modum diſtendebantur. VVEPFERUS.

OBS. 442. Vir quadragenarius gracilis *febre acuta* laborat. Circa nonum diem amittit loquendi facultatem. Interrogatus *nullum dat intelligendi ſignum*. Tandem die decimo tertio e vivis deceſſit.

Cerebrum invenitur ſanum; niſi quod inter ipſum & meninges ſtagnabat ſerum, quo etiam replebantur ventriculi. VALSALVA.

OBS. 443. Sexagenarius diu pertulerat *ulcera in tibiis*, quibus exſiccatis *aphonia* prehenditur, cum ſenſuum *torpore* & *hebetudine*. Poſtridie obiit.

Comperiebatur inter cerebri & medullæ ſpinalis involucra ſerum majori copia, quod etiam ſtagnabat in ventriculis. VALSALVA.

OBS. 444. Vir quadraginta annorum atrocibus *doloribus capitis* torquebatur; quorum ſævitie in *affectum* tandem *comatoſum*, & lethalem incidit.

Occurrit cranium craſſiſſimum, prorſus deficientibus ſuturis. Præterea copioſum reperitur ſerum in omnibus cerebri receſſibus. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 445. Quidam ſenex a *fracto crure* decumbens per tres menſes; levi ſed pertinaci *febre* detentus, præter expectationem *ſine pulſu* deprehenditur; alias haud pejus ſe habere videbatur. Paulo poſt tamen obiit.

Non pauca ſtagnabat aqua in ventriculis, & circa ambitum cerebri, quod duriſſimum erat. MORGAGNUS.

OBS. 446. In cadavere cujuſdam *apoplectici* reperitur ſeri copia non ſolum inter meninges, ſed etiam ſub pia meninge, quæ in veſicas limpidas, hydatides fingentes, elevata conſpiciebatur; præter aquoſam collectionem in ventriculis cerebri, & vertebrarum theca. SCHVVENCKUS.

OBS. 447. Quidam vegetus *vertigine* corripitur; quæ ita invaluit ut in lecto minime ſe erigere poſſet, quin corrueret. Poſt plures annos *inſultu apoplectico* rapitur.

Reſerato capite, in conſpectum venit copioſiſſima aqua in ventriculis cerebri, & in aliis receſſibus. PLATERUS.

OBS. 448. In cadavere juvenis mulieris *delirio*, & *epilepſia* extinctæ, reperiebatur aqua tenuis circa cerebri ambitum. Præterea omnes ventriculi ſero copioſiſſimo ſcatebant. BONETUS.

OBS. 449. Quidam ex aquis mineralibus redux acidulis, accedente *inſultu apoplectico*, e vivis diſceſſit.

Aperta calvaria, deprehendebatur plurima aqua, tum inter cerebri involucra, tum in ipſiſmet ventriculis. ROLFINKIUS.

OBS. 450. Plures ſenes intempeſtive aquis mineralibus frigidis utentes, *apoplectici* moriebantur; in quorum ſectione deprehendebatur ſeroſa colluvies totum cerebrum diluens. HENR. AB HEER.

OBS. 451. Virgo poſt cephaleam immanem *apoplexia* percutitur, & intra triduum ultimum fatum ſubiit.
Capite aperto, latex ſeroſus & flavus cerebri anfractus profundiores, & ventriculos inundabat. VVILLISIUS.

OBS. 452. In quodam forti *apoplexia* perempto, invenitur tota cerebri ſubſtantia humore aqueo perfuſa & oppleta; qui etiam in ventriculis cerebri redundabat. DONATUS.

OBS. 453. Infans trium annorum, vegetus, ſine cauſa manifeſta *torpens* & *ſoporoſus* evadit. Interea pulſu & reſpiratione paulatim deficientibus, e vivis exceſſit.
Aperto capite, totum deprehendebatur cerebrum ſeroſa colluvie obrutum. MANGETUS.

OBS. 454. In cadavere puellæ annuæ & *epileptica*, deprehendebatur cerebrum quinque libras pendens & copioſa aqua circumfuſum: aderant ipſi puſtulæ aqua plenæ. Ventriculus ſiniſter nigricans laticem ſubviridem recondebat. BONETUS.

OBS. 455. Quidam ſæviſſima *cephalalgia* laborabat, & præ dolore *amens* quandoque erat. Tandem obiit.
Diſſecto cadavere, occurrit ſerum inter cerebri involucra; quod etiam reperiebatur copioſum in omnibus cerebri anfractibus. VVEPFERUS.

OBS. 456. In cadaverculo infantis ſex annorum, & *affectu ſoporoſo* extincti reperitur aqua in capite, quæ collecta erat inter cerebrum & piam meningem; variosque cerebri anfractus replebat. FALLOPIUS.

OBS. 457. Secto cadavere viri conſiſtentis ætatis, qui de *dolore capitis* gravativo jamdudum conquerebatur, in apricum veniebat ſtupenda humorum collectio inter meninges & in cerebri ventriculis. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 458. Quidam poſt diuturnam *vertiginem caro* corripitur & poſt aliquot dies migravit ad ſuperos.
Luſtrato capite omnes cerebri anfractus, & ipſimet ventriculi colluvie ſeroſa madebant. PLATERUS.

COLLUVIES SEROSA.

OBS. 459. In cadavere cujuſdam muliérculæ, quæ poſt *colicam graviſſimam*, *paralytica* evaſerat, & tandem *inſultu epileptico* rapta fuerat, inveniebatur aqua limpida in omnibus cerebri cavitatibus & in ſacra fiſtula. BONETUS.

OBS. 460. Puer ſecundum ætatis annum agens, *inter dentitionem*; febre corripitur, quam brevi ſequitur graviſſima epilepſia, qua intra ſeptem horas rapitur.
Recluſum cranium aquam ſubcruentam paſſim exhibebat, & præſertim circa baſim cranii. MORGAGNUS.

OBS. 461. Anicula ex *apoplexia*, jam tres annos *hemiplectica*, accedente ob perpetuum decubitum gangræna, extinguitur.
Cerebrum intus & extus, cum vertebrarum theca, colluvie aquea ſcatebat. MORGAGNUS.

OBS. 462. Quidam *febre tertiana* prehenſus, quinto die in *apoplexiam* incidit, qua brevi e vivis rapitur.
Inſtituta cadaveris ſectione, deprehendebatur plurima aqua in toto capite ſtagnans. BONETUS.

OBS. 463. In cadavere puelli quinquennis *affectu ſoporoſo*, *inter variolas*, extincti, occurrit ſeri copia tam in ventriculis cerebri, quam circa baſim cranii. E DIAR. MEDICO.

OBS. 464. Luſtrato capite variorum, qui dum viverent *vertigini* erant obnoxii, ſæpenumero deprehendebatur aquæ immenſa copia in ventriculis cerebri. PLATERUS.

OBS. 465. Examini tradita plurium *paralyticorum* corpora, aquam exhibebant varii coloris in cerebri ventriculis, & in ſpina dorſi. COITERUS.

Traditis ſubnectere licet obſervationes Lib. I. 160, 186, 577, 957. Lib. II. 68, 138, 421, 454, Lib. III. 2, 9, 11, 44, 56, 65, 84 (*b*), 85, 138, 164, 165,

COLLUVIES SEROSA. Lib. IV. 6, 8, 179. Præterea, vide *Cerebri ulcus*; *putredo*. *Hydatides plexus choroidei*. *Materia gelatinoſa*. *Medulla ſpinalis hydrops*

SECTIO SEXTA.

DE MATERIA VISCIDA ET GELATINOSA.

ARTICULUS I.

Humor mucoſus in ambitu cerebri.

MATERIA VISCIDA. OBSERVATIO 466. Senex ſeptuagenarius jamdiu levem cervicis dolorem patiebatur, cum incidit in quamdam viarium debilitatem, & quaſi *ſemi-ſopitus* jacebat. Poſtea de quodam pectoris dolore circa ſternum queritur; qui brevi fugatur. Succeſſit ſtertor, qui etiam paulo poſt deſiit. Interea dolore pungente ad tempus dextrum, cum *gravitate capitis* moleſtiſſima, conflictatur. Poſtremo *hebes* factus, poſt cœnulam obiit.

Inſpecto cadavere reperitur aqua turbida, non pauca in thoracis cavo dextro, & nonnihil ſanioſa; pulmo erat prædurus, paſſim corruptus & plevræ accretus. Cor & majora vaſa concretionibus polypoſis turgebant. Occurrit aquæ copia inter utramque meningem. Annotatur præſertim materies quædam craſſa & gelatinoſa circa ambitum cerebri. Ventriculi demum aqua ſubcruenta ſcatebant, cum hydatidibus plexui choroideo adnatis. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 467. Virgo trium & viginti annorum *ſub gravi pondere*, ſenſit aliquid intra cranium ruptum fuiſſe: paulo poſt *hemiphlegia* ſiniſtri lateris corripitur. Accedit *delirium*; deinde *dolor ſincipitis* ſæviſſimus; & oculus dexter intenſe dolet. Poſt nonnullam intermiſſionem, omnia recrudeſcunt cum *vertigine*. Dein aqua colligitur in abdomen: artus fiunt œdematoſi; pulſu debili. Poſtremo accedit delirium: notæ gangrænoſæ ſe ſiſtunt in tibia dextra, & ſequitur interitus.

Reperitur ſerum inter cranium & duram meningem. Cortex cerebri gelatina flava tegebatur. Magnam aquæ turbidæ copiam continebat ventriculus dexter; quæ etiam non deficiebat in cæteris receſſibus, & in ipſamet medulla ſpinali. VVEPFERUS.

OBS. 468. Sexagenarius de ſtomachi debilitate & *defectu virium* querebatur; adeo ut ſæpius quieſcere cogeretur in ambulatione. Paulo poſt *repente recidit*, cum incondito ululatu; ſpuma in ore; & peculiari corporis contorſione; quibus addere licet ſpontaneam fæcum dejectionem; ſub quo rerum ſtatu intra horulam obiit.

Secta dura meninge, exiit mediocris ſeri copia. Conſpicitur concretio gelatinoſa circa vaſa cerebri. Cerebrum erat flaccidum; & ventriculi laterales ſero turgebant. Pulmones annotabantur nigricantes & quaſi atramento tincti. Cor erat flaccidum, & aorta varias ſquammas offeas exiguas exhibebat. VALSALVA.

OBS. 469. Adoleſcens duorum & viginti annorum, cum viveret in paluſtribus locis, in *hydropem* univerſalem incidit. Cum ope diureticorum nonnihil detumuiſſet, *epilepſia* prehenditur, ſingulis hebdomadis redeunte; cui ſe adjunxit *deſipientia*, & proclivitas ad ſomnum. Sub qua rerum conditione hunc invadit febris continua acuta, qua paulo poſt e vivis tollitur.

Cranii

Cranii ſuturæ ad ſemi-digiti latitudinem erant pellucidæ. Sub tenui meninge occurrebat materia quædam gelatinoſa, cum bullulis aereis. Cerebellum æquo durius inventum eſt. Pauca vero deprehendebatur colluvies ſeroſa intra ventriculos. MORGAGNUS.

OBS. 470. Vir quadraginta annorum inter aſſiduam cannabis tractationem, incidit in *ſpirandi difficultatem*; adeo ut erecta ſpiraret cervice cum ſibilo & magna elevatione abdominis. Interea tuſſi & faucium ardore moleſtatur; dolet externis ventris & pectoris partibus: vigiliis torquetur; ac demum *ex improviſo extinguitur*.

Secto cadavere, pulmones aere valde turgentes, nigris hic illic maculis diſtendebantur. Cranio aperto conſpecta eſt gelatinoſa concretio, circa vaſa ſanguifera per tenuem meningem repentia. Cerebri compages laxior annotabatur, cum ſtagnante aqua in ventriculis cerebri & tubo ſpinali. VALSALVA.

OBS. 470. (*a*) Vir quinquagenarius poſt *inſultum epilepticum*, *fatuus* permanet. Dein pluribus elapſis menſibus, in *hydropem* incidit, inter quam inexpectata morte rapitur.

Dura meninx hinc inde exhibet hydatides, ciceris magnitudine. Glandulæ Pachionianæ ſolito majores & numeroſiores totum ſinum longitudinalem comitabantur. Præterea ſtagnabat lympha mucoſa, gelatinoſa & copioſiſſima inter cerebri corticem & meninges. Ventriculi ſero ſcatebant. BAADERUS.

OBS. 471. Vir quatuor & quadraginta annorum, poculis deditus & tremulus, *pugno in oculum* ſiniſtrum *percuſſus*, de oculi punctione & ardore querebatur. Accedunt *cephalalgia*, & *delirium*, quod poſt ſe trahit *motus convulſivos*, cum ſanguinis ſputo. Quinto demum die migravit ad ſuperos.

Olla cranii remota, nullibi occurrit effuſus ſanguis. Vaſa tamen ſanguine turgebant. Stagnabat ſerum gelatinoſum ſub tenui meninge. Cerebri & cerebelli ſubſtantia firmior & quaſi elixa deprehendebatur. WEPFERUS.

OBS. 472. Juvenis ſeptem & viginti annorum, *catarrho*, & *motibus convulſivis* obnoxius, alvi profluvio cum ſiti moleſta, & appetitu proſtrato, afficitur. Interea *manus tremunt*; pulſus fit inordinatus; tumet venter; accedit tandem lethum. MATERIA VISCIDA.

Cranio ablato, denſiora & craſſiora occurrunt cerebri involucra. Cerebrum quadam gelatina obducebatur: ejus ſubſtantia erat flaccida, ac ſero imbuta. Omnes ventriculi ichore aquoſo turgebant. Abdomen continebat aliquot menſuras ſeri putridi & fœtentis. Epiploon annotatur putre, pancreas durum & hepar partim corruptum. HARDERUS.

OBS. 473. Vir quinquagenarius ebrioſus *epilepſia* corripitur. Sæpius recurrunt paroxyſmi, inter quos mentis compos de *capitis gravitate*, & ſenſuum *hebetudine* querebatur. Tandem ferociori inſultu rapitur.

Univerſus cerebri ambitus gelatina obducebatur fulva, ad ejus intimos uſque gyros: quæ etiam anfractus cerebri complebat. Tota eminebat ſuper cerebri corticem griſeum digiti auricularis altitudine, ad baſim uſque prædicti viſceris: & ſic piam meningem a ſua ſede expulerat. Præterea ventriculi lympha ſubflava ſcatebant. DRELINCURTIUS.

OBS. 474. *Phthiſicus* ſeptuagenarius jamdudum aſſiduo *capitis dolore* conflictabatur. De ingenti etiam dolore in utriuſque femoris interna parte conquerebatur. Tandem obiit.

Remoto cranio, plurimum ſeri ſubpallidi in omnibus ventriculis, & inter meninges reperitur; ita tamen ut cerebrum nondum comprimeret: quin etiam univerſa anfractuum ſuperficies, humore ſuperfluo, lentoque, ſeu gelatina oblita erat. WEPFERUS.

OBS. 475. Adoleſcens viginti annorum in *febrem acutam*, ſiti immani ſtipatam incidit. Octavo die ingens accedit *delirium* quod per integram hebdomadam perduravit; quo ceſſante æger quaſi *amens* jacebat, donec acceſſerit interitus.

Cranio ſublato, gelatinoſa quædam concretio animadverſa eſt; quæ vaſa per tenuem meningem reptantia a lateribus comitabatur. Plurima præterea ſtagnabat aqua ſub tenui meninge. VALSALVA.

MATERIA VISCIDA.

OBS. 476. Adoleſcens ſeptemdecim annorum *cacheƐticus* cum ingenio tardo, & quaſi *hebes*, licet ad iram proclivis, *epilepſia* conflictabatur, cujus inſultus pluries ſingulis hebdomadis recurrebant. Accedente tamen paroxyſmo truculentiori, quo per quinque dies integros ſenſus & motus plane abolebantur, obiit.

Luſtrato cerebro in propatulum venit materia copioſiſſima, craſſa, albicans, & gelatinoſa, duræ meningi pertinaciter hærens. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 477. In cadavere cujuſdam bajuli, ſexaginta annorum, qui *affeƐtu ſoporoſo* tactus, inter *motus convulſivos* extinctus erat; reperiebatur lien magnus, cujus tunica denſior & craſſior nonnullas ſquammas oſſeas exhibebat. Secto cranio occurrit aqua, tum ſub tenui meninge, tum in ventriculis cerebri. Vaſa inſuper tenuem meningem irrigantia, cruore turgida, muco quodam gelatinoſo obducebantur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 478. Adoleſcens octodecim annorum nulla prævia cauſa manifeſta *febre* prehenditur, *capitis dolore*, & anxietatibus ſtipata. Poſtridie accedunt *motus convulſivi*, qui brevi miſellum ægrum illuc mittunt unde negant redire quemquam.

Inſpecto capite, mucoſum reperitur ſerum inter utramque meningem. Præterea ventriculus inflammationis notas exhibuit. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 478. (*a*) In cadavere pueri qui pridie ante mortem *convulſiones univerſales* habuerat & perfectam *paralyſim* totius dextri lateris, occurrit pia meninx univerſa varicoſa, & cui hærebat *lympha* pellucida & gelatinoſa. Ventriculus dexter aquæ copiam continebat. CLAR. DE HAEN.

OBS. 479. Bajulus *febre ardente* laborans, ingenti *capitis dolore*, cui ſucceſſit *delirium*, ſtipata, tandem ſupremum diem obiit.

Inſtituta cadaveris ſectione, occurrit in cerebro corpus quoddam gelatinoſum, circa vaſa ſanguinea, cum ſero ſtagnante inter meninges. VALSALVA.

Pro affinibus haberi debent obſervationes Lib. II. 54, 96, 326, 922. Lib. III. 269.

ARTICULUS II.

Materia mucoſa in cerebro.

OBS. 480. Mulier melancholica continuos *capitis dolores* patiebatur; quorum ſævitie ingruit *delirium* furioſum, inter quod pluries mortem violentam ſibi inferre nititur. Tandem haud reluctantibus fatis vivere deſiit.

Luſtrato cadavere reperiuntur cerebri vaſa ſanguine plus æquo turgentia. Utriuſque ventriculi ſuperficies lutea penitus & quaſi rubigine obducta videtur: oblita enim eſt muco croceo, ſimili illi qui circa aquas nonnullas martiales conſpicitur, & lapidum ſuperficiem incruſtare ſolet. Eodem quoque infectus erat plexus choroides; ac pertingebat iſta rubigo uſque ad tertium ventriculum. VVEPFERUS.

OBS. 480. (*a*) Juvenis quintum luſtrum agens, ab ineunte ætate fatuus & epilepticus, tuſſi corripitur cum ſputo purulento. Tandem poſt ferociorem morbi comitialis inſultum, e medio tollitur.

Occurrunt in ſupremo cerebri vertice duo tubercula quæ totidem foveas cranio impreſſas replebant. Præterea in hemiſphærio ſiniſtro, & ipſa ſubſtantia corticali & medullari reperitur copioſa lympha, craſſa & mucoſa. Pauca erat aqua in ventriculis. Pulmones purulenti coſtis hærebant; pericardium aquæ copiam recondebat. CLAR. BAADERUS.

OBS. 481. Quidam poſt aſſumptos a quodam circulatore flores antimonii, incidit in *apoplexiam*, immani *ptyaliſmo* ſtipatam; adeo ut os copioſo & ſpumoſo phlegmate

deſœ-

defœdaretur. Pergente morbo & ingraveſcente, e vivis tollitur.

Exenterato cadavere, cerebrum occurrit ſimili materia viſcida infarctum; quæ etiam pectus & ſtomachum inquinabat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 481. (*a*) In cadavere mulieris, duobus abhinc annis, *hæmophthiſi* aliiſque innumeris morbis conflictatæ, & tandem *epilepſia* ſublatæ, cortex cerebri ſanguine infarctus reperitur, cum vaſis varicoſis, & materia quadam viſcida vel gypſea obductis; ventriculis aqua ſcatentibus. Pulmones præter ſpem erant ſani. Inteſtina nonnihil inflammata varias ſuppurationis notas præ ſe ferebant. CLAR. FOURNIER.

OBS. 482. Quidam *turbidus* & *hebes aphonia* fortiſſima percutitur, & *derepente occubuit*.

Aperto capite reperitur cerebrum flaccidum cum membranis tam frequenti pituita viſcida perfuſis, ut opus fuerit illam ſpongia detergere. Eadem ſane quidem materia inquinabatur tota cerebri moles. TULPIUS.

OBS. 483. Vir provectæ ætatis, *hypochondriacus* & vertigini obnoxius in *febrem ſomnolentia* ſtipatam incidit. Interdum *delirat*, & intra biduum extinguitur.

Occurrit aqua gelatinoſa, tum circa ambitum cerebri, tum in ventriculis & circa medullam oblongatam. MORGAGNUS.

OBS. 484. Quidam, *obtuſo ingenio*, in *apoplexiam* incidit, & ex improviſo ſupremum diem clauſit.

In apricum venit cerebrum molle. Meninges mucoſo & valde tenaci humore erant perfuſæ. Ventriculi cerebri eodem latice madebant; qui etiam circa medullam ſpinalem deprehendebatur. MANGETUS.

OBS. 485. Quidam *ebrius* poſt ſomnum *ſpaſmo* corripitur; adeo ut rigidus permaneret. Rebus ſic perſiſtentibus poſt triduum interiit.

Deprehendebantur cerebri ventriculi materia quadam viſcida & glutinoſa, ac fœtida, colore, vitello ovorum perquam ſimili, repleti. Venæ inſuper turgidæ apparebant bilioſo ſanguine. BONETUS. MATERIA VISCIDA.

OBS. 486. Anus nonnihil ſomnolenta, tandem *inſultu apoplectico* fortiſſimo e vivis derepente tollitur.

Aperta calvaria deprehendebantur meninges ſolito craſſiores. Secto cerebro humor ſpiſſior & albus, pultis inſtar totum cerebrum inquinans, & copioſus occurrit. PLATERUS.

OBS. 487. Quidam miles, cum per integram noctem *ebrius* in ſolo decubuiſſet, evigilans *opiſthotono* correptus eſt; nihilque deglutire potuit; ſub quo rerum ſtatu brevi extinguitur.

Aperto cadavere, cerebri ventriculi reperiebantur materia viſcida, vitello ovorum ſimili, repleti. BONETUS.

OBS. 488. In quodam *apoplexia* citra cauſam manifeſtam extincto, occurrit craſſus & viſcoſus humor ad contextum retiformem; cerebri ventriculis, nec oppletis, nec obſtructis. FERNELIUS.

OBS. 489. Introſpecto cadavere cujuſdam *apoplectico inſultu* rapti, deprehendebatur cerebrum pituita craſſa refertum, cum ventriculis eodem humore turgentibus. HORSTIUS.

OBS. 490. Sectioni traditis cadaveribus variorum *apoplexia* ſublatorum, inveniebatur in cerebro magna aquæ copia, perſpicua quidem, ſed glutinoſa. COLUMBUS.

OBS. 491. Luſtrato capite cujuſdam *epileptici* annotabatur intra cerebri ventriculos magna materiæ viſcidæ & adipis quaſi æmulæ, copia. BORELLUS.

OBS. 492. Inſtituta ſectione cadaveris cujuſdam, *convulſionibus* dum viveret obnoxii, animadvertebatur pituita concreta in cerebro. GUARINONIUS.

Ad hunc ordinem revocanda eſt obſervatio Lib. I, 64.

SECTIO SEPTIMA.

DE COLLUVIE SORDIDA.

ARTICULUS I.

Colluvies purulenta.

COLLUVIES SORDIDA.

OBSERVATIO 493. Vir qninquagenarius robuſtus & athleticus, *radiorum ſolarium æſtu* diu ſubmiſſus *dolorem capitis* gravativum, cum *mentis ſtupore* contrahit. Paulo poſt ſequitur febris vehemens. Tertio die ab *inſolatione* materia purulenta è naribus fluit; nullo levamine. Quarto urgente febre & ſæviente *cephalalgia* in *affectum comatoſum* incidit, cum nonnullis convulſionibus præſertim in oculis. Quinto die obiit.

Secta dura meninge, in conſpectum venit utrumque cerebri hemiſphærium, purulentia conſpurcatum; ſed major erat puris proventus, circa baſim cerebri; quod alias, diverſa inſtituta ſectione, ſanum videbatur, intactis oſſibus cranii. Sinus præterea frontales & maxillares pure etiam ſcatebant; ſed nullum patet commercium inter læſas partes. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 494. Vir trium & triginta annorum, ſanguineo temperamento, gracilis & herniosus, *mero & tabaco* ſummopere deditus, de *dolore capitis*, & colli in dextro latere, queritur. Accedit *febris* vehemens, quæ poſtea remittitur viribus deficientibus. Sequitur delirium fugax. *Aphonia* acceſſit & æger haud amplius movere ſe potuit; donec lente moriens, decimo quarto morbi die vivere deſiit.

Reperitur purulentia in baſi cerebri & cerebelli. Ventriculi eadem materia redundabant, cum ulcere ſanioſo in dextra parte corporis ſtriati. Inſuper reperta ſunt inteſtina teſticulo & circumjectis membranis tam valide annexa, ut neutiquam potuiſſent in ſuam ſedem reponi. VALSALVA.

OBS. 495. Mulier quadraginta annorum, cui *crus amputatum* fuit ob ulcus cancroſum; poſt paucos dies *febre acuta* corripitur. Tum erumpit parotis in dextro latere tantæ molis, ut per viginti quatuor horas plane impediebatur omnis deglutitio. Largis obortis ſudoribus remittitur febris & diſcutitur parotis. Circa decimum tertium diem ab errore in diæta recurrit febris, per ſudores iterum ſoluta. Tertio ab amputatione menſe alias bene ſe habens ægra *affectu* quodam *comatoſo* corripitur; qui brevi poſt ſe trahit *delirium* & *convulſiones* cum ſenſus & motus imminutione totius lateris dextri; quibus tandem exacerbatis de medio tollitur.

Inſtituta cadaveris ſectione, deprehendebatur alter cerebri ventriculus maxima puris copia diſtentus. VALSALVA.

OBS. 496. Puero duodecim annorum, *poſt variolas*, erumpit *tumor pone aurem* dextram quæ antea pure ſcatebat cum ſurditate. Secto tumore effluxit pus. Aliquot horis ab inciſione ingruunt *convulſiones* ſæpius recurrentes. Accedente demum *delirio*, omnibuſque in deteriora ruentibus, obiit.

Aperto capite reperitur purulentia in cavo ſellæ equinæ; quæ ad principium medullæ ſpinalis protendebatur. Aderat caries in oſſe petroſo; quod pertuſum, puri exitum largiebatur. MORGANUS.

OBS. 497. Quidam juvenis a *vulnere capitis* pericranium attingente, *corruit*. Poſtridie bene ſe habere videbatur. Quarto die *febre* corripitur, cum doloribus in univerſo corpore, præſertim in cruribus. Sequi-

quitur *paralyſis* dextri lateris; dein *delirium*. Tandem undecimo die obiit.

Diſſectum cadaver exhibet duram meningem, circa partem læſam, lividam & purulentam; cum pure intus & extus ſtagnante. Præterea cranium fiſſum annotabatur. EX ACT. CHIR. PARISIENS.

OBS. 498. Quidam ab inflicto *vulnere ad frontem*, etſi conſolidato, de ingenti *capitis dolore* conquerebatur; qui viciſſim modo in fronte, paulo ſupra ſupercilium; modo in ſupercilio ſæviebat. Tribus elapſis hebdomadis, præter expectationem, interiit.

Inter cranii ſectionem, illicò profluxit per aurem dextram magna ſanguinis vis. Quo exhauſto in conſpectum venit abſceſſus in contigua cerebri parte latens. BONETUS.

OBS. 499. Adoleſcens octodecim annorum *dolore capitis* laborans *febre* prehenditur, cum *ſopore* & *delirio*; quibus fatis ceſſit.

Aperto capite reperiebantur vaſa ſanguinea triplo ampliora quam ſolent. Ventriculi humore purulento, viſcido, inſtar pultis fluidioris, turbido & copioſo imbuti ſe præbent; qui humor ad ventriculum tertium etiam defluxerat. Superficies ventriculorum erat aſpera & inæqualis. Plexus choroideus iiſdem ſordibus inquinabatur. BONETUS.

OBS. 500. Mulier, fluentibus menſibus, *pleuritide* & *peripneumonia* corripitur. Die ſeptimo ingraveſcunt ſymptomata, & poſtridie ſucceſſit *dolor capitis*, cum prurigine. Paucis poſt horis interiit; haud ſine ſuſpicione metaſtaſis ad cerebrum.

Dempto cranio, omnia pure conſpurcata reperiebantur, inter piam meningem & ipſummet cerebrum. DURETUS.

OBS. 501. Puella undecim annorum de acerbiſſima *cephalalgia* querebatur. Accedit *febris*; *deſipit* & furioſa loquitur. Dein profundo *ſopore* obruitur. Ingruunt *motus convulſivi*. Puris albiſſimi quantitas ad aliquot libras e naribus proſiliebat; in qua materia purulenta annotabantur plura fruſtula faciem cerebri colliquati præ ſe ferentia. Adeo ut de ſuppurato cerebro nullum fuerit dubium. MANGETUS.

OBS. 502. Puer duodecim annorum *ab alto devolutus*, ſenſibus plane orbatur, & *jacet immobilis*, erumpente ſanguine ex aure dextra. Interea nulla conſpicitur manifeſta contuſio in capite; tertio tamen die ab hoc infortunio obiit.

COLLUVIES SORDIDA.

Denudato cranio in propatulum venit in latere dextro pixidis fiſſura ad aurem uſque producta. Cerebri & cerebelli ambitus materia purulenta defœdatus cernitur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 503. Quidam juvenis caput præter morem in ſiniſtrum latus inclinavit. Poſt menſem reſoluto quaſi collo, *membriſque omnibus tremulis*, & velut ſaltu ſubſilientibus; ac demum ſupervenientibus *convulſionibus* expiravit.

Inter corporis ſectionem, occurrit ſiniſtrum cerebri hemiſphærium, lividum & nigricans: præterea ventriculus ejuſdem lateris mucoſam & copioſam ſaniem recondebat. BONETUS.

OBS. 504. Quidam in *occipite vulneratur*, ſuccedente rima patente & cæca. Male a chirurgis tractatur; ideo in *febrem acutam* nono die incidit, & poſt triduum extinguitur.

Inter ſecandum cranium, copioſiſſimum pus e naribus rejicitur; materia per vulnus expurganda, ad os ethmoides delata: unde etiam de gravedine ſupra nares conqueſtus fuerat. BONETUS.

OBS. 505. Nauta *capiti percuſſus*, ſenſibus orbatus *corruit*. Erumpit ſanguis e naribus & accedit vomitus bilioſus. Explorato vulnere, occurrit fiſſura cranii. Poſt quindecim dies, accedente *ſopore*, perterebratur cranium. Poſtridie ingruunt convulſiones lethales.

Sublato cranio, dura meninx illæſa deprehenditur. Pus ad uncias quinque ſtagnabat inter meninges. Cerebrum erat inibi compreſſum, alias ſanum. DUPUY.

OBS. 506. Quidam juvenis, accepto uti videbatur contemptibili *vulnere in occipite*, circa ſextum diem inflammationem in hac parte patitur. Subſequentibus *convulſionibus* & *paralyſi* dextri lateris, undecimo die moritur.

Luſtrato cadavere, deprehendebatur prope partem vulneratam, inter pixidem oſſeam

ſeam & cerebri involucra, materia purulenta, non copioſa, ſed livida & fœtens. BONETUS.

COLLUVIES SORDIDA.

OBS. 506. (*a*) In cadavere militis *pleuroperipneumonia*, *febre mali moris* ſtipata, ſublati, ſtupenda puris copia occurrit inter cerebrum & ejus involucra; ſubſtantia corticali multis in locis exeſa. Pulmo dexter partim plevræ hærens phlogoſi, gangræna & putriditate defædabatur. Stomachus & inteſtina gracilia nonnullas phlogoſeos notas exhibebant. CLAR. FOURNIER.

OBS. 507. Miles *acinace ſauciatus* fuit in poſteriore capitis parte, cum læſione oſſis occipitis. Die vigeſimo ſecundo *motibus convulſivis* corripitur, qui brevi mortem accerſunt.

Interna oſſis ſuperficies in tantum fuit corrupta, ut totum occipitis os tenuius eſſet quam petroſum. Mox abſceſſus, in ſiniſtro cerebro latitans, & proprio folliculo circumſcriptus deprehenditur. BONETUS.

OBS. 508. Puer undecim annorum ſtupore afficiebatur, dum in lethargum graviſſimum incidit. Totum latus dextrum paralyſi erat reſolutum; & caudicis inſtar jacens nullo modo excitari poterat. Quarto die vivere deſiit.

Inſtituta cadaveris ſectione in propatulum veniebant cerebrum & cerebellum, in parte dextra & poſtica omnino ſanioſa, putrida & corrupta. FORESTUS.

OBS. 509. Quidam juvenis poſt diuturnam & moleſtiſſimam *hemicraniam* ſub connexione maſculi temporalis, *apoplexia* fortiſſima percutitur, qua brevi e medio tollitur.

Cadavere aperto occurrit phlegmone juxta locum dolentem, ſita in meningibus: e qua demum ſuppurata & diſrupta, ſanies in cerebrum decidens, ejus ſubſtantiam livore & putredine affecerat. VVILLISIUS.

OBS. 510. Puero decenni exortus eſt *tumor circa apophyſem maſtoidem*. Aderat febris lenta, cum reſpiratione impedita, tuſſi, voce rauca & totius corporis imbecillitate. E ſecto tumore copia materiæ fœtidæ prodiit. Vix finita evacuatione, æger *auditu & voce fere caruit*. Ac tandem ultimum diem clauſit.

Ventriculi cerebri pure ſcatebant. Apophyſis maſtoides, cum vicinoribus, carie exeſa deprehendebatur. BAUGRAND.

OBS. 511. Vir octo & viginti annorum qui jam elapſis octodecim menſibus, *contuſionem capitis* haud gravem uti videbatur, paſſus fuerat, *dolore vehementi in aure ſiniſtra* corripitur, cum fluxu materiæ purulentæ, qui dolor ad menſes ſexdecim protelatur; vel ad obitum.

In propatulum veniebat materia fœtida & purulenta nidulans in baſi cranii, circa latus ſiniſtrum, cum partibus vicinioribus cranii carioſis. EX ACTIS PARISENSIBUS.

OBS. 512. In ſecto cadavere cujuſdam viri ſexagenarii, poſt chronicam *paralyſim*, tandem *inſultu apoplectico* ſublati, in conſpectum veniebant corpora ſtriata purulenta, & putredine defœdata. Præterea ventriculi cerebri aqua ſubcruenta ſcatebant, quæ etiam, haud abſimilis indolis redundabat circa baſim cranii, & in theca vertebrarum. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 513. Adoleſcens novemdecim annorum poſt *capitis dolorem* diuturnum & acerbiſſimum, tandem in *affectum* gravem *comatoſum* incidit, quo e vivis rapitur.

Sublata cranii olla, occurrebant vaſa & ſinus ſanguine plus æquo diſtenta. Luſtratis interioribus cerebri, comperiebantur ventriculi humore purulento & viſcido repleti. BONETUS.

OBS. 514. Quidam *vulneratus* in media capitis parte, poſt tres menſes de *dolore capitis* conqueritur, circa locum vulneris inflicti; in quo jam ad cicatricem deducto nil apparuit.

Secta poſt obitum calvaria deprehendebatur materia purulenta, tam ſupra meninges, quam ſupra ipſummet cerebrum. BONETUS.

OBS. 515. Quædam mulier de *capitis gravitate* ab aliquot diebus conquerebatur; cum *febre*, *ſomnolentia* ſtipata, corripitur, qua poſt paucus dies ad libitinæ rationem ducitur.

Luſtrato capite, in apricum veniebat abſceſ-

abſceſſus in anteriore cerebri parte, cum vicinioribus oſſibus nonnihil læſis. DONONEUS.

OBS. 516. Quidam in *ſtuporem* incidit, nulla prævia manifeſta cauſa: tandem accedit *apoplexia*, qua brevi e medio tollitur.

Occurrit in reſerato capite pus fœtidiſſimum piam meningem & cerebri corticem conſpurcans; a diſrupto, uti videbatur, abſceſſu in dura matre. WILLISIUS.

OBS. 517. Quidam diuturno *capitis dolore*, pertinaciſſimiſque vigiliis conflictatus, tandem levi præcedente delirio, *convulſionibus* corripitur, quibus brevi occubuit.

Aperto cranio, in conſpectum venit abſceſſus pure admodum fœtente, & corrupto turgens. NASIUS.

OBS. 518. Quidam *punctim vulneratur* circa os temporis; ſequitur *gravitas* quædam intolerabilis *in oculo* ejuſdem lateris; qui ſenſim ingraveſcens mortem poſt ſe trahit.

Repertus eſt ingens abſceſſus, puris ſcilicet libram unam continens, inter cerebrum & meninges. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 519. Juvenis antiquam *fiſtulam in proceſſu maſtoideo* habebat; cum accedit *febris*, *delirium* comitem habens; quod excipit ſopor lethalis. Ventriculi cerebri aqua virideſcente & purulenta ſcatebant. Major puris copia ſtagnabat circa os petroſum, carie perforatum: quo foramine pus ad fiſtulam appellebat. MORGAGNUS.

OBS. 520. Quidam *capite dolebat*, cum levi febri. Plurimum dormiebat: expergefactus *ſtupidus* quaſi erat, & *delira loquebatur*. Sub quo rerum ſtatu tandem occubuit.

Uterque ventriculus humore purulento erat imbutus. Utriuſque ſuperficies ab ulceribus depaſcentibus aſpera & inæqualis videbatur. BONETUS.

OBS. 521. In cadavere cujuſdam juvenis triginta annorum *febre maligna* epidemica, nullo delirio ſtipata, extincti; animadvertitur cerebrum ſolito mollius. Ventriculi laterales colluviei purulentæ uncias circiter tres continebant. Cerebelli pars ſuperior nonnihil purulenta etiam deprehendebatur. CLAR. PRINGLE.

COLLUVIES SORDIDA.

OBS. 522. Mulier *in fronte vulnerata*, tertio die *febre* continua prehenditur. Sequuntur *delirium* & *convulſiones*. Quinto die extinguitur.

Luſtrato cadavere, inventa eſt ingens phlegmone in dura meninge, ingenti puris copia ſuffuſa. BONETUS.

OBS. 523. Quidam a jacto *lapide contuſus*, habuit in bregmate vulnus. Accedit *febris*, qua ſeptimo die ingraveſcente, ingruunt *convulſiones*; & decimo quarto die interiit.

Dura meninx, prætumida & decolor apparebat, cum maxima puris copia inter hanc & cranium. BONETUS.

OBS. 524. Quidam poſt pertinaciſſimam *hemicraniam*, *apoplexia* corripitur, qua brevi occubuit.

Secto cadavere, in propatulo fit abſceſſus in cerebri involucris prope partem dolentem, cujus diſruptione pus cerebrum attigerat; hinc lividum, & putredine defœdatum. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 525. Quidam juvenis poſt ſanatum *capitis vulnus*, uti videbatur, leviſſimum in *ſoporem* comatoſum incidit; quo tandem occubuit.

Reſerato capite, in propatulum veniebat materia purulenta, inter cranium & duram meningem ſtagnans. BARRERUS.

OBS. 526. Quidam ruſticus conſiſtentis ætatis, *in capite vulneratus*, poſt ſexdecim dies in *convulſiones* & diſtorſiones incidit; quibus perſiſtentibus brevi e vivis rapitur.

Secto cadavere & luſtrato cerebro, inveniebatur purulentia ſanioſa in ipſamet cerebri ſubſtantia. BONETUS.

OBS. 527. Mulier *peripneumonia* decumbens; circa octavum diem, *dolorem capitis* immanem cum prurigine patiebatur. Paulo poſt obiit.

Inter ſectionem capitis, in propatulo fit colluviei purulentæ copia, inter piam matrem & cerebrum. PARÆUS.

OBS. 528. Cultro anatomico ſubjecta corpora

pora nonnullorum *epilepticorum* exhibebant purulentiam cerebrum, & ejus involucra defœdantem. FERNELIUS.

COLLUVIES SORDIDA.

Ad hanc ſeriem revocari debent obſervationes Libr. III. 19. 59. Vide inſupes *Meningum purulentia. Cerebri abſceſſus* & *purulentia.*

ARTICULUS II.

Colluvies ſanioſa.

OBS. 529. Adoleſcens viginti annorum *paralyſi* lateris ſiniſtri a pluribus retro annis laborabat; cum aliquot ſeptimanis ante obitum, *tuſſi* moleſta & *ſpirandi difficultate*, noctu imprimis divexatur. Variis incaſſum adhibitis præſidiis ad plures migravit.

Luſtratis interaneis inveniebantur pulmones purulenti, & coſtis firmiter adnati. Secto cranio, meninges occurrunt denſiores, pixidi oſſeæ valde adnatæ; quibus abruptis profluxit ichor copioſus, ſeroſus & cruentus, circa cerebellum & baſim cerebri ſtagnans, quo etiam replebantur ventriculi laterales. MANGETUS.

OBS. 530. Quidam *melancholicus* triginta annorum præ inſolita triſtitia, ultimum diem optabat. *Caput dolore affectum*, præter morem, in latus ſiniſtrum contorquebat. Nocturnis terroribus vexabatur. Tandem *convulſus* expiravit.

Aperto cranio prodiit cerebrum, cujus ſuperficiem inerrabat materia ſanioſa; qua etiam ſcatebat uterque ventriculus; nonnihil putriditate læſus. Inteſtina flatibus redundabant. Pulmones demum lividi ſanioſi & corrupti deprehendebantur. LOTICHIUS.

OBS. 531. Quidam *febre maligna* prehenditur. Tumet venter, cum dolore hypochondriorum. Erumpit ſanguis e naribus; præter alia ſymptomata febres mali moris concomitari ſolita. Septimo die obiit.

Inſtituta cadaveris ſectione, occurrit ſerum ſanioſum inter meninges cerebri. Haud abſimili colluvie ſcatebat abdomen; cum variis inflammationis & gangrænæ notis in hepate, ventriculo & inteſtinis. CHIRAC.

Pro affinibus haberi debent obſervationes Libr. III. 14. Libr. IV. 182.

ARTICULUS III.

Colluvies nigra & putris.

OBS. 532. Quidam ad ſexageſimum ætatis annum accedens, poſt *diuturnum uſum papaveris rebados infatuatus*; tandem in *affectum* quemdam *comatoſum* incidit, quo pergente ad libitinæ rationem mittitur.

Cadavere examini anatomico ſubjecto, in conſpectum veniebant cerebri ventriculi, humorem nigrum atramenti æmulum, & graveolentem continentes. PACHEQUUS.

OBS. 533. Vir conſiſtentis ætatis vehementiſſimo *dolore circa ſinciput* torquebatur; cum ingruente *inſultu epileptico*, derepente e vivis tollitur.

Luſtrato cadavere, in propatulo fit colluvies quædam putris inter calvariam & duram meningem deliteſcens. FERNEL.

OBS. 534. In capite cujuſdam *epileptici* de-

deprehendebatur latex ſordidus, & ſummum fœtorem ſpargens in ipſamet cerebri ſubſtantia. Ventriculi vero erant plane inculpati. FERNELIUS.

COLLUVIES SORDIDA.

SECTIO OCTAVA.

DE CORPORIBUS EXTRANEIS.

ARTICULUS I.

Vermes.

OBSERVATIO 535. Juvenis duorum & viginti annorum in morbum quemdam epidemicum incidit, qui caput præſertim tentabat. *Cephalalgiam* ſcilicet patiebatur atrociſſimam; dicens aliquid eſſe vivens in cerebro. Ita pro tempore, cruciabatur ut ſibi cranium, totumque cerebrum cerebello perforari videretur. Mox *per univerſum cerebrum commotiones* percipiebat; illæſis tamen mentis facultatibus; tandem obiit.

Reſerato capite, detegitur in anfractibus cerebri lumbricus totus rubens, indice digito longior; acutum os, collum nigrum & piloſum habens, multis in modis ſeſe in illis anfractibus convolvens; & ad capitis baſim fere pertingens; qui obtuſiori forficula exceptus & munda papyro appoſitus, paulo poſt interiit. GARNERIUS.

OBS. 536. Puellæ duodecim annorum, *curatis variolis*, tantus *capitis dolor* ſupervenit, ut trium menſium curriculo, nec dormire potuerit, nec alio modo quieſcere, nullas dolore inducias concedente. Tandem *tabida* vitam cum morte commutavit.

Aperta calvaria, deprehendebatur univerſa cerebelli ſubſtantia a reliquo corpore ſejuncta, & nigra tunica involuta, quæ rupta vermem nigrum, piloſum, duobus punctis ſplendidis loco oculorum, prodidit latentem; ejuſdem ferme molis, ac reliqua cerebelli portio, qui duarum horarum ſpatio ſupervixit. BARTHOLINUS.

OBS. 537. Adoleſcens viginti circiter annorum, noctu ſomniis agitatus e lecto decidit cum *contuſione in lævo ſupercilio* paululum fracto. Statim *animo deſipit*: dein diarrhæa contumaciſſima corripitur. Interea ſenſim *obſcurantur ſenſationes* internæ & externæ. Irritis omnibus præſidiis ad extremam maciem adducitur, & poſt tres & viginti dies a caſu fatis ceſſit.

CORPORA EXTRANEA.

Exenterato cadavere deprehendebatur ſiniſtrum cerebri hemiſphærium a naturali ſtatu recedens & abſceſſum recondens, ſanie ſpiſſa & ſubfuſca repletum; cui innatabant vermiculi, perſimiles illis qui in veteri caſeo quotidie ſe conſpiciendos præbent. BIANCHI.

OBS. 538. Inſpecto cadavere cujuſdam viri *morbo* quodam *epidemico plane ignoto* interempti, reperiebatur in cerebro vermis rubens, brevis & ruens, quem variæ ſubſtantiæ anthelminticæ occidere minime potuerunt; ſolo decocto raphani in vino Malvatico extinctus: quod remedium dein felici ſucceſſu, ſub hac epidemia adhibebant medici. FORESTUS.

OBS. 539. Puer quinquennis de acerbiſſimo *dolore circa radicem naſi* querebatur, qui febrem lentam comitem habebat. Tribus ſub hac rerum conditione elapſis menſibus in *convulſiones* incidit, quæ brevi mortem poſt ſe trahunt.

Luſtrato cerebro, reperiebatur in ſinu longitudinali ſuperiori duræ meningis quidam vermis vivens, teres & quatuor pol-

lices longus. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

CORPORA EXTRANEA.

OBS. 540. Quamdam fuiſſe matronam memorant, cujus poſt *capitis violentiſſimos cruciatus* ab hemitriti peſtilentis, diſſecta calvaria, magnam putredinis vim oſtenderet circa ſubſtantiam cerebri, & inter meninges tum vermiculorum, tum cimicum copiam incredibilem. GEMMA.

OBS. 541. Quædam muliercula diu *doloribus capitis* conflictata, cum forte reclinato capite rhedæ incumberet; alius autem ipſa non viſa baculo fortius rhedam percuteret; ſtatim fractum cranium deſiliit, innumerabilibus prodeuntibus vermiculis. BARTHOLINUS.

OBS. 542. Quidam *dolore capitis* implacabili circa ſuturam coronariam laborabat. Pergente morbo & exaſperato, irritis omnibus præſidiis, tandem fatis ceſſit.

Capite aperto, in propatulum venit vermis inter calvariam & cerebri involucra. Si terebratum fuiſſet cranium, aliqua fuiſſet vitæ ſpes. BALLONIUS.

OBS. 543. Quidam, poſt curatam *luem veneream*, de *dolore capitis* acerbiſſimo conquerebatur. Incaſſum variis adhibitis remediis, tandem ſupremum diem clauſit.

Inſpecto capite detegitur quidam vermis breviſſimus, colore rubro, inter pixidem oſſeam & meninges. ANDRY.

OBS. 544. In cadaveribus variorum *febre* quadam *peſtilentiali* epidemica raptorum; in apricum veniebat exiguus vermis vivens in ipſamet ſubſtantia cerebri. FORESTUS.

OBS. 545. In cadavere cujuſdam *phrenitici* inventus eſt ſub cranio vermis qui utramque meningem transfoderat. PARACELSUS.

ARTICULUS II.

Scorpiones.

OBS. 546. Puellam, aiunt, cum ſæpe & multum odorata eſſet baſilicam herbam, incidiſſe denique in *capitis dolorem* violentiſſimum quo nullis remediis domato, tandem extincta fuerat.

Inciſo & reſerato capite, inventos fuiſſe ſcorpiones in ejus cerebro traditur. GESNERUS.

OBS. 547. Cuidam Italo a frequenti odoratu baſilici natus fuit ſcorpius in cerebro, qui *dolores capitis* acerbiſſimos & diuturnos concitavit, & tandem mortem attulit. (An fide dignum ſolertioribus penſitandum relinquimus.) HOLLERIUS.

ARTICULUS III.

Lapides.

OBS. 548. Puer decennis a caſu ab alto, & violenta *capitis contuſione omnem ſenſum amiſit*, ſanguine ex auribus & naribus erumpente. Dein *caput* perpetuo *dolet*. Poſt quinque menſes flexo capite *aſthmaticus* evadit. Poſt biennium erumpit *abſceſſus circa aurem ſiniſtram*, a cujus ſectione leniuntur ſymptomata. Tandem ſiniſtrum *latus reſolvitur*, & paulo poſt ingruunt *inſultus epileptici*, qui brevi mortem poſt ſe trahunt.

Hepar

Hepar ſcirrhoſum invenitur. Occurrunt circa principium aortæ concretiones lapideæ, non ſolum huic arteriæ, ſed ejus ramis & aſperæ arteriæ adnatæ, quarum una nucis magnitudinem ſuperabat. Capite aperto, reperitur lapis e ſimili materia concretus, & folliculo incluſus, ſub ſutura lambdoidea, inter duram & piam matrem ſitus, & arctiſſime hærens duræ matri. Ventriculi præterea ultra duas libras aquæ continebant. HILDANUS.

OBS. 549. Vir ſex & quadraginta annorum, qui in pueritia fragrantiſſimis odoribus delectabatur, tandem *dolore capitis* obtuſo & gravativo corripitur, cum *odoratus amiſſione;* & paulo poſt interiit.

Aperto capite, inveniebatur prope baſim cerebri lapis compreſſus taleri nummi inſtar; ſed non omnino rotundus; cineritio colore, qui os cuneiforme & olfactus meatus plane impediebat; adeo ut haud olfacere poterat. Inſuper hepar ſe præbet obſtructum, durum & quaſi lapideum, nigro colore, carbonum inſtar. GARNIERUS.

OBS. 550. In cadavere adoleſcentis quatuordecim annorum, *fatui*, reperiebatur ſubſtantia cerebri omnino flaccida, cum effuſo ſero in ventriculis; quorum dexter incluſum ſervabat calculum, colore albicantem, qui medica ſtatera examinatus, grana pendebat tredecim. Inſuper glandula pinealis plane deficiebat. KERKRINGIUS.

OBS. 551. Quidam hypochondriacus atrociſſimos *capitis dolores* continuos in ſiniſtro latere, ultra biennium patiebatur.

Reſerato poſt obitum capite detegitur inter duram & piam meningem duriſſimus lapis, grani hordeacei magnitudine; calvaria ibidem loci multum extenuata. MERKLINUS.

OBS. 552. Quædam mulier *dolore capitis* acutiſſimo jamdudum conflictabatur, cujus ſævitie preſſa ejulabat & ambabus manibus caput prehendebat. Dein in *hydropem* lethalem incidit.

Invenitur ſub craſſa meninge juxta torcular materia lapidea, inſtar rupis inæqualis, & aculeis multis aſpera, duræ matri adnata. CATTIERUS.

CORPORA EXTRANEA.

OBS. 553. In cadavere cujuſdam qui *pulvere & fumo tabaci* utebatur, reperitur lapis triceps inter duram & piam meningem; in parte ſiniſtra prope falcem & ſuturam coronalem; qui tenui meningi ita fortiter adhærebat, ut ſine laceratione avelli non poſſet. PANAROLUS.

OBS. 554. Quidam diuturno & intolerabili *capitis dolore* adeo fuit excruciatus, ut dies noctesque, nullam quietem caperet; donec cruciatibus ſuperatus eſſe deſiit.

Diſſecto capite in conſpectum venit lapis, in ipſamet ſubſtantia cerebri, magnitudine & forma mori, colore pullo vel cinereo. KENTMANNUS.

OBS. 555. Quidam nil olfacere potuerat, cum *dolore capitis obtuſo*, & gravante; adeo ut ſemper pronum & pendulum habere cogeretur.

Luſtrato poſt obitum cerebro, deprehendebatur prope baſim cerebri lapis compreſſus nummi inſtar, ſed non accurate rotundus, cinereo colore. BONETUS.

OBS. 556. Aperto capite cujuſdam mulieris, quæ atrocibus *capitis doloribus* & demum cæcitate afflicta fuerat, inveniebatur lapis phaſeoli magnitudine, in origine atque ipſa ſubſtantia nervorum opticorum. BLEGNY.

OBS. 557. In cadavere cujuſdam qui diuturnis & acerbiſſimis *capitis doloribus* conflictatus fuerat, triplicem ſpinam lapideam, intra meninges vidit. PANAROLUS.

De hacce læſione mentio ſubjicitur in obſervatione Lib. II. 845.

CORPORA EXTRANEA.

ARTICULUS IV.

Hydrargyrus.

OBS. 558. Quædam fœmina *poſt* frequentiores *inunctiones hydrargyroſas* de maxima & moleſtiſſima *capitis gravitate* querebatur, ac tandem extincta fuit.

Inter ſectionem cadaveris, & examen cerebri, reperiebantur binæ unciæ mercurii crudi circa baſim cranii. CASTELLUS.

OBS. 559. Cultro anatomico ſubjecto cadavere cujuſdam ante obitum *litu hydrargyroſo* inuncti, hydrargyrus deprehendebatur copioſus tum in cranio tum in artubus brachiorum. RENODÆUS.

OBS. 560. Introſpectis cadaveribus variorum, qui *poſt hydrargyroſim* ampliſſimam, *cephalalgiam* immanem patiebantur, occurrebat in baſi cerebri hydrargyri copia, inibi ſtagnans. ZUINGERUS.

OBS. 561. In pluribus *poſt inunctiones mercuriales*, ſæpius repetitas, extinctis, in propatulo fiebat copia argenti vivi, tum in capite, tum in cavitatibus tibiarum. CASTELLUS.

OBS. 562. Haud minorem mercurii crudi quantitatem in aliis poſt adminiſtratam pleniorem *hydrargyroſim* extinctis obſervavit SACHS.

ARTICUULUS V.

Globulus plumbeus.

OBS. 563. Quidam *ictum ſclopeti* in fronte cum inſigni cranii fractura accepit. Rite inſtituta cura chirurgica priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit. *Morbo* dein *acuto* extinguitur.

Luſtrato capite invenitur globulus plumbeus inter cranium & duram matrem, ad latus ſuturæ dextræ, membrana plane illæſa. Natura enim ea in parte materiam quamdam calloſam procreaverat quæ duræ matri ad inſtar culcitræ ſubjacebat. FABR. HILDANUS.

Plura proſtant exempla glandium poſt plures menſes, vel annos in cerebro repertarum. Hæc igitur obſervatio ſit inſtar omnium.

HISTORIA

ANATOMICO-MEDICA

SISTENS

NUMEROSISSIMA Cadaverum extiſpicia, quibus in apricum venit genuina morborum ſedes; horumque obviæ fiunt cauſæ; vel reſerantur effectus.

LIBER QUARTUS,

EXHIBENS Læſiones externas.

AFFECTIONES organicas cujuſvis indolis partium, extra oſſeam capitis pixidem, thoracis cameram & abdominis cavum, colligit hic quartus & poſtremus liber. Itaque hanc claſſem ſubeunt cranium cum ſuo involucro, aurium internarum latebræ, ſpecus narium, altiores orbitæ & oris receſſus. Hæc excipiunt hiſtoriæ cervicem reſpicientes, circa ſcilicet muſculorum affectus, & prominentias morboſas; laryngis & tracheæ vitia; pharyngis & œſophagi læſiones. Dein accedit thorax externus, qui præter tumores e mammis, cæteriſque partibus erumpentes, vitioſam tum oſſium, tum cartilagineam exhibet diſpoſitionem. Sequitur abdomen externum, ad quod pertinent herniæ cujuſvis ſortis, variæ abdominalium muſculorum læſiones, genitalium morbi, &c. Ultimo demum recenſetur dorſi & artuum morbida conſtitutio, quam reſerat culter anatomicus. De hoc libro notandum incumbit, quod obſervationes duntaxat e cadaveribus depromptas tradidimus. Alias inexhauſto & futili labori indulgentes ab ſcopo aberraremus. Hinc minime mirari ſubit ſi hæc ultima operis pars, inter anguſtos limites contracta, ſit cæteris plane diſpar.

SECTIO PRIMA.

DE CAPITE EXTERNO.

ARTICULUS I.

Pediculi ſub pericranio.

CAPUT EXTERNUM.

OBSERVATIO 1. Quædam mulier conſiſtentis ætatis, alias ſana, immani *capitis dolore*, cum intolerabili *pruritu* per plures menſes, continuo divexabatur; donec tandem ferocioribus doloribus confecta, & exhauſtis viribus ultimum diem clauſit.

Accurate inciſis capitis tegumentis, pediculorum myriades ſub pericranio deprehendebantur. Dempto vero cranio, ejus meditullium iiſdem pediculis etiam ſcatens animadvertitur, quos ſcilicet viam per ſuturas ſibi feciſſe conjicere nil vetat. BONETUS.

ARTICULUS II.

Cerebri hernia.

OBS. 2. Infans recens natus *tumore molli* ſex circiter pollices lato *in occipite* laborabat; quo *ſomnolentus* evadens brevi extinguitur.

Luſtrato capite deprehendebatur os occipitale foramine quaſi triangulari pervium, quod poſticam cerebri partem excipiebat; quæ ſcilicet præter ſubſtantiam corticalem & medullarem, quæ apprime diſtinguebantur, quamdam tentorii cerebelli portionem, non ſecus ac plexus choroides exhibebat. FRIED.

ARTICULUS III.

Fuligo in cranio.

OBS. 3. Cuidam viro jam ſeneſcenti familiaris fuerat, ab ipſa pueritia *fumus tabaci* fiſtula congrua hauſtus. Nicotianæ folia funiculatim parata perpetuo etiam maſticabat. Tandem *inſultu apoplectico* vehementiſſimo e vivis tollitur.

Inſtituta cadaveris ſectione, in conſpectum venit fuligo plurima & denſa cranio adhærens, fuligini caminorum tum nigrore, tum ſapore omnino ſimilis. PETR. REGIS.

Vix abſimilem caſum exhibet obſervatio Lib. II. 31.

AR-

CAPUT EXTERNUM.

ARTICULUS IV.

Cranii prava conformatio.

OBS. 4. Introſpectis cadaveribus nonnullorum *epilepticorum* reperiebatur cranium capacitate juſto majori donatum; haud raro craſſiſſimum; alias ex unico quaſi oſſe compactum, vel ex duobus, tribus vel quatuor. In quibuſdam demum copioſa deprehendebatur aquæ collectio. LEDUC.

OBS. 5. Inſtituta ſectione cadaveris cujuſdam *fatui*; denudato cranio, in conſpectum veniebant ſuturæ in figura deviatæ, quæ omnes uno quaſi clivo exaltatæ prominebant. BARTHOLINUS.

ARTICULUS V.

Cranii craſſities.

OBS. 6. Luſtratis cadaveribus variorum, qui dum viverent, *graviſſimo capitis dolore* conflictabantur, cranium inventum eſt craſſiſſimum, atque quaſi integrum ſine ſuturis; cum ſeroſa colluvie in cerebri ventriculis, aliiſque receſſibus. PLATERUS.

OBS. 7. Examini anatomico ſubjectum cadaver cujuſdam fœminæ a quindecim annis *maniacæ*, exhibebat cranium craſſiſſimum, cum diploe copioſiori. Subſtantia medullaris durior & levior annotabatur. MECKELIUS.

Inter affines numerari poſſunt obſervationes Lib. II. 944. Lib. III. 361.

ARTICULUS VI.

Suturæ oblitteratæ.

OBS. 8. Quædam vidua juvenis & formoſa in graviſſimos artuum dolores, & intolerabiles *capitis cruciatus* incidit; accedente *febre*, cum inordinatis exacerbationibus. *De morbi caractere dubitatur*: alii meram eſſe luem veneream pronuntiant; alii genuinam eſſe arthritidem declarant. Hinc adhibentur primo anti-venerea; ſed fruſtra. Dein ad anti-arthritica deveniunt, quæ non impediunt quominus res in deteriora ruant, ad interitum ſcilicet.

Secto cadavere, cranium craſſum nullas exhibet ſuturas. Cerebri ventriculi, aliique receſſus aqua ſcatebant. Veſicula fellis extus nigra, intrinſecus exulcerata bilem atram, picis inſtar ſplendentem, continebat. Lien totus erat putris. Ren dexter fovebat calculum triangularem; & muco abductum. Cor demum parvum & exangue cernebatur. PLATERUS.

OBS. 9. Quidam juvenis diuturno *capitis dolore* vexatus, incaſſum omnibus, vel ſelectioribus, adhibitis præſidiis, ſupremum tandem diem obiit.

Denudata calvaria, vix ſuturarum veſtigia apparebant: ſcilicet adeo erant compacta, ut in unum coacta capitis oſſa viderentur. In pluribus aliis cephalalgiæ acerbiori obnoxiis ſaturas etiam coagmentatas, vidit COLUMBUS.

In harum numero adſcribi debent obſervationes Lib. III. 3. 113. 444.

CAPUT EXTERNUM.

ARTICULUS VII.

Suturarum laxitas.

OBS. 10. Miles *potandi exercitio celeberrimus*, poſtquam vini copia ſeſe ingurgitaſſet, divulſa magno cum cruciatu meninge, nunquam quievit niſi cum cranii contiguæ extremitates circa ſuturam coronalem ad pollicis latitudinem dehiſcerent; atque a ſe invicem ſepararentur. In poſterum poterat bibere ſine mentis perturbatione plures menſuras, multoſque inebriare antequam a potu minimam ſentiret læſionem: in *hypochondriacis* & *hyſtericis* nonnunquam divelli ſuturas conſtat ex variis exemplis. ANT. DE POZZIS.

OBS. 11. Virgo ſex & viginti annorum conquerebatur quod maximis & continuis *doloribus capitis* a teneris unguiculis infeſtaretur; cauſam eſſe dicens, quod cranium nondum eſſet concretum. Revera a caput tangente inveniebatur quod os frontis eſſet mobile, & a ſincipite ſe divelli pateretur; ita ut cerebrum quaſi digitis poſſet attingi. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 12. Examini anatomico ſubjectum caput cujuſdam *paralytici*, quinque & quadraginta annorum, exhibebat calvariam tenuiſſimam, cum ſuturis laxis & hiulcis. VERTUNIANUS.

De hacce læſione. Vide *Hydrocephalos*.

ARTICULUS VIII.

Oſſa capitis mollia.

OBS. 13. Juvenis viginti annorum *tumore* conflictabatur, *magno oculi cantho inſidente*, & bulbum oculi extra ſedem propellente; cum immani *capitis dolore* & *vertigine*. Variis incaſſum adhibitis præſidiis chirurgicis, *febris* incandeſcit, & ingruit *ſopor lethalis*.

Luſtrato capite, reperiebantur oſſa cranii, circa ambitum tumoris mollia, cartilaginoſa, imo & carnea. PETIT.

OBS. 14. In cadavere cujuſdam qui conflictatus fuerat quodam *tumore* oſſi maxillari ſuperiori & oſſi jugali adnato, tum in ſinu maxillari, tum *in orbita prominente*, omnia deprehendebantur oſſa viciniora, uſque ad os ſphænoideum, mollia & quaſi carnea. PETIT.

ARTICULUS IX.

Cranii exoſtoſes.

OBS. 15. Quidam *vino deditus* ſubito corripitur *dolore pectoris* cum *ſpirandi difficultate*, nauſea, horrore, febre & *cephalalgia* immani; e quibus opportuna cura evaſit. Poſt annum integrum recurrit morbus & ſimili modo fugatur. Dein admiſſariorum ſocietati ſe implicans *gonorrhæam virulentam* contrahit, de qua parum curabat. Sequitur *cephalalgia* acerbiſſima, qua dein ultra modum ſæviente *corruit ſine ſenſu & mo-*

& motu. Fugato poſt ſex horas hoc inſultu, accedit deglutiendi & mingendi difficultas. Tum adhibetur hydrargyroſis, cum felici uti videbatur ſucceſſu. Paulo poſt inter crapulam torminibus ventris corripitur, quæ excipiunt *convulſiones lethales*.

Inter ſectionem cadaveris, occurrit in latere capitis ſiniſtro exoſtoſis latiſſima, partim ſub muſculo temporali ſita. Similis erat exoſtoſis in facie interna cranii; ſed latior & mollior; cui firmiter annectebatur dura meninx. CASPARD.

OBS. 16. Quidam miles calculoſus *tumorem* a quindecim annis geſtabat *in tempore dextro*, qui pro hernia cerebri habebatur. Poſt celebratam lithotomiam, ad noviſſimum diem feſtinat.

Examini ſubjecto capite occurrit exoſtoſis ingens, duplicem pugnum æquans, cujus ſubſtantia denſa & eboris inſtar candida deprehenditur. Partes internæ plane erant inculpatæ. PETIT.

OBS. 17. Quidam immanibus *cephalalgiis* obnoxius, in *cæcitatem* incidit. Dein *epilepſia* corripitur; quam poſtremo excipit *apoplexia* lethalis.

Reperitur in facie interna oſſis parietalis ſiniſtri tumor oſſeus & ſpongioſus, quo cerebrum comprimebatur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

CAPUT EXTERNUM.

OBS. 18. In cadavere cujuſdam in ſolitas actiones, dum viveret, ſegnioris, & quaſi *hebetis*, reperitur exoſtoſis hemiſphærium globi minoris æquans, in facie interna oſſis frontis; qua cerebrum multum compreſſum fuiſſe conjectu facile eſt. EX ACTIS PETROPOLITANIS.

OBS. 19. Quidam juvenis a ſeptennio *tumorem in parietali dextro* geſtabat, quatuor pollices altum; qui cerebri prolapſus ſuſpicionem movebat apud chirurgos.

Poſt obitum ſectus exhibet exoſtoſim oſſi parietali adnatam, quæ dura & compacta eburneam albedinem præ ſe ferebat. PETIT.

OBS. 19. (*a*) Puer ſeptimeſtris cujus caput nutricis incuria percuſſum fuit, brevi *epilepſia* lethali corripitur.

Aperto capite cranii tabula interna ſupra tempus ſiniſtrum in notabilem tumorem verſus cerebrum elevata videbatur. POZZIS.

Hunc ordinem ingreditur obſervatio Lib. III. 224.

ARTICULUS X.

Cranii caries.

OBS. 20. Puer octennis a *contuſione capitis corruit ſine ſenſu & motu*. Diſcuſſo per quatuor horas ſopore vomitu corripitur, & de acerbiſſimo *capitis dolore* queritur. Tumens pars læſa poſt quindecim dies in ſuppuratum abit. Evacuato pure ſubſiſtit dolor, cum *ſtupore* totius corporis. Languet appetitus; & noctes ducuntur inſomnes. Quinque elapſis menſibus pus ſub proximiori cute conficitur; hinc emergunt nova ulcera. Rebus in deteriora ruentibus ad cranii perforationem devenitur; ſed infelici ſucceſſu: ingruit enim ſomnolentia; vires collabuntur & accedit mors.

Reperitur cranium multiplici carie læſum. Duram meningem obtegebat cruſta quædam mucoſa. Cavernulæ oſſis carioſæ vermiculis ſcatebant. Vaſa ſanguine atro turgebant. Subſtantia cerebri innumeris punctis nigris erant ſignata. Ventriculi cerebri ſero replebantur. SLVOIGTIUS.

OBS. 21. Vir triginta annorum robuſtus, latiſſimum *tumorem in latere capitis dextro*, quatuor abhinc annis geſtabat, haud ſine magna moleſtia. Aperto tumore nil fere præter flatulentiam prodit: ſed dein ſtupenda tranſudat materiæ cujuſdam lymphaticæ copia; cum inſolita virium pro-

 ſtra-

CAPUT EXTERNUM.

ſtratione. Interea accedit *febris phrenitica* quam excipiunt dolores univerſales, quaſi arthriticæ, & atrophia lethalis.

Inciſo cadavere, deprehenditur in parte læſa cranium variis in locis carie perforatum, quod hinc exitum concedebat excreſcentiis fungoſis, duræ meningi accretis, e quibus exſurgebat tumor externus. Proximior cerebri pars quaſi ſoluta annotabatur. CLAR. LE CAT.

OBS. 22. Quidam *tumorem* geſtabat *in capite*, inter os occipitale & parietale, ovum gallinaceum magnitudine æquantem, & nonnihil pulſantem. De indole hujuſce tumoris multum diſſentiebant medici; dum ſciolus chirurgus pure refertum tumorem dixit; & periculi expertem eſſe apertionem: qua pro ejus arbitrio celebrata, prodit ipſamet ſubſtantia cerebri, & æger biduo poſt moritur.

Reperiebatur cranium carie læſum & perforatum, e quo patulo foramine, herniæ inſtar, exitum ſibi paraverat ipſummet cerebrum. PARÆUS.

OBS. 23. Juvenis *lue venerea* tactus, *tumore in latere ſiniſtro capitis* laborabat ad pugni magnitudinem accedente, cum partium ſtupore & *vertiginibus* haud raro recurrentibus. Admoto cauſtico profluxit ſanies; & ingruit *febris* ardens delirio ſtipata. Vires obruuntur, & brevi extinguitur.

Secto capite, occurrit tumor fungoſus e dura meninge erumpens & cranium carie perforatum trajiciens. Cerebri ventriculus ſiniſter ſanie ſcatebat, variaſque putredinis notas exhibebat. HEISTERUS.

OBS. 24. Quidam Agricola decem abhinc annis immani *capitis dolore* torquebatur. Hiſce moleſtiis fractus decumbere cogitur. In parte ſiniſtra quædam deprehenditur mollities cum pulſatione. Doloris acerbiſſimi impatiens æger ſectionem in hacce parte efflagitat; qua celebrata merus ſanguis congrumatus educitur. Poſt ſex dies ad ſuperos migravit.

Luſtrato capite in apricum venit cranii caries, cum gangræna & putriditate in meningibus. DUVERNEY.

OBS. 25. Juvenis *lue venerea* contaminatus, gravi *capitis dolore* circa ſinciput & tempora conflictabatur. Vigiliis pertinaciſſimis torquebatur. Tandem *lumine* penitus *orbatur*, nullo vitio in oculis conſpicuo. Sub qua rerum conditione, cruciatibus confectus, ultimum diem clauſit.

Apertum caput exhibebat cranium ad coronalis & ſagittalis commiſſuræ regionem carioſum & putridum. Meninges & cerebrum, uſque ad nervos opticos putriditatis notas exhibebant. BOTALLUS.

OBS. 26. Puella quinque annos nata *ſarcoma oculo dextro ſubnatum*, & pugnum contractum æquans geſtabat; quo reſecto & curato, aliud erumpit ſub palpebra ſiniſtri oculi, quod ſpatio trium menſium in portentoſam magnitudinem excrevit. Sub quo rerum ſtatu ſupremum diem obiit.

Reperiebatur peramplum foramen e rimis calvariæ carioſis, quod prædicto ſarcomati ex ipſamet dura meninge oriundo egreſſum largiebatur. LARCHEUS.

OBS. 27. Muliercula *epilepſiæ* obnoxia, *gummata venerea in fronte* geſtabat. Adhibetur *hydrargyroſis*, inter quam *ſopore lethali* corripitur.

Cranium ſub gummata frontis carie læſum, & perforatum deprehenditur. Pars cerebri huic foramini reſpondens erat excavata; adeo ut potuiſſet recipere nucem juglandem. Hanc caveam replebat humor quidam nigricans ſine fœtore. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 28. Juvenis triginta annorum diu *capitis dolore* vexatus, tandem in melancholiam taciturnam incidit; quam excipit *epilepſia*, quæ mortem ſubitaneam poſt ſe trahit.

Capite aperto in propatulum venit caries in interiori parte oſſis poſterioris juxta cerebellum; qua carie tota lamina interna ad denarii magnitudinem perforata erat & exeſa; externa vero remanente integra & inculpata. ZECCHIUS.

OBS. 29. Quidam *gravedine capitis* jampridem laborans, tandem ſubito *cataphora* prehenditur; qua brevi e medio tollitur.

Patefacto defuncti capite, inveniebatur os frontis carie exeſum, aliqua tantum ex parte; ſalvo cerebro & integris cerebri involucris. SCHNEIDERUS.

OBS. 30. Puero trienni duabus ante obitum ſeptimanis, exortus eſt *tumor prope muſculum temporalem* ſiniſtrum. Irritis omnibus præſidiis, tandem interiit.

Ablatis capitis tegumentis reperitur prædictus tumor membrana craſſa obductus & materia purulenta turgens, ſubjacente cranio carie læſo. BONETUS.

OBS. 31. Quidam conſiſtentis ætatis diuturna *cephalalgia* mire torquebatur; qua demum ultra modum exacerbata ſuccubuit.

Aperto cranio reperiebatur dura meninx glutinoſo humore obſita, pixide oſſea paſſim carie inquinata. Hinc ſuſpicio luis venereæ. RHODIUS.

CAPUT EXTERNUM.

OBS. 32. Vir triginta annorum *lue venerea* uti videbatur affectus, continuo & acerbiſſimo *capitis dolore* laborabat.

Reſerato poſt obitum capite, interior cranii tabula ſemicarioſa apparebat. (ſimilem narrat caſum *Sphærerius*.) ROLFINCKIUS.

Hanc ſeriem ſubeunt obſervationes Lib. II. 944. Lib. III. 54, 106, 496. Vide inſuper *Cerebri purulentia, putredo. Tumores capitis interni*.

ARTICULUS XI.

Cranii fractura.

OBS. 33. Quidam juvenis *capite graviter concuſſo*, poſt caſum ab alto, *ſopore lethargico* corripitur; ſanguine ubertim profluente e naribus, ore & auribus. His ſuperatis, bene ſe habere videbatur; nihil extus percipiebatur præter levem ecchymoſem in latere ſiniſtro: adeo ut poſt quindecim dies omni metu depoſito, ſibi demandata munia obire voluerit; capite tamen remanente nonnihil impedito. Circa trigeſimum diem a caſu, inſurgit *febris*, *dolore capitis* gravativo ſtipata, quam brevi excipiunt *delirium* & *convulſiones*; ſuccedente ſopore lethali.

Reperitur cerebrum lympha quadam gelatinoſa obductum. Stagnabat in baſi cranii colluvies ſanioſa; vicinioribus partibus nonnullas putriditatis notas exhibentibus. Detegitur demum fractura in oſſe petroſo dextro, quæ ad os ſphænoidale propagabatur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 34. Vir quadragenario major *e ſublimiori loco procidens*, caput vehementer alliſit, cum maximo vulnere; quo arte chirurgica explorato, de fracto cranio conſtitit. Admoto trepano effluxit ſanguis ad libras duas & ultra. Accedit *febris intenſa & phrenitica*; ac ſeptimo a caſu die caroticus obiit.

Cranio remoto, animadvertitur fractura, non tantum per totam longitudinem oſſis bregmatis dextri; ſed etiam ultra ſuturam lambdoideam ad ipſum os occipitale protenſa. Præcipua illius hemiſphærii pars, ad ventriculos, cum meningibus, putrida & ſphacelata conſpicitur. MANGETUS.

OBS. 35. Sexagenarius *ex altiori loco delapſus*, contraxit in calvaria ampliſſimum vulnus. Mortui interiora capitis perſcrutantibus, obtulit ſe primum humor copioſus replens ventriculos cerebri: mox longiſſima rima excurrens continuata ſerie per frontem oculique foramen, uſque ad ſellam equinam, prope oſſis cuneiformis medium; quo loco ingens animadvertitur prædicti oſſis fragmentum. TULPIUS.

OBS. 36. Nobilis eques *glande* tormento manuario miſſo *ictus eſt in bregmate*, alioquin caſſide armato, nulla conſpicua contuſione. Sexto die *apoplecticus* obiit.

Invenitur ſecunda lamina cranii fracta, teſtas ex ſe remittens, quibus tanquam aculeis, cerebri ſubſtantia aſſidue compungebatur; integra & plane inculpata exteriori lamina. PARÆUS.

OBS. 37. Puer quindecim annorum e muro *in ſiniſtram temporum partem cadit*. Nulla apparet contuſio; ſenſibus vigentibus.

Cir-

CAPUT EXTERNUM.

Circa mediam noctem *ſanguinem*, cum bile, *evomit*; & circa diluculum *inſanire cœpit*. Paulo poſt obiit.

Præter fiſſuras in parte læſa, occurrunt in latere oppoſito aliæ contra-fracturæ, cum copia effuſi ſanguinis. FONTANUS.

OBS. 38. Vir ſexagenario proximus *e caballo excuſſus* frontem pavimento graviter alliſit. Paulo poſt in *affectum comatoſum* incidit, & ſupremum diem obiit.

Occurrit in oppoſita parte, ſcilicet in occipite, rima ſeu contra-fiſſura cum magna cruoris ſanie permixti copia, craſſæ meningi incumbente. LOSSIUS.

OBS. 39. Quidam ruſticus *e plauſtro ſupinus cadit* in dorſum, & occiput. Paulo poſt *ſopore* corripitur, quem excipit delirium lethale.

Levis erat contuſio in occipite cum oſſe integro: ſed fractura maxima conſpicitur in medio bregmatis ſiniſtri, ad oculi uſque orbitam exporrecta. BONETUS.

OBS. 40. Quidam miles ob depreſſionem cranii *a graviſſima contuſione* decumbere cogitur. Poſtridie obiit.

Occurrit interior cranii lamina non ſolum fiſſa, ſed etiam oſſiculum de ſe remittens, quo lædebatur dura meninx; integra exiſtente lamina externa. SCULTETUS.

OBS. 41. Puer a caſu ab alto *contuſionem muſculi temporalis* dextri, cum fractura ſubjacentis oſſis, patitur. Poſt mortem examini anatomico ſubjectum cadaver exhibuit duas alias contra-fracturas in latere oppoſito. VESALIUS.

OBS. 42. Quidam *fuſte in vertice percuſſus* fuit, ictu tam vehementi, ut protinus in terram, tanquam *apoplecticus* corruerit. Poſt obitum reperta eſt fiſſura a ſincipite ad occiput pertingens. TULPIUS.

Traditis ſubnectere licet obſervationem Libr. III. 497. Vide præterea *Sanguis effuſus extra cerebrum*. *Purulentia cerebri*.

ARTICULUS XII.

Auris læſiones.

OBS. 43. Examini anatomico ſubjectis corporibus variorum *ſurdorum* & præſertim puerorum, deprehendebantur aurium internarum cavitates craſſo humore, veluti muco, & quidem multo, ſcatentes. FABRIC. AB AQUAPEND.

OBS. 44. Mulier quinque & viginti annorum *febre maligna* corripitur, cum *ſurditate* in principio. Die decimo ſeptimo acceſſit *ſopor lethalis*.

Svanioſa reperitur materia in cavitate tympani. In cerebro vero parva erat ſeri copia. MORGAGNUS.

OBS. 45. Membranam ſupra tympanum craſſiſſimam, robuſtiſſimam & quodammodo cutaceam in nonnullis *pueris a nativitate ſurdis*, ſe obſervaſſe teſtatur FABRICIUS AB AQUAPEND.

OBS. 46. Introſpecta aure cujuſdam *ſurditate* conflictati, membranam tympani a prima conformatione craſſiorem ac denſiorem obſervavit LAURENTIUS.

OBS. 47. In aure cujuſdam *ſurdi & muti* a nativitate defectum oſſiculi incudis manifeſte invenit MERSENNUS.

Hunc ordinem ſubeunt obſervationes Libr. III. 108. 496.

ARTI-

ARTICULUS XIII.

Narium læſiones.

OBS. 48. In cadavere virginis quindecim annorum, quæ *polypum ingentem* geſtabat in naribus, & tandem *ſuffocatione* ſublatæ, deprehendebatur hæc maſſa cum duplici radice, altera ſinum maxillarem dextrum occupante & quaſi replente, altera in ſinu ſphænoidali ſiniſtro ortum habente. Præcipua polypi pars pone uvulam in faucibus propendebat, & ad ovi minoris gallinacei molem accedebat. Pectus & abdomen aqua ſcatebant, non ſecus, ac pericardium. CLAR. FOURNIER.

OBS. 48. (*a*) Quidam *dolore capitis* acerbiſſimo jampridem torquebatur. Interea tuſſiebat & ſputa interdum excernebat pure inquinata; adeo ut nullum eſſet apud medicos dubium de purulentia pulmonum. Tandem pergente morbo fatis ceſſit.

Luſtrato cadavere, deprehendebantur pulmones ſani & inculpati; ſed ſinus frontales & occipitales pure ſcatebant. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 49. In quodam milite qui *teſimis* erat *naribus*, ex fædiore quadam eluvie cohibita, reperiuntur vermes duo villoſi, inſtar minimi digiti craſſiores, illic uti videbatur geniti; qui præter *odoratus amiſſionem*, illum in *furorem* adegerunt, & de medio ſuſtulerunt. FERNEL.

In hac claſſe recipi queunt obſervationes Libr. III. 106. 110. 123. 493. 504.

ARTICULUS XIV.

Oculorum læſiones.

OBS. 50. Cuidam viginti annorum ab immani iracundia ſufflaminantur menſtruæ purgationes. Dein de *dolore oculi dextri* querebatur; qui ſcilicet adeo paulatim intumuit, ut è ſua ſede tandem depulſus, & extra orbitam prominens faciem deformaverit. Poſtea morbo quodam epidemico correpta ultimum diem clauſit.

Inſtituta cadaveris ſectione, & reſerata orbita oculi læſi, patet hanc procidentiam originem traxiſſe a tumore pone oculum deliteſcente; cum oſſibus vicinioribus carie læſis. TULPIUS.

Affines caſus proſtant in obſervationibus Libr. III. 202. Libr. IV. 26.

ARTICULUS XV.

Oris læſiones.

OBS. 51. Quidam *nullo* prorſus *guſtu* præditus erat; nullam ſcilicet in edendo voluptatem; nihilque injucundum perſentiebat. Adeo ut inſipida, amara, acida, dulcia, &c. non diſtingueret. Vitrum, lapides, ligna, carbones, lutum, animalia viven-

CAPUT EXTERNUM.

ventia, &c. vorabat: quidquid denique edendum offerebatur, propoſita mercede, ingurgitabat.

Poſt obitum ſecto, deprehendebatur quarta nervorum conjugatio quæ guſtus gratia in aliis hominibus producta eſt, nec linguæ, nec palato proſpiciens: ſed ad occipitium reflectebatur. COLUMBUS.

Vix abſimilem ferme narrat hiſtoriam *Rolfinckius* quam conſulto omittimus.

SECTIO SECUNDA.

DE CERVICE.

ARTICULUS I.

Cervicis muſculi corrupti.

CERVIX.

OBSERVATIO 52. Juvenis quatuor & viginti annorum *catarrhis* & *gutturis anguſtiæ* obnoxius, inter hiemem aſperrimam, de *rigida colli duritie* querebatur. Senſim increvit tumor ad tantam molem ut totum collum quaſi obduceretur, prorſus *impedita deglutitione*. Tandem *in latere ſiniſtro erumpit apoſtema*; e quo aperto ingens materiæ copia profluxit. Ingruit dein *febris continua* quæ poſt exhauſtas vires ægrum tandem ſuſtulit. Biduo ante mortem prodibat per foramen apoſtematis aliquid potulentæ materiæ cum biberet.

Secto cadavere, omnes cervicis muſculi erant corrupti; ut & œſophagus. Plurimum materiæ craſſæ & amurcoſæ hærebat circa muſculos, & œſophagum qui colli duritiem contrahere inceperat. HEURNIUS.

ARTICULUS II.

Cervicis muſculi ſecti.

OBS. 53. In cadaveribus variorum, ſupremæ curiæ judicio, *laqueo ſuſpenſorum*, in conſpectum veniebant craſſiores capitis muſculi, quos maſtoideos nuncupant, utrimque tranſverſim plane ſecti, extremis ultra pollicem ab invicem recedentibus: ſuperſtite duntaxat involucro, vel vagina membranacea. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

ARTI-

ARTICULUS III

CERVIX.

Cervicis tumores.

OBS. 54. In cadavere pueri decennis multos *tumores in collo* & *ſub axillis* geſtantis, & tandem *hydrope* extincti, occurrit meſenterium ſcatens magnis tumoribus & ſolitariis, materiam quamquam albam & pulti ſimilem, vel duriorem & calciformem foventibus. Haud abſimiles reperiebantur tumores, ad vaſa iliaca, pericardium, ſternum & diaphragma, ſupra aſperam arteriam ad jugulum, ad axillas, &c. aqua ſtagnante tum in thorace tum in abdomine. Tumores cervicis e pluribus minoribus ſibi incumbentibus conſtabant. Nonnullorum tunicæ cartilagineam duritiem mentiebantur: plures genuina erant atheromata. Omnium ſedes, vel glandulæ erant, vel adipoſi folliculi. CLAR. DE HAEN.

OBS. 54. (*a*) In cadavere cujuſdam qui *collum* habebat incurvatum, & *ad alterum latus inclinans*, reperitur in muſculo maſtoideo fere medio tumor ſcirrhoſus, undique ſui ſimilis, albus, ovalis, vaſculoſus; uno verbo ex materia in celluloſam telam muſculi effuſa compactus. CLAR. HALLERUS.

OBS. 55. Puer quinque menſes natus, nullo alio præcedente affectu, *ſubitanea ſuffocatione*, cum ſtridore, extinguitur.

Examini anatomico ſubjecto cadaverculo, deprehendebatur circa jugulum glandula ſtrumoſa unciam unam & ſemis pendens, vaſiſque vicinioribus hærens. PLATERUS.

OBS. 56. In cadavere viri cui *tumebat glandula thyroidea*, variis corporibus glanduloſis conflari videbatur prædictus tumor; quorum majora uvæ acinum referebant & laticem aquoſum continebant. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 57. In cadavere cujuſdam fœminæ, quæ *tumorem ſupra laryngem* geſtabat, glandula thyroidea partim ſcirrhoſa recondebat cyſtim, craſſa & alba tunica conflatam, atque humore flavo & lento ſcatentem. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 58. In corpore alterius mulieris *ſimili tumore* conflictatæ; animadvertebatur glandula thyroidea craſſiſſima dura & ſcirrhoſa. CLAR. MORGANUS.

In hoc tractu locum obtinent obſervationes Libr. I. 677. Libr. II. 154. 862. Vide inſuper *Viſcera ſcirrhoſa*. *Meſenterium ſtrumoſum*.

ARTICULUS IV.

Cervicis anevriſma.

OBS. 59. Quidam languidus & ineptus ad labores, pulſu veloci, ſuffocationibus obnoxius, *tumorem in cervice* geſtabat, qui cuti concolor ſenſim increverat, hinc aure & maxilla inferiori, inde clavicula terminatus, ſub digitis cedebat, *cum obſcura pulſatione*. Chirurgo ad ſectionem ſeſe accingente obiit.

Cuti remotæ, continuo tumor ipſe ſucceſſit membranaceus, celluloſus, pugno duplo major. Erat anevriſma carotidis, ſitum ſcilicet inter ſubclaviam & diviſionem carotidis. Ejus membrana craſſior induruerat,

CERVIX. rat. In ipſo ſacco aperto multum grumorum ſanguineorum fuit, quorum exterior pars & membranæ arterioſæ finitima in ſpongiam celluloſam abierat. Fluidi ſanguinis parum inerat. CLAR. HALLERUS.

OBS. 59. (*a*) Quidam ſex & quadraginta annos natus, poſt tuſſim ferinam, queritur de *tumore in parte antica & inferiori cervicis*, ſupra ſcilicet ſternum, Hic tumor cuti concolor & ad nucis juglandis magnitudinem accedens *pulſatione manifeſta* donabatur, alias doloris expers. Poſt plures menſes, morbo ſolitum incrementum ſumente, *hæmorrhagia enormi per tracheam* corripitur æger; & intra horæ minutum e medio tollitur.

Autopſia anatomica patet anevriſma in ſubclavia dextra ſub egreſſu ab aorta; cujus ſaccus tracheæ incumbens, binos pollices latus, & diſruptus in tracheam carie eroſam hiabat. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 60. Vir quadraginta annorum a quadriennio *gravi reſpiratione* laborabat. Huic tribus, circiter ante, menſibus apparuit *in ſiniſtra juguli parte tumor durus*, & doloris expers, qui ſenſim increſcens ad duorum pugnorum magnitudinem accedit. Ingruit febricula; collabuntur vires: pulſus celer & durus exploratur, & nonnunquam inæqualis. Caput dolet cum obſcuto delirio. Reſpiratio erat difficilis cum ſtertore, & voce quaſi fœminea. Tandem *impeditur deglutitio*, & obiit.

Tumor nil aliud erat quam anevriſma carotidis, etſi nulla erat pulſatio, plenum ſanguine partim fluido, partim concreto. Pulmones nigris maculis erant diſtincti. Dexter plevræ hærebat. Siniſter vero erat inflammatus. VALSALVA.

ARTICULUS V.

Tophus circa vertebras.

OBS. 61. Inſtituta cadaveris ſectione cujuſdam viri ſeptuagenarii, qui jamdudum *arthritide* conflictabatur, adeo ut præter artuum vulgatiſſimam læſionem, caput ad latera flectere minime poſſet, in propatulum veniebant tophi calciformes, circa cervicales vertebras; quæ ſcilicet hacce materia concreta impeditæ, cujuſvis fere motus erant expertes. PAVVIUS.

ARTICULUS VI.

Laryngis inflammatio.

OBS. 62. Quidam ante menſem a *rabido cane demorſus*, *hydrophobia* manifeſta corripitur. Febricitabat, delirabat & clamabat, ac tandem moritur.

Luſtrato cadavere, occurrit magna jecinoris pars livida; cum cyſti fellea, bile fuſca ſupra modum diſtenta. Diaphragma nonnullas inflammationis notas præ ſe ferebat. Pulmones tumidi nigricabant. Omnia corporis vaſa atro ſanguine turgebant. Laryngis & pharyngis facies interna nigricans, non modo inflammata, ſed gangrænæ proxima videbatur. Ventriculi cerebri ſerum ſubrubrum, non multum recondebant. MORGAGNUS.

ARTI-

ARTICULUS VII.

Laryngis obſtructio.

OBS. 63. In cadavere cujuſdam *aſthmatici* triginta annorum, qui perpetuo querebatur de *quodam impedimento in trachea*, quod tuſſi & ſcreatu expellere ſæpius conabatur; & *morte ſubitanea* ſublati; reperitur quidam polypus variis radicibus laryngi infixus & verſus glottidem obturamenti inſtar adactus; unde ſuffocatio inexpectata. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 64. Secto cadavere cujuſdam pueri duodecim annorum, jampridem *phthiſici* & *inexpectata morte* rapti, in propatulum veniebat intra laryngem corpus quoddam polypoſum & racemoſum, e tracheæ ſuperiori parte, pediculo unico & peculiari ortum trahens; & hinc fluitans; quo forte ad laryngem repulſo ſuffocationem obierat æger. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 65. Mulier octogenaria *ſpirandi & deglutiendi difficultate*, cum faucium ardore laborabat. *Sputa* erant cruenta & *purulenta*. Ingraveſcente demum ſpirandi difficultate interiit.

In tracheæ tergo, infra laryngem, tumor excreverat, ad magnitudinem avellanæ putrida refertus materia. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 66. Juvenis octodecim annorum *linguæ bubulæ fruſtulum* clam & feſtinanter ori injecit; unde ſtatim *vox ſublata*, cum *reſpiratione impedita*; ac brevi ſuffocatur.

Inventum eſt illud fruſtulum inter epiglottidem & laryngis rimulam, quod tam arcte laryngem obturabat ut vix manu eximi potuerit. BARTHOLINUS.

OBS. 66. (*a*) Secto puero *ſubitanea ſuffocatione* rapto reperitur nux avellana infra glottidem, ſub ligamentis inferioribus in ima cartilagine thyroidea, & ſuper oſtium tracheæ arteriæ hærens. CLAR. HALLER.

ARTICULUS VIII.

Laryngis ulcus.

OBS. 67. Virgo quadraginta annorum, jamdiu *aſthmatica*, voce quaſi deſtituta, tandem ingruente ferociori inſultu, de improviſo moriebatur.

Luſtrato cadavere, teſtibus duris & ſcirrhoſis aliquot incumbebant hydatides. Pulmones ſani deprehendebantur. Sed recondebat ulcus in larynge cum pure concreto, infra glottidem ſito, & laryngem in modum obturamenti occludente. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 67. (*a*) Inter ſectionem cadaveris cujuſdam fœminæ *voce ſubmiſſa*, vel *raucitate*, laborantis, reperitur dimidia pars epiglottidis ulceroſo tumore tacta, & partim eroſa. Præterea tria tubera eminebant in utero denſo ſanguine ſuffuſo, craſſa, ſcirrhoſa, rotunda, & membranis uteri intercepta. CLAR. HALLERUS.

OBS. 68. In cadavere cujuſdam juvenis *phthiſici*, per plures annos raucedine conflictati, præter ſolitam pulmonum ſtragem, reperitur laryngis interna facies ulcere fœtidiſſimo conſpurcata, cum carie cartilaginum. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

De hacce læſione mentio ſubjicitur in Libr. II. 767.

CERVIX.

ARTICULUS IX.

Tracheæ infarctus pituitoſus.

OBS. 69. Quatuor ægri *reſpirandi difficultate* premebantur, cum *levi febre*. Nulla erat tuſſis, nec ſputum, ſed ſpiritus frequens & parvus uſque ad obitum.

His diſſectioni anatomicæ traditis, inventa eſt pituita lenta, contumax, quæ inſtar membranæ aſperæ arteriæ erat obtenta, ut non eſſet liber exitus & introitus ſpiritui externo; hinc *ſuffocatio repentina*. BALLONIUS.

OBS. 70. Puella triennis ludens in hypocauſto *improviſo tuſſi ferociori* corripitur, qua brevi extinguitur.

Cadaver apertum exhibet inter annulum cartilagineum ſecundum & tertium, ſub larynge, pituitam quamdam craſſiſſimam magnitudine piſi, quæ in parte adeo impacta hærebat, ut ſumma vi illa arctius imprimi non potuiſſet. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

ARTICULUS X.

Trachea pure ſcatens.

OBS. 71. Vir quinque & ſexaginta annorum, *potator ſtrenuus*, *angina gangrænoſa* epidemica corripitur. Immani capitis dolore laborabat, cum pulſu exili & frequenti. Præter moleſtiſſimam *deglutiendi difficultatem*, accedit vomitus bilioſus, cum dejectionibus ejuſdem naturæ. *Febris* vigebat ardens, cum *æſtu pectoris* & *ſpirandi difficultate*, ac tertio die fatis ceſſit.

Corpore diſſectioni tradito, præter oris ſolitam ſtragem reperitur circa cartilaginem thyroidem pus fœtidiſſimum, quo conſpurcabatur tota trachea, uſque ad bronchia. Præterea pulmones aridi & corrugati deprehenduntur. E DIARIO MEDICO.

OBS. 71. (*a*) Puella novennis in *tuſſim* incidit, *ſpirandi difficultate* ſtipatam, cum dolore obſcuro circa tracheam, vel laryngem. *Vox* erat *clangoſa*. Sub hoc rerum ſtatu tuſſi ejicitur corpus quoddam membranaceum, quod pro exfoliatione membranæ tracheam ſuccingentis habetur. Tertio die occubuit.

Reſerata trachea oſtendit materiam quamdam pituito-purulentam, membranæ inſtar, ejus lateribus hærentem. CLAR. HOME.

ARTICULUS XI.

Sanguis effuſus in tracheam.

OBS. 72. Virgo tredecim annorum de *dolore gravativo circa ſternum* querula *tuſſi* moleſta, & *ſputo purulento* afficiebatur levi tamen ſpirandi difficultate; cum *inter prandium quidpiam in pectore diſruptum eſſe*, ſuffocari & ſe fatum inſtare, exclamat; atque poſt excretum paucum cruorem, ſuffocata e medio tollitur.

Reſerato pectore, patent pulmones plurimæ aquæ innatantes cruentæ. Scirrhoſum

ſum corpus ſe exhibebat in parte antica, caſtaneæ magnitudine, pulmoni, mediaſtino & diaphragmati hærens. Simile corpus plevræ cohærebat. Utrumque diſſectum glandulæ formam referebat. Pulmones paſſim purulenti & ulcerati conſpiciebantur; & trachea arteria ſanguine ſemi-concreto, qui ſuffocationis cauſa fuit, infarcta erat. Pericardium tumidum ſeri cruenti uncias ſexdecim continebat. Extima cordis ſuperficies panno lanuginoſo omnino ſimilis, corroſa videbatur. BONETUS.

Circa hanc læſionem. Vide *Bronchia ſanguine obruta*.

CERVIX.

ARTICULUS XII.

Trachea diverſimode obſtructa.

OBS. 73. Quidam *intemperanti cachinatione tres claviculos*, quos in uſum ſuum ore ſervabat per tracheam *in pulmones fortuito admiſit*. Illico *tuſſi ferociſſima* corripitur & in immanem *hæmoptoen* incidit. Interea ſedata titillatione poſt plures menſes melius ſe habens uxorem duxit. Die nuptiali, ſive a liberiori vini potatione, ſive a nimia ſaltatione, *horrendis ſpaſmis*, acutiſſimo *pectoris dolore*, *difficili reſpiratione* & *febre* corripitur, quibus poſt plures dies e medio tollitur.

Pars thoracis dextra pure ſcatebat. Plevra conſpiciebatur inſigniter craſſa & putrida; non ſecus ac membrana ipſius pulmonis. Paſſim occurrunt circa tracheam glandulæ viſcida & nigricante materia obſitæ: ſimilem materiam recondebant pulmones. In cavitate vero tracheæ, intra bronchiorum diviſionem inveniuntur claviculi, rubigine obducti & purulentia obſiti. TYSON.

OBS. 74. Puer ſeptennis oryzam juri carnium incoctam comedens, *oſſiculum deglutit*, quod a conſueto tramite deerrans, aſperam arteriam ſubit, illi impactum hærens. Hinc *dolor* punctorius, moleſtiſſimus cum *tuſſi* & *difficili reſpiratione*, imminente ſuffocatione. Omnibus incaſſum adhibitis remediis e medio tollitur.

Inter ſectionem cadaveris exemptum eſt os teres æreæ monetæ craſſitie, triplici angulo aſperæ arteriæ parietibus affixum. BONETUS.

OBS. 75. Quidam a ſeptennio *tuſſi* immani divexabatur, cum *difficili reſpiratione*, ejecto tandem inter vehementiſſimam tuſſim *putamine nucis avellanæ*, illico ſpiritum ducit commodius; & evaſit celerrime quod vitæ intentabatur periculum.

Inhæſerat autem hoc putamen, quod æquabat unguem humanum, circa caput aſperæ arteriæ; ut ſatis diſtincte indicavit æger. (Hæc tranſeat, mantiſſæ inſtar, hiſtoria.) TULPIUS.

OBS. 76. Puer ſeptimum ætatis annum agens incaute *fabam ſiccam deglutit*. Subito *maxima ſpirandi difficultate* corripitur, cum ſtertore. Primo cogitatur de faba hærente œſophago, ſed futilibus omnibus explorationibus, haud levis emergit ſuſpicio de obſtructo larynge. Intra biduum ſuffocatur.

Inſtituta cadaveris ſectione, faba reperiebatur in trachea, quæ facile ope bronchotomiæ fuiſſet extracta. E DIARIO MEDICO.

OBS. 77. Quidam immani *ſpirandi difficultate* premebatur. Non tamen tuſſiebat; nec excreabat; nullaque erant aſthmatis, nec orthopneæ ſymptomata; cum ſuperveniente *febre* vehementiori, illuc mittitur unde negant redire quemquam.

In propatulum veniebant varii lapides, & diverſæ figuræ, aſperæ arteriæ immediate incumbentes; adeo ut hominem præfocaverint. KERKRINGIUS.

OBS. 78. Vir ſex & triginta annorum jamdiu *phthiſicus*, morte repentina & inexpectata tollitur.

Inter diſſectionem cadaveris inveniebantur

CERVIX. tur pulmones exulcerati & pure infarcti. Trachea erat obturata fruſto rupti pulmonis, ita infixo ut tranſitum aeris plane impediebat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 78. (*a*) In cadavere puellæ decennis *vermibus* obnoxiæ, & *ſuffocatione* interemptæ, inveniuntur bini lumbrici in aſpera arteria, ad cordis ſedem, vel in principio pulmonis. Plures præterea occurrebant in ore & faucibus. CLAR. HALLERUS.

ARTICULUS XIII.

Trachea carie læſa.

OBS. 79. Virgini octodecim annorum proximiori *fulmine perterrita*, menſes ſubito ſufflaminantur. Inter varias ægritudines, hinc oriundas, erumpit *tumor in parte antica cervicis*, quem per decem annos geſtavit ſine magno incommodo; ſi excipias inter poſtremos annos *ſpirandi difficultatem*; qua ſenſim ingraveſcente decubitum averſatur ægra, ob ſuffocationis metum. Tandem ſubito, præter omnium expectationem, e vivis rapitur.

Glandula thyroidea, tumoris ſedes, ingens occurrit. Secta exhibet ſaccum hydatidibus fœtum. Denudata trachea, carie perforata reperitur: quod foramen, apicem minoris digiti excipiens, obturabatur ramentis membranaceis, dilaceratarum hydatidum reliquiis: quæ ramenta in cavo tracheæ prominentia & fluitantia ſarcoma quoddam pendulum quaſi referebant. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 80. Quidam ebrius *nucem caſtaneam* maximam, & integram *deglutit*, quæ medio œſophago hærens hunc obturat, & ſolidorum *deglutitionem* plane *præpedit*; haud ſine immani dolore, febre ſtipato. Accedunt convulſiones & delirium, nullo perſpicuo tumore, & libera reſpiratione. Sexto die, facie intenſe rubente, erumpit *hæmorrhagia narium*. Octavo *impeditur reſpiratio & urget tuſſis*. Decimo viribus deficientibus, omnia in pejus ruunt; & decimo nono obiit.

Cadaver cultro anatomico ſubjectum exhibebat in parte poſtica & ſuperiori tracheæ arteriæ, tumorem pure ſcatentem, qui deglutitam nucem recondebat. Trachea putredine læſa erat perforata; viciniores que œſophagi partes ſimili labe defœdabantur. EX ACTIS CHIRURG. PARISIENSIBUS.

OBS. 81. In cadavere cujuſdam juvenis *lue venerea* laborantis, occurrunt variæ exoſtoſes in facie interna cranii. Interiora tracheæ & laryngis latera paſſim carie læſa conſpiciebantur Pulmones deprehendebantur tuberculoſi, cum thimo putrido. Variæ inſuper conſpiciebantur in abdomine viſcerum læſiones, inter quas notatu digna occurrunt vaſa lymphatica, huc & illuc perreptantia, & nulla præparatione ſumme conſpicua. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

Vix abſimilem caſum exhibet obſervatio Libr. IV. 59.

ARTI-

ARTICULUS XIV.

CERVIX.

Laryngis & tracheæ tumores.

OBS. 82. Sectis variis *ſtrumoſis*, reperitur glandula thyroidea, nunc ingens & carnea, in cujus medio erat pinguedo alba & calloſa, & aliquid lapideum; nunc ejus dimidia pars tantum morboſa, quinque uncias longa, cujus involucrum craſſum recondebat carnem ſpongioſam cum ſubſtantia pingui, & lardi inſtar, ac nonnullis fragmentis oſſeis: nunc continens cyſtim, ovi gallinacei mole, in qua cernebantur flava materies, ſubſtantia cartilaginoſa, cum arenis tophaceis: nunc hydatidibus ſcatens, intermixtis nonnullis arenulis. CLAR. HALLERUS.

OBS. 82. (*a*) Juvenis triginta ſex circiter annis jamdudum *ſyphilide* laborans inter morbi ſymptomata de ſumma ſpirandi difficultate querebatur, quibus pergentibus e vivis diſceſſit.

Cadaver cultro anatomico ſubjectum exhibet oſſa fere cuncta carie eroſa, ſed præſertim vertebrarum corpora. Exoſtoſibus cranium defœdabatur, & cerebrum valde comprimebatur; glandulæ meſentericæ obſtructæ occurrebant, pancreas vero illæſum; glandula thyroidea tumens, erat extus ſubſtantia carnea, colore ſolito rubicundiore prædita, intus gypſeas concretiones recondebat. PORTAL.

OBS. 83. Vir quinquagenarius *difficili deglutitione* laborabat; qua ingraveſcente *vox amittitur*. Dolorem patiebatur haud levem in deglutiendo. Cibi portio in faucibus remanebat. Siniſtra dumtaxat glandula maxillaris indurata percipiebatur. Repente quaſi *ſuffocatus*, moritur.

Examini anatomico ſubjectum cadaver plures oſtendebat tumores in pharynge & in larynge, qui carcinomatis faciem referebant. VALSALVA.

OBS. 84. Introſpecto cadavere cujuſdam qui *ſtrumoſam* & monſtroſam *glandulam thyroideam* geſtabat, reperiebantur ſteatoma, atheroma & hydatides; materia purulenta, gluten, ſanguis coagulatus; corpus ſebaceum, calciforme, variæque & diverſæ ſortis aliæ materies quibus ſcatebat prædictus tumor. CLAR. DE HAEN.

OBS. 85. In cadavere juvenis qui *difficili deglutitione*, & *anhelitu*, laborabat, occurrebant tumores quaſi cancroſi, circa ſupremam laryngis partem & proxima pharyngis latera, qui tumores nonnullis in locis erant exulcerati. VALSALVA.

Traditis ſubnectere licet obſervationem Libr. II. 789.

ARTICULUS XV.

Œſophagus inflammatus.

OBS. 86. Inſtituta ſectione cadaveris cujuſdam juvenis, poſt *morſum a cane rabido hydrophobia* ſublati, inveniebatur œſophagus phlogoſi tactus. Tracheæ arteriæ facies interior nonnihil etiam rubens, nonnullas inflammationis notas præ ſe ferebat. Cyſtis fellea bile nigricante ſcatebat inculpato hepate. Cerebrum cum ſuis involucris, ſiccius & aridius videbatur quam ſolet. Vaſa demum in qualibet parte ſanguine fluidiſſimo turgentia annotabantur. EX ACT. PARISIENSIBUS.

CERVIX.

ARTICULUS XVI.

Œſophagus ſcirrhoſus.

OBS. 87. Vir quatuor & triginta annorum, per integrum annum de *dolore in ſcrobiculo cordis* querebatur, cum incidit in cibi faſtidium, maciem & debilitatem poſt ſe trahens. Accedit *deglutiendi difficultas*, cum dolore in parte inferiori regionis epigaſtricæ. Poſtea omnia bene ſe habere videbantur, cum ingruit *paroxiſmus nephriticus*, quem excipit lapidis ejectio. Interea perſiſtit deglutiendi difficultas, cum dolore circa orificium ſuperius ventriculi. Dein vomitu dejicit duo corpora polypoſa nonnihil putrida & magnitudine nucis piſtaciæ, ſuccedente dolore acuto in pectore. Poſt nonnullos menſes *dolore in hypochondrio ſiniſtro* conflictatur; quem brevi ſequitur fluxus *alvi* pertinaciſſimus, qui tandem jam macie confectum ægrum ad plures mittit.

Epiploon peritoneo hærens & inteſtinis, craſſiſſimum & ſcirrhoſum deprehenditur. Hepar extus tuberculoſum varios abſceſſus fovebat. Stomachus tuberculis albicantibus obſitus, in parte poſtica ſcirrhoſus, & ſteatomatoſus, diaphragmati arcte hærebat. Parum aquæ ſtagnabat in utroque pectoris latere. Pulmo ſiniſter diaphragmati accretus recondebat abſceſſum hiantem trans diaphragma in ventriculum. Pars inferior œſophagi craſſiſſima, ſubalbicans & ſcirrhoſa, nonnullis minoribus abſceſſibus ſcatebat. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 88. Vir ſexagenario major moleſtiſſima *deglutiendi difficultate*, multis abhinc annis laborabat. Perſiſtente & increſcente morbo, tandem denegatis alimentis, ſenſim marcore conficitur; viribuſque quaſi exhauſtis fame enecatur.

Ventriculus & inteſtina plane inania deprehenduntur. Vaſa meſenterica ſanguine nigerrimo turgebant. Tumor ſcirrhoſus & calloſus inferiorem œſophagi partem occupabat, non ſecus ac oſtium ſuperius ventriculi, quod hinc obſtruebatur. Cyſtis inſuper fellea, triplo major, bilem atram & glutinoſam recondebat. DEIDIER.

OBS. 89. Mulier triginta annorum, *inſultibus epilepticis* obnoxia, inter imbriferam tempeſtatem *angina* correpta eſt, quæ ſenſim *deglutiendi facultatem ademit*, tumore circa jugulum manifeſto. Per ſex ſeptimanas cliſteribus nutrientibus ſuſtentata eſt.

Principium gulæ quod excipit pharyngem, ſcirrhoſum & cartilaginoſum deprehenditur, & ita obturatum ut ejus cavum nulli ſtylo pervium fuerit. STOFFELIUS.

ARTICULUS XVII.

Œſophagus cartilagineus.

OBS. 90. Virgo quinque & quinquaginta annorum, vitreæ valetudinis, jam pridem *deglutiendi difficultate* laborabat; qua ſenſim ingraveſcente nil amplius ingeritur, ſi excipias nonnullas juſculi vel aquæ guttas; adeo ut denegata alimonia ſenſim macie conficeretur; fruſtra injectis enematibus nutrientibus, ac poſt ſex elapſos menſes, inter haſce anguſtias occubuit.

In propatulum venit œſophagi principium induratum, craſſius & calloſum; annulum ſcilicet cartilagineum mentiens. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS.

CERVIX.

OBS. 91. Quidam conſiſtentis ætatis *deglutitionis difficultatem* patiebatur, cum *dolore* gravativo *ſub mucronata cartilagine*; nullo tumore in faucibus conſpicuo. Pergente & ingraveſcente morbo ſenſim contabeſcit, ac tandem ſupremum diem clauſit.

Diſſecto cadavere, tribus ſupra os ventriculi digitis, œſophagus a cartilagine annuliformi, exiguo foramine prædita, ab ipſomet tubo enata, obturatus deprehendebatur. BECKERS.

OBS. 92. Fœmina jamdiu *deglutiendi difficultate* tenebatur. Stylus ex oſſe baleniæ confectus, in œſophagum intruſus, invenit circa claviculas obſtaculum quod nullo modo ſuperare potuit; adeo ut nullis ingeſtis alimentis, poſt plures menſes, fame enecta, obiit.

Celebrata corporis ſectione, in conſpectum veniebat œſophagus cartilagineus & dorſi ſpinæ accretus. E MISCELL. CURIOSIS.

De hacce læſione. Vide etiam *Œſophagus ſcirrhoſus*.

ARTICULUS XVIII.

Œſophagus tumore compreſſus.

OBS. 93. Virgo quadraginta annorum per plurium annorum decurſum variis ægritudinibus, & præſertim *phthiſi* conflictabatur. Cum melius ſe habere videbatur in *deglutiendi difficultatem* incidit, quæ ſenſim ingraveſcens febrem lentam comitem habet. Poſt annum unum & dimidium neceſſe fuit ut juſculum per ſyphonem injiceretur. Sub hoc rerum ſtatu *ſubito inter loquendum ſuffocata* interiit.

Reperiuntur glandulæ thyroideæ, ſub muſculis colli, tumefactæ & induratæ, ac ita protenſæ ut œſophagum circumcingerent; qui præterea ſcirrhoſus & ſex lineas craſſus animadvertitur. In ea vero œſophagi parte, quæ nono tracheæ annulo ſubjacet aderat tumor atheromatoſus, ovi gallinacei magnitudinem æquans, canalem omnino obſtruens. MANGETUS.

OBS. 94. Cuidam mulierculæ paulatim ſuccrevit humilis & latus *tumor*, firmiter *inſidens lateri aſperæ arteriæ*, paulum ſupra jugulum. *Difficilis fit reſpiratio & impeditur deglutitio*; adeo ut gula præter nonnullas lactis guttulas vix quidquam amplius tranſmiſerit. Hinc atrophia, quæ mortem poſt ſe trahit.

Diſſecto cadavere offenditur tumor, ad inſtar carcinomatis, colore lividus, radicibus diffuſus per quamcumque colli partem quo tam arcte premebatur gula ut vix ſpecillum ferreum admitteret. Inſuper occurrit arteria cervicalis tam ampla, ut facillime recepiſſet duos digitos; ſed plane vacua. TULPIUS.

OBS. 95. Quidam, elapſis ſex annis a violenta *epigaſtri contuſione*, ex ictu calcis equini, *ſanguinis ſputo* aliquandiu ſtipata, in tuſſim catarrhalem incidit cum inſigni *deglutiendi difficultate*. Tum tumebat epigaſtrium cum dolore æſtuante & moleſtiſſimo; quibus pergentibus, vires ſenſim collabuntur & accedit lethum.

Cadaver examini anatomico traditum exhibebat glandulas tumidas circa œſophagum, cujus cavitas ab harum compreſſione ferme oblitterabatur. MAUCHARD.

His addere licet obſervationes Lib. I. 1022, 1580, 1581. Libr. II. 144. Vide Præterea *Tumores interni pectoris*.

CERVIX.

ARTICULUS XIX.

Œſophagus tumore obturatus.

OBS. 96. Vir ſex & quadraginta annorum, pluribus abhinc menſibus, de *dolore hypochondrii dextri*, & ructibus acidis conquerebatur, cum accedit *deglutiendi difficultas* a quodam obice, uti videbatur, in parte infima œſophagi. Dein ingruunt *tuſſis*, cum *ſpirandi difficultate*, febris lenta & ſudores nocturni. Interea plane deficit appetitus, urget orthopnæa; & ſuffocatus obiit.

Thorax continebat ſeri ſubflavi libras duas. Glandulæ bronchiales juſto majores reperiebantur. Pulmonis dextri ſuperficies tuberculis duris & nonnihil purulentis, quorum majora ad nucem juglandem accedebant, erat exaſperata: demum ſecto œſophago in conſpectum venit tumor e variis tuberculis coagmentatus, & prope orificium ventriculi ſitus. E DIARIO MEDICO.

OBS. 97. Mulier jamdudum decumbens maxima *deglutiendi difficultate* angebatur, cum ſit intenſiſſima. Aucta gulæ anguſtia, vix quid liquidi in ventriculum immiſit. Tandem ad extremam perducta maciem, poſt octennium, extincta eſt.

Introſpecto cadavere, occurrit in ventriculi orificio ſuperiori ſcirrhus pugni magnitudinem excedens, ſubſtantiæ œſophagi innatus, quo plane obturabatur ductus. Inſuper meſenterium, pancreas, hepar, &c. labe ſcirrhoſa etiam tacta deprehendebantur. COITERUS.

OBS. 98. Vir ſex & quinquaginta annorum in tantam incidit *deglutiendi difficultatem* ut omnis fere denegaretur tranſitus ſolidorum & potulentorum. Fruſtra omnibus tentatis remediis, poſt annum & dimidium, fame & maraſmo confectus, nulla adveniente febre, interiit.

Reperiebatur quoddam tuberculum in media œſophagi parte, eo latere quo tracheæ arteriæ adjacet ſitum, non admodum magnum; ſed cancroſum, lividum, ſanioſum cum vaſis varicoſis. MANGETUS.

OBS. 99. Quædam fœmina inter paſtum *ſpinam cyprini incaute deglutit*, quæ parte ſuperiori œſophagi infigitur; unde *deglutiendi difficultas*, quæ ſenſim increſcens; tandem omnem aditum præcludit alimentis: hinc miſella ægra poſt quatuordecim menſes fame enecatur.

Luſtrato cadavere, reperitur tumor ſarcomatoſus, albicans in œſophago, hac mole plane obturato; nullo remanente ſpinæ veſtigio. EX ACT. PARISIENSIBUS.

OBS. 100. Vir conſiſtentis ætatis, vino deditus, vomitu corripitur, vel potius *deglutiendi difficultate*, cum alimenta ſub ingreſſu ſtomachi repellerentur. Hic morbus pertinaciſſimus, nulli remedio cedens, brevi debilitatem & maciem poſt ſe trahit, tandem maraſmo confectus obiit.

Inveniebatur in œſophago prope orificium ſuperius ſtomachi, tumor durus & glanduloſus, quo plane obturabatur hic ductus. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 101. In cadavere mulieris, cui *deglutitio impediebatur*, occurrit tuberculum ingens & durum, quo os ventriculi obturabatur; adeo ut quidquid aſſumebatur, attracto ore ventriculi, mox remearet atque redderetur. FERNELIUS.

OBS. 102. Secto corpore cujuſdam qui poſt curatum ulcus œſophagi venereum, *deglutiendi difficultate* torquebatur; reperitur caruncula quæ deglutitionem cum dolore difficilem reddidit. RHODIUS.

ARTI-

ARTICULUS XX.

CERVIX.

Ulcus pharyngis & œſophagi.

OBS. 103. Virgo triginta annorum poſt inſultum catarrhalem ferociſſimum, orthopnæa ſtipatum, de *dolore & æſtu faucium* querebatur, cum nonnulla *deglutiendi difficultate*. Hunc morbum congruis præſidiis victum excipiunt dolores per totum corporis habitum, pro aeris conſtitutione, nunc mitiores, nunc acerbiores. Anno ætatis quadrageſimo, ſufflaminatis menſibus, evaneſcunt prædicti dolores: ſed recurrit *faucium ardor*, cum dolore & inflammatione, ac *deglutiendi difficultate*. Poſt varias remiſſiones & innumera præſidia cujuſvis ſortis, tandem obiit.

Reperiebatur in œſophago pone cartilaginem cricoidem ulcus in tracheam eroſam hians. Œſophagus præter ulcus latiſſimum, varias glandulas ſcirrhoſas exhibebat, cum nonnullis cicatricibus quæ ductum conſtringebant. E DIAR. NOSOC. MILITAR.

OBS. 103. (*a*) Vir, cui inter *deglutitionem potionum pars per nares redibat*, ſubitanea morte quaſi ſuffocatur.

Luſtrato corpore reperitur ulcus ad altiores pharyngis partes, quod ad poſteriora naſi foramina ſe perduxerat. Siniſtri pulmonis ſuperior lobus, durus & magna ex parte corruptus, deprehenditur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 104. In cadavere cujuſdam viri triginta annorum ob omnino fere *denegatam deglutitionem* fame enecati, reperiebatur ulcus ingens cancroſum quod totam gulam occupabat. LINDENIUS.

OBS. 105. Cultro anatomico tradita cadavera variorum *ſyphilide* extinctorum, exhibebant exulcerationes, tum in œſophago, tum in trachæa. SEVERINUS.

ARTICULUS XXI.

Œſophagus perforatus.

OBS. 106. Nobilis quinquagenario major, triduo poſt epulas lautiſſimas, moleſtiam in ore ventriculi patiebatur, quam leniebat vomitus, inter cujus niſum ſubito clamorem horrendum edit, de quadam diſruptione ut dilaceratione quærulo. Pergente morbo ſummis cruciatibus indeſinenter torquebatur. Interea exacerbati *dolores* ſyncopem minantur: nulla erat febris, nec tuſſis, nec ſpirandi difficultas. Quemvis corporis motum prohibebat dolorum vehementia, vix unquam de ſumma acerbitate tantillum remittentium. *In ipſo tempore* prope diaphragma primo ſedem habere videbantur, qui dein ad dorſum & ad totum pectus propagabantur. Tandem vires deficiunt, & ſuccedentibus horrendis ſymptomatibus ſuffocatus obiit.

Nil notatu dignum occurrit in abdomine; ſed prima pectoris vel plevræ ſectione magna proſilit aeris copia. Inculpati deprehenduntur pulmones, non ſecus ac cor: ſed exhalat, e pectore inſignis & inaſſuetus nidor prodiens e quodam latice putrido, cui innatabat poſtica utriuſque pulmonis pars; qui humor ad ſex libras accedens minime diſcrepabat a materia in ventriculo contenta. Nitide expurgato corpore patet œſophagus tranſverſim diſruptus prope diaphragma. BOERHAAVIUS.

OBS. 106. (*a*) Juvenis decimum ſeptimum ætatis annum agens *hæmophthiſim* immanem patiebatur: dein ſputa excreabantur purulenta. Poſt remiſſionem duorum menſium erumpit *ſanguis e naribus* majori ſane proventu. Pluries recurrente hac hæ-

CERVIX.

morrhagia, de *æſtu* intolerabili *in orificio ſiniſtro ventriculi* queritur cum *læſa reſpiratione*, & difficili decubitu in latus dextrum. Quibus perſiſtentibus tandem migravit ad Superos.

Vaſa ſtomachi, omenti & meſenterii ſanguine plus æquo turgebant. Pulmones pleuræ adnati tuberculis purulentis ſcatebant. Œſophagus prope ventriculum eroſus & perforatus conſpicitur. Stagnabat demum materia ſanioſa & purulenta in cavo pectoris dextro. EX ACT. PHYS. MED. GERMANIÆ.

Hujuſce læſionis exemplum præbet obſervatio Lib. II. 334.

ARTICULUS XXII.

Œſophagus putris & ſphacelatus.

OBS. 107. Cuidam juveni, inter cœnam *oſſiculum in gula* remanſit. Variis inſtrumentis incaſſum immiſſis, ita exacerbatur dolor ut nil amplius deglutire poſſet. *Tumet collum*: ingruit *febris*: *reſpiratio difficilis* evadit: ac tandem obiit.

Œſophagus cum vicinis partibus, eo præſertim loco ubi oſſiculum infixum fuerat, plane ſphacelatus cum maximo fœtore invenitur. Oſſiculum vero nullum deprehenditur; quod forte per ſuperiora, una cum alimentis rejectum, vel ad inteſtina delapſum fuerat. FABR. HILDANUS.

Pro affinibus haberi debent obſervationes Lib. I. 396. Lib. II. 766, 767.

ARTICULUS XXIII.

Œſophagus ſumme dilatatus.

OBS. 108. Secto cadavere cujuſdam viri *voracis* & *famelici*, deprehendebatur œſophagus in thorace mirum in modum dilatatus; adeo ut ſingularem quaſi ventriculum conſtitueret. Rugoſa annotabatur hæc cavitas, & materia lenta ex albo flaveſcente obducta. Ab hoc pſeudo-ventriculo per orificium ſumme anguſtum tranſitus erat ad duorum tranſverſorum digitorum diſtantiam in ventriculum verum, cujus conſtitutio erat naturalis. BLASIUS.

ARTICULUS XXIV.

Œſophagus diviſus.

OBS. 109. In cadavere infantis quinque annos nati, cui *deglutitio* fuerat *difficilis*, in propatulum veniebat œſophagus a prima coſta ad ſextam diviſus; adeo ut materiæ deglutiendæ hic duplex daretur via. BLASIUS.

OBS. 110. *Haud abſimilem œſophagi conformationem* exhibebat corpuſculum infantis recens nati, cultro anatomico ſubjectum. BLASIUS.

AR-

ARTICULUS XXV.

CERVIX.

Œſophagus inſtar muſculi carnoſus.

OBS. 111. Inſtituta ſectione cadaveris cujuſdam monachi *duo cornua geſtantis*, qui cum maxima voluptate *ingeſta rumina re* ſolebat, in propatulum veniebat œſophagus undequaque carnoſus & craſſus inſtar muſculi. RHODIUS.

De trachea oſſea. *Vide* obſervationem Lib. II. 944.

De trachea nigra fuligine obducta. *Vide* obſervationem Lib. II. 284.

SECTIO TERTIA.

DE THORACE EXTERNO.

ARTICULUS I.

Cutis aduſta a fulmine.

OBSERVATIO 112. Examini traditum cadaver cujuſdam viri *fulmine tacti*, & illico enecati, varias ambuſtionis notas exhibebat circa ambitum, præſertim in cervice & pectore. Cutis in locis aduſtis tota dura & contracta & quaſi cornea deprehendebatur. Subjacentes vero muſculi erant intacti. Nullæ etiam annotabantur læſiones in pulmonibus, corde, aliiſque viſceribus. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

THORAX EXTERNUM.

Haud abſimilem caſum exhibet obſervatio Lib. II. 458.

ARTICULUS II.

Mammæ cancroſæ.

OBS. 113. Nobilis matrona levem *contuſionem* patitur *in ſiniſtra mammilla*, quam doloris expertem neglexit. Hinc emergit tumor indolens, e quo ſucceſſu temporis prodeunt plures puſtulæ cancri exulcerati faciem induentes. Tandem miſellam ægram ad libitinæ rationem duxit hic morbus contumaciſſimus.

Secta mamma exhibebat carnem duram, admodum nigreſcentem; ſed non omnem putridam. In utero diſſecto invenitur materia alba lapidefacta; adeoque duriſſima, ut vix cultro hanc diſcindere licuerit. GARNERUS.

OBS. 114. Cadaver mulieris, quæ *cancrum alterius mamma* ab octennio geſtabat, ſex menſes ante obitum exulceratum, (baſis

THORAX EXTERNUM.

ſis tumoris coſtis, nonnihil tumidis & carioſis, hærens) materiam quamdam compactam, carneam, & quaſi cartilagineam exhibebat, adeo ut nullum glandularum, muſculorum, & adipis veſtigium cerneretur. PETIT.

OBS. 115. Sectis nonnullis mammis, quæ ob molem duram & inæqualem *proſcirrhoſis* habebantur, occurrebant cyſtis albæ, craſſæ & lacerabiles, quæ præter lympham copioſam, qua turgebant, alias exiguas hydatides pedunculi veſtigio omnino carentes continebant. CLAR. DE HAEN.

Huicce claſſi adſcribi debet obſervatio Lib. I. 632.

ARTICULUS III.

Mammæ oſſeæ.

OBS. 116. Quædam virgo jam ſeneſcens, continua *ſpirandi difficultate* premebatur, cum metu perpetuo futuri cancri in mammis, quæ *lapide duriores* videbantur. Licet multis adverſus hanc moleſtiſſimam læſionem pugnaret remediis, non potuit tamen fatalem a ſe mortis fatum avertere.

Poſt obitum, examini anatomico ſubjectæ mammæ, totæ oſſeæ reperiebantur, & tam duræ ut cultro quantumvis acuto diſcindi nequiverint. Tam arcte hæc oſſea materia cum ambiente cute concreverat, ut nullo negotio ab invicem ſeparari potuerint. Inſuper pectus aqua ſcatebat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

ARTICULUS IV.

Tumores externi pectoris.

OBS. 117. Vir quatuor & triginta annorum *phthiſicus*, *tumorem* mollem in dextro *oſſis ſacri* latere geſtabat, a quatuor circiter menſibus. Aperto tumore pus craſſum & impenſe flavum per tredecim dies exivit. Quinto die a ſectione *alius* patet *tumor in* ſupremo dextro *thorace* qui ſuperveniente diarrhæa colliquativa *retroceſſit*, pergente ſputo purulento. Poſt decem dies recrevit tumor, qui leviter apertus pus ſanioſum per quatuor dies fudit. Tandem deficiente appetitu, *ſubmiſſam vocem* edit, & *laborioſiſſime* ſub veſperam *reſpirat*. Dein pulſus oblitteratur & frigent artus: ac quintodecimo die a prima apertura occubuit.

Stylus immiſſus in ſinum thoracis, hinc verſus axillam, illinc ad colli vertebras iter oſtendit. Pulmo dexter plevræ hærebat circa ſinum, qui ratione illius coalitus in cavum pectoris minime penetrabat. Os ſacrum eroſum & carioſum annotatur; ſtylusque inductus ultra ſphitamæ longitudinem aſcendit, & ſine ulla reſiſtentia ſpecum vertebrarum intravit. Pulmones denique liveſcentes & ab omni purulentia liberi annotantur. CLAR. DE HAEN.

OBS. 118. Quidam ſex & triginta annos natus continua *dyſpæa*, *palpitatione cordis* & pulſus inæqualitate laboravit. Exurgit in parte antica & ſuperiori *pectoris tumor cum pulſatione*, qui ſenſim ad ovi gallinacei magnitudinem accedit; a cujus eruptione reſpiratio in dies fit difficilior; donec mors accedat.

Luſtrato cadavere reperitur in cavitate hujuſce tumoris præter carnem glanduloſam e diverſis lamellis confectam, ichor purulentus ad libram ſemis. Pulmones paſ-

ſim erant purulenti & pericardium ſicciſſimum. Animadvertitur in ventriculo cordis dextro polypus, vel excreſcentia carnea (concretio ſanguineo-lymphatica.) Juxta auriculam cordis ſiniſtram, cartilaginoſa quædam occurrit excreſcentia, nucis avellanæ magnitudinem ſuperans. BONETUS.

THORAX EXTERNUM.

Caſum ſimilis argumenti exhibet obſervatio Lib. II. 327.

ARTICULUS V.

Anevriſma externum.

OBS. 119. Vir ſeptem & quinquaginta annorum *rheumatiſmo ſcorbutico* obnoxius, *tuberculum* piſi magnitudinem vix æquans *in latere dextro pectoris* percipit. Cuti concolor tactui renitebat *cum pulſatione*. Senſim increſcens avellanam brevi ſuperat. Id mali contraxiſſe videbatur a *violenta ſternutatione*, cui obnoxius erat. Poſt annum *panis libralis molem aſſequebatur tumor*; & ſupra claviculam aliquantum aſcendebat. Tractu temporis tumor livet & nigricat, cum ſuperficie inæquali. Accedunt febris, diſpnæa, tuſſis moleſta, aliaque graviſſima ſymptomata. Tandem fragor in pectore ab ægro & adſtantibus ſubito auditur. Poſtea facilior fit reſpiratio; ſubſequente tamen die e vivis eripitur.

Inciſo cadavere occurrit anevriſma arteriæ thoracicæ ſuperioris cum duabus coſtis fractis & carioſis. Intra thoracis cavum penetrabat prædictus tumor foramine duos pollices lato. Plura obſervare non licuit. CLAR. LE CLERC.

OBS. 119. (*a*) Vir triginta annorum, robuſtus & vegetus, una cum equo præceps actus, paucis poſt diebus *tumore duro*, & *pulsante in regione ſubaxillari ſiniſtra* conflictatur; qui ſenſim auctus dolorem & ſtuporem brachii, *anheloſam reſpirationem*, cum inſigni præcordiorum anxietate, produxit. Per annum integrum miſeram vitam traxit, donec ingruente apoplexia raperetur.

Deprehendebatur arteria axillaris in anevriſma verum dilatata. Saccus anevriſmaticus ingens partim latebat, partim extus prominebat. Stratis quaſi carnoſis lamellatim diſpoſitis replebatur, adeo quidem ut liberum ſanguini iter relinqueretur. Tres coſtæ ſuperiores carioſæ deprehendebantur. CLAR. BAADERUS.

De hac re. Vide *Anevriſma cervicis*.

ARTICULUS VI.

Fractura oſſis ſterni.

OBS. 120. Quidam juvenis inter ludum metularum, *præceps delabitur* in ſilicem ingentem & acutum; quo fracto pectore *ſubito extinguitur*.

Cadavere examini anatomico tradito deprehendebatur fractura in oſſe ſterno, e qua varia emergebant fragmenta; quorum cuſpides dilaceraverant pericardium & ipſammet auriculam dextram; hinc ſanguinis uberrimus proventus in cavum pectoris. DUVERNEY.

Thorax externum.

ARTICULUS VII.

Oſſificatio cartilaginum.

OBS. 121. In omnibus fere cadaveribus eorum qui *octogeſimum ætatis annum* ſuperabant, etſi de nulla fere ſpirandi difficultate querebantur, occurrebant coſtarum cartilagines oſſium duritiem mentientes; adeo ut ſerra opus eſſet ad reſerandum pectus. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 122. In corporibus variorum *ſenio confectorum*, qui dum viverent *ſpirandi difficultate tenebantur*, cartilagines coſtarum in ſubſtantiam oſſeam induratæ deprehendebantur. PLATERUS.

OBS. 123. Luſtrato cadavere cujuſdam *ſenis*, qui *gravi aſthmate* diu laboraverat; in conſpectum veniebat cartilago mucronata, oſſeam duritiem mentiens. DIEMERBROECK.

ARTICULUS VIII.

Coſtæ luxatæ & fractæ.

OBS. 124. In variis cadaveribus *lue epidemica ſcorbutica* extinctorum in noſocomio Pariſienſi, qui dum viverent, de doloribus & impotentia artuum inferiorum querebantur, cum dolore capitis & acerbiſſimo gingivarum pruritu e quibus erumpebat ſanguis ſeroſus & acerrimus, & oris fœtore intolerabili, quibus addere licet varias maculas artus inferiores deturpantes & crebriores hæmorrhagias; reperiebantur coſtæ a connexione cartilaginoſa reſolutæ: Oſſa recurrebant paſſim carie læſa, præſertim in connexionibus ligamentoſis. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 125. Cultro anatomico ſubjectis cadaveribus nonnullorum qui *violentas cordis palpitationes* paſſi fuerant, in propatulum veniebant coſtæ, cordi proſpicientes, e propria ſede depulſæ & fractæ. FERNELIUS.

Exemplum luxationis coſtarum refert BONHIUS.

Inter affines recenſeri queunt obſervationes Lib. II. 432, 601.

ARTICULUS IX.

Caries coſtarum & ſterni.

OBS. 126. Vir quidam quadragenarius *lue venerea* jamdudum affectus, præprimis de ſummo in parte antica pectoris dolore querebatur, qui exacerbans intra noctem agripniæ diuturniori anſam dabat; atrophia membra interdum exſiccantur; ſuffocantur vires, & tandem vitam pertæſus animam efflavit æger.

Ad amphitheatrum cadaver delatum reſecui encephali; vaſa ſanguine turgida occurrunt; lympha in ventriculis ſtagnabat; quartus ſummam adeptus capacitatem turgebat liquore flaveſcente, licet liquor alios obruens ventriculos pellucidus eſſet: pectus liquamine nigricante defœdabatur; e ſuperficie pulmonum extima ſtillabat ſanies, qua conſpurcabantur bronchia paſſim exeſa; ſternum intus carioſum annotabatur,

tur, laminæ oſſeæ pure ſtagnanti valde a ſe erant diſſitæ, & plevram cui annexi erant pulmones velliebant. PORTAL.

OBS. 126. (*a*) Quidam ſeptuageſimum ætatis annum agens, catarrhis obnoxius, *obtuſo* quodam *dolore*, *verſus claviculam* dextram, jam menſes aliquot, laborabat. Accedit *febris* cum aliqua corporis debilitate, quæ die decimo quarto ab invaſione, ægrum inter *convulſiones*, e medio ſuſtulit.

Lien ſemi-putris reperitur. In thorace ſub integumentis communibus, ad finem muſculi ſerrati minoris antici, inter primam & ſecundam coſtarum legitimarum, abſceſſus erat, pure pauco & albo ſcatens, qui illæſa plevra, primam coſtam corroſerat, ac tranſverſim diſruperat. Dum vixit hujuſce abſceſſus indicium apparuit. Pulmonum ſubſtantia erat pure referta. In utroquo cordis ventriculo ingentes erant polypi. MONICHEN.

OBS. 127. Adoleſcens octodecim annorum immanem *pectoris contuſionem* patitur. Poſt ſex menſes, cum bene ſe habere videbatur, erumpit in parte antica *pectoris tumor durus* ab ſcrophulis parum diſcrepans; qui tamen non impedit quominus ſolitis fungatur muniis æger. Anno integro elapſo, de doloribus acerbiſſimis in parte prius læſa queritur, quibus decumbere cogitur. Accedens demum *febris acuta* brevi miſellum ægrum in orci fauces præcipitem dat.

THORAX EXTERNUM.

Inſtituta cadaveris ſectione, in conſpectum veniebant binæ coſtæ carie defœdatæ. DUVERRNEY.

OBS. 127. (*a*) Cujuſdam pictoris filia de graviſſimis *doloribus lumborum* querula, tandem incidit in moleſtam *inguinis fiſtulam*, quæ perenni ſuo curſu eouſque conſumpſit tenellum corpus ut tandem acceſſerit lethum.

Reperitur caries in coſta ſpuria, cujus proximiores carnes ab ichore eroſæ longam & anfractuoſam fiſtulam exhibebant quæ ideo omnem opem medicam claudebat. TULPIUS.

His ſubnectere licet obſervationes Lib. I. 1649. Lib. II. 136, 327, 367, 759, 845. Lib. IV. 119, 167, 171. Vide inſuper *Anevriſma pectoris*.

De Mammis ſtrumoſis. *Vide* obſervationem Lib. I. 1583.

SECTIO QUARTA.

DE ABDOMINE EXTERNO.

ARTICULUS I.

Umbilicus urinis pervius.

OBSERVATIO 128. Senex duorum & nonaginta annorum, poſt longas equitationes, *iſchuria* corripitur. Accedunt anxietates, nauſeæ, motus convulſivi, aliaque horrenda ſymptomata. Mors ſane inſtare videbatur, cum fortunato & inopinato eventu urina per umbilicum profluxit. Pluribus tandem elapſis menſibus, tabe confectus vitam cum morte commutavit.

ABDOMEN EXTERNUM.

Luſtrato abdomine occurrit ductus patulus e veſica ad umbilicum protenſus conum repreſentans, cujus baſis veſicæ hærebat & apex umbilico implantabatur. Veſica

ABDOMEN EXTERNUM.

ſica ſumme contracta, latera quatuor lineas craſſa, cum cervice protinus occluſa exhibebat. PORTAL.

Similem fere caſum ſiſtunt *Acta Medic. Pariſ. Diarium medicum.*

ARTICULUS II.

Hernia ventriculi.

OBS. 129. Mulier quædam viginti quinque circiter annis nata gravidationis tempus ſolitum inter anguſtias emenſa, doloribus in abdomine ſæviſſimis inter quos erumpit tumor in regione epigaſtrica prehenditur, quibus ſævientibus fœtum mortuum enititur, ceſſant in inſtanti dolores, ſed denuo cum convulſionibus, ſudoribus frigidis ſtipatis recrudeſcentes, lethum accerſunt.

Cadaver diſſectionibus noſtris anatomicis ſubditum, uterum & tubas ſanguine concreto turgentes exhibet; inteſtina colluvie ſanguinea inquinata occurrebant; & ventriculus prope cartilaginem xiphoideam inter fibras muſculares diaphragmatis ſeſe inſinuaverat; valde conſtringebatur, adeoque ejus pars maxima, in thorace erat locata, & alia in abdomine; prior vacua annotabatur, & poſterior aut pars ventriculi abdominalis ſanguinolenta colluvie turgebat. PORTAL.

ARTICULUS III.

Hernia umbilicalis.

OBS. 129. (*a*) Cuidam mulierculæ validus pedis *ictus in ventrem impingitur* inter rixas. Paulo poſt queritur de *dolore umbilici*, qui brevi tumet, & in tantam molem increvit ut capitis humani magnitudinem aſſequeretur. Hoc pondus moleſtiſſimum per plures annos geſtavit; cum tandem diarrhæa, febrem comitem habente extinguitur.

Secto abdomine & luſtrato tumore, in conſpectum venit ſaccus hernioſus, recipiens maximam inteſtinorum tenuium partem, colon fere integrum cum cæco; pylorum, cum portione ventriculi & duodeni. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 129. (*b*) Infans vix ſpiritum ducebat, cum jam *meconium evomeret*, poſtea lac & pultem, alvo plane ſicca. *Tumor* aderat *in umbilico*, pugni magnitudine; qui pro ſarcomate habetur, & novacula abſcinditur. Perſiſtente vomitu ingruunt convulſiones lethales.

Reperitur in abdomine magna copia congrumati ſanguinis. Inteſtina tenuia fœtida amurca repleta erant. Cæcum & colon quæ prima conformatione per umbilicum exierant, reſecta fuerant. Rectum vix calami magnitudinem aſſequebatur. E MISCELLAN. CURIOSIS.

ARTICULUS IV.

ABDOMEN EXTERNUM.

Hernia inguinalis.

OBS. 130. Viri ſexagenarii inter nives extincti luſtrato cadavere patet *ampliſſima hernia* in latere. Saccus e peritoneo oriundus, quaſi in duos loculos diviſus magnam inteſtini ilei partem comprehendit. Annuli patulus hiatus trium digitorum capax, a ventris cavea in ſaccum hernioſum inteſtina admiſit cum annexo meſenterio, funiculi inſtar duro & tenſo. Multus in imo ſacco fuſcus liquor fuit, qualis etiam in pelvi reperiri ſolet. CLAR. HALLER.

OBS. 131. In cadavere hernioſi erat *tumor* pugno duplo major *in inguine dextro*, quo diſſecto poſt cutem primum occurrit celluloſa tela, multis quaſi nervis aut tendineis fibris percurſa. Huic ſuberat peritoneum ſacci inſtar recondens ilei portionem cum ſuo meſenterio. Tres quatuorve annotabantur inteſtini flexiones. Nil omenti reperitur in ſcroto, nec teſtis, in inguine retentus in utroque latere. CLAR. HALLERUS.

OBS. 131. (*a*) In cadavere mercatoris viginti annorum, cui a biennio *hernia inguinalis* inculpate, geſta, triduo ante mortem, incarcerata fuit; ſaccus peritonei arcte cum integumentis externis concreverat. Omentum cum ſacco arctiſſime coiverat. Inteſtini ilei portio, dimidia ſuæ diametri parte intra herniam erat; reliqua ſui portione in abdomine. Gangræna ſaccum, & ipſum inteſtinum invaſerat. CLAR. DE HAEN.

OBS. 131. (*b*) Secto viro hernioſo & quadragenario, erat *hernia in utroque latere*. In dextro ſacco peritonei, duas uncias lato, qui ad teſtem uſque deſcendebat, & cum eo concreverat, adeo ut peritoneum a vaginali tunica ſeparare non poſſes; nil reperiebatur, etſi oſtium unciam latum inteſtina facillime recipere poterat. Altera hernia brevis & ſtrictior inanis quoque fuit. CLAR. HALLERUS.

OBS. 132. Fœmina quadragenaria a biennio *herniam* geſſit, quæ quoties prolabebatur, ſponte retrocedebat. Tandem ſtrangulabatur; & nihil proficientibus remediis, decimo morbi die obiit.

Saccus quatuor craſſis tunicis obveſtitus nullam e ſectione aquam fudit. Omentum prodigioſa portione cum ſacco concretum erat. Inteſtini vero ilei pars, in ſacco hernioſo intercepta, nullibi accreta deprehendebatur. CLAR. DE HAEN.

OBS. 132. (*a*) Secto *hernioſo* apparet ſaccum depreſſum per aliquot uncias ante vaſa ſpermatica, peritoneum linea craſſum. Continebat hic ſaccus omentum deſcendens ante vaſa ſeminalia, undique peritoneo adnatum. Inteſtinum hic nullum elapſum erat. CLAR. HALLERUS.

OBS. 133. In cadavere cujuſdam *hernioſi* quatuor & ſeptuaginta annorum, ab alio morbo extincti, ſaccus peritonei maximus recondebat portionem ſeſquipedalem ilei, ac inteſtinum cæcum cum ſuo vermiculari proceſſu, & quadam meſenterii portione. Aderat quoque omenti pars arctiſſime peritonei ſacco adnata. CLAR. DE HAEN.

Hunc ordinem ingrediuntur obſervationes Lib. I. 211, 214, 343, 416, 451.

ABDOMEN EXTERNUM.

ARTICULUS V.

Hernia femoralis.

OBS. 134. Fœmina octo & triginta annorum, quæ jampridem *herniam* femoralem patiebatur, incidit in vomitum, immanibus ventris torminibus ſtipatum, alvo remanente ſicca. Omnibus incaſſum tentatis præſidiis, ſexto a morbi principio die placide expiravit.

Ileum ſub ligamento inguinali detruſum efformabat herniam parvam. Tubus inteſtinalis ſuperior lividus niger & gangræ noſus conſpiciebatur. Portio inteſtini incarcerata, vicinioribus partibus firmiter accreta, magnam aſſumpti mercurii partem retinebat. CLAR. HASENOHRL.

ARTICULUS VI.

Hernia veſicæ.

OBS. 135. Fœmina quinque & triginta annorum jamdiu poſt caſum geſtabat duo *corpora extra vaginam propendentia*, unum ovo columbino magnitudine par, alterum mole minus & mollius. Majus in dies increſcens, foramine pervium, menſes ſolito tempore dimittebat. Poſtea *inſolitum quid circa vaginam anteriorem adparuit*, cum dolore, inflammatione, & *iſchuria*: ſequuntur puris effluxus & calculorum ejectio. Interea ſæviebat dolor & urina guttatim ſtillabat; accedente *ani prolapſu*. Ac demum imminente gangræna moritur.

Ventriculus ingens ad umbilicum uſque deſcendebat. Inteſtina tenuia ducebant ſua continuatione in corpus magnum propendens pudendis. Veſica e ſede dimota conſtituebat alterum corpus minus, extra prolapſum. Renes tres calculos recondebant. Hinc patet herniam eſſe inteſtinalem incumbentem in extra prominentem vaginam, & prolapſum veſicæ portione parva tumentis. CLAR. DE HAEN.

OBS. 136. Vir octogenarius a duodecim annis *hernia inguinali* laborabat, non ſecus ac *mingendi difficultate*, identidem recurrente, cum quaſi ſubito corripitur dolore gravativo in inguine, febre, vomitu & ſingultu. Tum innoteſcit affectus iliacus, quem brevi ſequitur interitus.

Examini ſubjecto cadavere reperitur veſica partim per annulum abdominalem extra abdomen depulſa in ſcrotum ſcilicet, cui arcte hærebat. EX ACTIS CHIRURG. PARISIENS.

OBS. 137. In cadavere viri quinque & ſeptuaginta annorum poſt *iſchuriam* pertinaciſſimam extincti, extus obſervatur tumor in inguine ſiniſtro, herniæ inſtar; qui ſectus nil aliud exhibet, quam ſaccum vacuum. Aperto abdomine, poſt accuratius examen, patet pars veſicæ extra ventris cavum, vel vera hernia veſicæ. EX ACTIS CHIRURG. PARISIENS.

OBS. 138. Quidam *hernioſus calculo veſicæ laborare videbatur*, qui tamen nuſquam deprehendi potuit, nec cathetere, nec candela.

Diſſecto mortui cadavere, reperiebatur veſica cum calculo unam ſcroti partem replens: altera inteſtini portionem recipiente. BARTHOLINUS.

OBS. 139. In cadavere cujuſdam *hernioſi*, affectu iliaco ſublati, occurrit in ſcroto non ſolum inteſtini portio; ſed etiam pars veſicæ continens quatuor lapides ad nucis avellanæ molem accedentes. EX ACTIS CHIR. PARISIENS.

Hanc ſeriem ſubit obſervatio Lib. I. 1241.

AR-

ARTICULUS VII.

ABDOMEN EXTERNUM.

Hernia uteri.

OBS. 140. Mulier *prægnans ad ſiniſtrum inguen* fortuito *percutitur*. Hinc emergit *tumor* qui brevi tempore *tantum incrementum* ſumpſit, ut nullo modo intra abdomen recondi poſſet. Tandem motus infantis tactu & viſu percipitur. Inſtante partus tempore tumoris inſtituitur ſectio, & extrahitur infans cum ſecundinis, ſalvus & incolumis: ſed mater poſt longam & laborioſam curationem lypothymia correpta fatis ceſſit.

Secto cadavere reperiebatur uterus ſanus, cum omnibus viſceribus plane inculpatis. SENNERTUS.

ARTICULUS VIII.

Uteri prolapſus.

OBS. 141. In quadam muliere octo & viginti annorum, poſt *partum laborioſum*, *corpus teres inſignis magnitudinis ad pudendum* ſe offerebat. Longitudinem ſpithamæ habebat. Partem ſuperiorem craſſiorem duplici ſpithama comprehendere vix licebat. Cogitatur de extirpatione; ſed tertio die ab eo quo ligatura prima injecta fuit, migravit ad ſuperos.

Aperto ventre uterus deſiderabatur, utpote qui totus inverſus extra corpus propendebat, teſtes intra ſui cavum continens. BLASIUS.

OBS. 142. Sæpius occurrunt *excreſcentiæ fungoſæ*, uteri prolapſum mentientes, quas ſe vidiſſe teſtantur, utero in ſuo ſitu inculpato, BARTHOLINUS, SCHULZIUS, &c.

ARTICULUS IX.

Vagina obſtructa.

OBS. 143. Virgo quatuor & viginti annorum, menſes nuſquam experta, *hypogaſtrium durum & tumidum* habebat. Tandem ab obſtetrice *atreſiæ* laborare deprehenditur. Vaginæ facta ſectione, immiſſus digitus in amplum cavum penetrat; & proſilit nigerrimi ſanguinis copia. Triduo poſt obiit.

Uteri ſtupenda moles & monſtroſæ tubæ tumorem una formabant, qui totum hypogaſtrium explebat; aqua turbida & fœtida in abdomine ſtagnante; quæ ortum habebat a variis hiatibus tubarum putridarum. Corpus ſolidum totam vaginam, cui arcte erat accretum, replebat. Porro ſupra hunc obicem erat portio vaginæ ita dilatata ut caput infantis capere poſſet, plena ſanie fuſco-nigra. Tubæ immenſæ & dilaceratæ eadem materia ſcatebant; non ſecus ac uterus pollicem in ſubſtantia craſſus. CLAR. DE HAEN.

OBS. 143. (*a*) Secto cadavere virginis cujuſdam vigeſimo circiter anno vitæ *morbo ignoto* demortuæ uterus ſanguinolentis concretionibus turgens occurrebat; ovaria erant.

ABDOMEN EXTERNUM.

erant ingentia, & tubæ Fallopianæ adeo flatu erant turgidæ ut adipiſcerentur volumen inteſtinorum tenuium; turunda ſanguinea obturabatur vagina, & ejus extremitas membrana *hymenis* adeo ſtricte erat clauſa ut vix aciculam recepiſſet; naturam cartilagineam clauſtrum virginale redolebat, quatuorque conis inter ſe connexis videbatur conflatum, repaguli inſtar, & ſic menſium cohibuerat fluxum.

An menſium ſuppreſſione defuncta ſit virgo, anatomicis penſitandum relinquimus?

OBS. 144. Inſtituta ſectione cadaveris cujuſdam fœminæ *lue venerea* affectæ, quæ *magnum corpus intra dilatatiſſimam vaginam*, ex qua vix propendebat, geſſerat, occurrit inteſtinum ileum utero arcte accretum, ope cujuſdam tumoris pugni magnitudinem æquantis; quod etiam per vaginam putredine exeſam, viam ſibi paraverat in ſinum pudoris; in quo latitans tumor nil aliud erat quam hernia inteſtinalis. BONETUS.

Haud abſimilem ferme caſum exhibet obſervatio Lib. IV. 135.

ARTICULUS X.

Fiſtula ad ventriculum pertingens.

OBS. 145. Quædam virgo, ineunte pubertate, de *dolore* vehementi *in hypochondrio ſiniſtro*, *tumido* queritur. Erumpit *abſceſſus*, e quo, tempore opportuno, educitur maxima puris copia. Ferruminato ulcere omnia bene ſe habere videbantur; cum paulo poſt recurrunt dolores cum ſuppurationis indiciis. Senſim ad crepaturam tumens abſceſſus aperitur cum fluxu materiæ purulentæ, immixtis alimentis & nonnullis fruſtis carioſis coſtarum. Remanet *ulcus fiſtuloſum*, per quod maxima ingeſtorum copia exitum ſibi parabat. Interea menſes fluebant: *alvus* erat *obſtructa* & perpetuo *urgebat fames*. Sub hoc rerum ſtatu miſellam vitam protraxit ad quadrageſimum ſecundum ætatis annum. Quo tempore ſufflaminantur menſes, deficit appetitus; & tandem macie confecta obiit.

Reperitur ſtomachus perforatus & hians in fiſtulam. Pylorus & inteſtina erant ultra modum conſtricta. Varia inſuper occurrebant ſteatomata in ſuperficie hepatis & lienis. VVINCHERUS.

OBS. 145. (*a*) Fœmina gracilis & ad ſenium accedens *febre tertiana* laborabat: incaſſum adhibitis cujuſvis ſortis remediis accedunt *vomitus* continui erumpente *tumore in hypochondrio ſiniſtro* ſub coſtis ſpuriis qui in ſuppuratum abit. Aperto abſceſſu defluxit pus cum materia ingeſtorum. Remanet fiſtula ad ventriculum pertingens, adeo ut quoties biberet ægra & in latus ſiniſtrum ſe inclinaret fluerent potulenta per ulcus apertum.

Poſt obitum ſecta; reperitur ventriculus ſumme contractus, & tuberculis duris prope arcum ſuperiorem exaſperatus, quorum nonnulla ad avellanæ molem accedebant. Ulcere perforatus hiabat in fiſtulam, cui hærebat. Pylorus ſcirrhoſus conſpiciebatur; cum inteſtinis inanibus & confractis. CLAR. SONYER DULAC.

Hujuſce læſionis exemplum præbet obſervatio Lib. I. 140. Vide inſuper *Ventriculus perforatus*.

ARTICULUS XI.

Sanguis effuſus intra muſculos.

OBS. 146. Luſtrato cadavere cujuſdam *hydropici*, qui quindecim dies ante obitum, ſubito correptus fuerat *dolore* acerbiſſimo *in latere abdominis*, nulla arte ſedando; cujus cauſa viſum & tactum plane fugiebat; ſectis muſculis abdominalibus reperitur, haud citra omnium admirationem, cavitas ampliſſima inter binos latiores muſculos continens libras duas & amplius, ſanguinis floridi & congrumati. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

ARTICULUS XII.

Abſceſſus muſculorum abdominis.

OBS. 147. Puella quatuordecim annorum quæ per triennium *cachexia* ad hydropem vergente laborabat, *febre* corripitur *cum alvi fluxu* pituitoſo. In abdomine manu contracto percipitur *tumor, circa regionem umbelicalem*; qui leviter compreſſus dolebat, cum quadam fluctuatione. Aperto abſceſſu *magna puris copia educitur*. Ægra tamen in pejus ruit, & quinto ab apertione die interiit.

Inventi ſunt abdominis muſculi in loco tumoris, circa partem ſiniſtram umbilicalem putres. Hepar ingens mediam thoracis partem replebat, repulſo diaphragmate. Pure demum & putrilagine omnia erant conſpurcata in abdomine. RIVERIUS.

OBS. 148. Vir quadraginta annorum jamdudum *febre quartana* laborabat, cum erupit e latere *ventris* ſiniſtro *tumor phlegmonodeus* ad ſuppuratum vergens, qui opportuno tempore ſectus ingentem fœtidiſſimi puris quantitatem reddidit. Per tres ſeptimanas, uſque ſcilicet ad obitum, fluxit hæc ſpurcities.

Ventre circa umbilicum inciſo, tanta copia puris putridiſſimi effluxit, ut de ejus collectione in abdominis cavum cogitarent adſtantes. Sed ulteriori ſectione deprehenditur cloaca inter muſculos tranſverſos & obliquos. VIERIUS.

Inter affines numerari debent obſervationes Libr. I. 909, 913.

ARTICULUS XIII.

Muſculi abdominales abſumpti.

OBS. 149. Quædam mulier gravida ob inordinatam victus rationem *in hydropem* incidit, protuberantibus ventre & artubus inferioribus. Poſtea de ardore intenſo conqueritur & fœtum mortuum exiguum peperit. Sequuntur inſignia *tormina*, ac demum mors.

Præter ingentem aquæ fœtidiſſimæ copiam, reperitur omentum putrefactum. Muſculi abdominales erant conſumpti, una

cum

ABDOMEN EXTERNUM.

cum peritoneo. Inteſtina occurrebant inflammata, cum ventriculo ſphacelato. Jecur demum admodum durum papulis refertum deprehendebatur. MANGETUS.

Huic adnectere licet obſervationem Libr. I. 1011.

ARTICULUS XIV.

Muſculi recti transverſim ſecti.

OBS. 150. Quidam juvenis triginta circiter annorum, *petaſorum opifex*, qui multis abhinc annis, inter ſuæ artis aſſiduos labores, *tabulæ crepidini abdomine incumbebat*, de quadam *incedendi difficultate* & *de doloribus imi ventris*, nonnihil tumidi querebatur. Tandem *febre* quadam epidemica correptus, octavo morbi die occubuit.

Luſtrato imo ventre reperiebantur bini muſculi abdominales recti tranſverſim ſecti; adeo ut horum pars ſuperior ad pollicem & ultra ab inferiori recedebat, ſuperſtite duntaxat membrana; ſimili fermemodo quo muſculos capitis maſtoideos, plures tranſverſim ſectos, integra vagina membranacea, in laqueo ſuſpenſis obſervavi. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

ARTICULUS XV.

Tumor cyſticus inguinalis.

OBS. 151. Cuidam in flumen antea per ſumma frigora delapſo indeque ægre erepto, erumpit *tumor in inguine*, quem celavit integro anni ſpatio. Pugni magnitudinem ſuperans *cruris dolorem & ſtuporem* concitat. Tumor erat durus, inæqualis & indolens, ac veluti ex abdomine natus. Anxietates, noctu præſertim moleſtas, patiebatur in abdomine. Alvus erat ſicca; urina parca & nauſea frequens cum raro vomitu. Tandem accedunt *animi deliquia*, quæ mortem poſt ſe trahunt.

Luſtrato cadavere invenitur prædictus tumor materia quadam ichoroſa & purulenta ſcatens, ex inguine continuatus per ſiniſtram pelvis partem, inter rectum & veſicam. Ren ſiniſter mole majus duas hydatides ad molem avellanæ accedentes exhibebat. CLAR. DE HAEN.

OBS. 151. (*a*) Quidam procerus & euſarcos geſtabat ab anno tumorem in inguine ſiniſtro, qui quatuor pollices habebat in majore diametro, cum febre & *ſtupore cruris*; etſi tumor erat valde indolens. De *anxietatibus* in abdomine, noctu ingraveſcentibus querebatur. Alvus erat dura; urina parca, cum nauſea & vomitu. Sub qua rerum conditione, dubitantibus medicis de tumoris ſede, accedunt animi deliquia & mors.

Prædictus tumor ichore, muco & materia quadam puriformi ſcatens, protendebatur in abdomen inter rectum & veſicam. CLAR. DE HAEN.

ARTI-

ARTICULUS XVI.

ABDOMEN EXTERNUM.

Proſtata tumens.

OBS. 152. Sanum puerum quinque annorum, *ulcus in inguine* invaſit. Id neglectum duxit ad *urinæ incontinentiam*, quæ ſibi relicta primum, inde acribus injectionibus tentata, manſit inſuperabilis. Sub hoc ſtatu tredecim fere annos languit donec ultimo acceſſit *febris hectica*; ſub qua ſitiebat, cibos faſtidiebat, acute febriebat, cum dolore capitis. Ingruit *diarrhæa*, cum æſtu in regione ventriculi & frigidæ deſiderio, pulſu debili & molli. Hanc excipiunt alvus ſicca & frigidi ſudores, mortis prodromi.

Ren ſiniſter magnus ſcirrho, taboque varius in parte exteriori conſpicitur. Ejus ſubſtantia pure expreſſis papillis ſtillante, ſcatebat. Dexter longe deteriori conditione fuit & penitus purulentus annotabatur. Vaſa urinaria pure defœdabantur. Proſtata vero erat tumens & ſcirrhoſa; ac penis ſphacelatus. Phymoſis erat perfecta adeo ut calculi inter craſſius præputium & glandem colligerentur. CLAR. HALLERUS.

OBS. 152. (*a*) Quidam ſexagenarius inter *uſum immodicum ſpiritus vini* ægre habere cœpit, tuſſivit & macilentus evaſit. Poſtea incidit in *iſchuriam veſicalem*, quæ cathetere ſolvitur. Tandem poſt dolorem illatum effluxit ſanguis loco urinæ: hinc reliquam manuum opem ſprevit. Subſequente demum glandis inflammatione ad fata deceſſit.

Veſica lotio turgebat. Hac ſecta ſcirrhus in ejus cervice magnitudine pugni comparuit; non intra veſicam, ſed loco proſtatæ & ſphinteris. Veſiculæ ſeminales tuberum enormium inſtar ſcirrhoſæ & induratæ inquirentibus obvenerunt. E MISCEL. CURIOSIS.

OBS. 152. (*b*) Miles quinquagenarius *tumorem in perineo* perſentiebat, qui brevi ad ovi gallinacei molem prominuit. Hinc dyſuria, ſtranguria & poſtremo *iſchuria*; omni denegato aditu catheteri. Mille cruciatus perpeſſus æger, tandem obiit.

Luſtrato cadavere nil aliud erat tumor quam glandula proſtata, in abſceſſum magnum, partim pure, partim ſanguine, plenum diſtenta. CLAR. BAADERUS.

OBS. 153. Septuagenarius nonniſi *catheteris ope urinam reddebat*. Tandem impedita catheteris immiſſione *ſpirandi difficultate* corripitur, & paulo poſt cum ſtertore moritur.

Veſicæ fibræ adeo creverant ut cordis lacertes figura & magnitudine referrent. Tumens proſtata ad pyri magnitudinem accedebat; & ex aſſiduo catheteris impetu phlogoſim ima parte conceperat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 154. Sexagenario major incidit in *colicam*, quam comitabatur *urinæ ſuppreſſio*. Irritis omnibus præſidiis accedunt vomitus, *ſingultus* & *convulſiones*, quibus decimo morbi die obiit.

Veſica inſtar capitis in immenſum extenſa erat & ſanguine ſeroſo referta. Glandulæ proſtatæ erant inſtar pugni tumefactæ, cum maxima duritie. DOLÆUS.

OBS. 155. Inſtituta ſectione cujuſdam viri ſexagenarii *iſchuria veſicali* ſublati, reperiebatur proſtata tumens, & quaſi cartilaginoſa. CLAR. MORGAGNUS.

In harum numero adſcribi debet obſervatio Lib. I. 1308.

ABDOMEN EXTERNUM.

ARTICULUS XVII.

Ulcus proſtatæ.

OBS. 156. Quidam per decennium *ſtranguria* virulenta vexatus, tandem ex *ſuppreſſa urina*, fruſtra tentata catheteris immiſſione, interiit.

Secto cadavere reperitur veſica ultra modum diſtenta. Proſtata præter naturam tumebat & ulcere afficiebatur. PARÆUS.

OBS. 157. In corporibus variorum *gonorrhæa* laborantium, ulcera reperta ſunt in proſtatis; vel callum occurrit ulceris præteriti ſignum. BARTHOLINUS, SEVERINUS, &c.

ARTICULUS XVIII.

Cicatrices in uretra.

OBS. 158. Vir quinque & viginti annorum, poſt *gonorrhæam* virulentam pertinaciſſimam, & varia infortunia hinc oriunda, de compreſſu ſterili querebatur; ob *difficultatem ſemen emittendi*, cujus vibratio ſolita plane impediebatur. Poſt varia incaſſum adhibita remedia; tandem *febre acuta* prehenditur, quæ paulo poſt mortem accerſit.

Secta urethra, in conſpectum venit cicatrix in oſculis vaſorum ſeminalium ſemen eructantibus, quorum directio minime proſpiciebat extremo peni; ſed veſicæ. Hinc intercipiebatur ſeminis fluxus, quem promovere ſolebat prementibus digitis. EX ACT. CHIRURG. PARISIENS.

ARTICULUS XIX.

Teſtes ſcirrhoſi.

OBS. 159. Juvenis quinque & viginti annorum qui multis abhinc annis *contuſionem* paſſus fuerat in *inguine & teſte dextro*, de dolore in parte læſa queritur, quem excipit *tumor qui pro hernia inconſulto habetur*. Incrementum maximum ſumit hic tumor, admoto bracherio haud ſine noxa. Univerſus *venter durus* erat & *dolens*; ac tandem obiit.

Teſtis dexter molem capitis infantis biennis habens, inguen & ſcrotum replebat. Partim cartilagineus, partim ſteatomatoſus erat. Funiculus vaſorum teſti proſpicientium in informem maſſam abierat, qua fere replebatur univerſum hypogaſtrium. CLAR. DE HAEN.

OBS. 159. (*a*) Juvenis quinque & viginti annorum a *contuſione inguinis* & teſtis dextri immanes dolores cum partis affectæ intumeſcentia patiebatur. Senſim ingra-

graveſcente morbo tandem poſt ſexennium obiit.

Teſtis dexter molem capitis infantis biennis æquabat, cartilagineus & ſteatomatoſus conſpiciebatur. Teſti hærebat informis maſſa circa vaſa ſpermatica ad abdomen producta & fere totam pelvim & hypogaſtrium replens, & ipſummet pancreas attingens. CLAR. DE HAEN.

ABDOMEN EXTERNUM.

ARTICULUS XX.

Infarcta ſeminis receptacula.

OBS. 160. Quidam veneri plus æquo indulgens multis abhinc annis; tandem *caſtimoniæ* addictus poſt ſex circiter menſes inappetentia & nauſeis corripitur, quas excipit *inſultus epilepticus* ferociſſimus & lethalis.

Secto cadavere, nullum vitium nullibi inventum eſt præter ſemen virideſcens in cavo canalium veſicularum deferentium ſeminarium magna copia congeſtum. SAUVAGES.

ARTICULUS XXI.

Teſtes putridi.

OBS. 161. Quidam *contuſionem* patitur in *altero teſte*, qui paucis poſt diebus in *tumorem* attollitur, cum dolore vehementi & pulſatili. Fruſtra variis uſurpatis remediis ingruit gangræna, quæ brevi ad regionem umbilicalem propagatur. Die undecimo a primo infortunio obiit.

Scrotum capitis infantis magnitudinem aſſequebatur. Teſtis erat quaſi putridus, cum pure ad ſeptem uncias in ſcroto ſtagnante. Cremaſter inculpatus deprehenditur. Tunica albuginea variis in locis eroſa cernebatur. Vaſa ſpermatica, corpus pampiniforme, & annulus abdominalis cum proximiore inteſtino varias gangrænæ notas exhibebant; viſceribus alias ſanis. E MISCELL. CURIOSIS.

ARTICULUS XXII.

Teſtium defectus.

OBS. 162. Inſtituta ſectione cadaveris cujuſdam *ſtipatoris* laqueo ſuſpenſi, nulli deprehendebantur teſtes, nec in ſcroto, nec in abdominis cavo: veſiculæ tamen ſeminales debitam magnitudinem, & ſolitam formam præ ſe ferebant; nil alias notatu dignum occurrebat. CABROLIUS.

ABDOMEN EXTERNUM,

ARTICULUS XXIII.

Podex impervius.

OBS. 163. Puerulus cui *denegabatur anus* per decem dies vixit, nihil excernens, neque per anum, neque per virgam: unde *ventris inflatio*, & *vomitus excrementorum*.

Luſtrato cadaverculo nullus finis in inteſtinis reperiebatur: ſed ita cum veſica, ejuſque collo contuſa & annexa videbantur ut vix divelli & ſeparari ab invicem potuerint. GARNERIUS.

OBS. 163. (*a*). Examini traditum corpus pueri cui *podex clauſus* erat, exhibebat inteſtinum rectum longitudine novem digitorum tranſverſorum, ad podicem uſque firmiſſime, arctiſſimeque ad funis modum quaſi contortum, nullo plane meatu, vel hiatu conſpicuo; reliquis viſceribus ſecundum naturam conſtitutis. SCHULTZIUS.

OBS. 164. In cadavere infantis cui *claudebatur anus*, in conſpectum veniebat caro quædam quæ in ano altius increverat. Adeo ut inteſtini exitus percipi nullo modo poſſet; quo factum ut paucis diebus vitam finierit. BENEVENIUS.

OBS. 165. In cadaverculo pueri recens nati qui *nil egerebat* deprehendebantur in inteſtino recto laterum coalitus, & ſepta membranacea quæ fæcum exitum plane prohibebant. JESSENIUS.

His addere expedit obſervationes Lib. I. 498, 515.

ARTICULUS XXIV.

Oſſa pelvis fracta.

OBS. 166. Quidam operarius *poſt lapſum graviſſimum ab alto*, *impotentia crurum* corripitur, præter ecchymoſim latiſſimam, circa regionem iliacam, tumidam & phlogoſi tactam. Urinæ ſufflaminantur. Incaſſum adhibitis opportunioribus remediis decimo quarto morbi die fatis ceſſit.

Inferior pelvis facies purulentia erat conſpurcata: & annotabatur fractura in oſſe ilio, cum dilaceratione muſculi pſoas, & iliaci. DUVERNEY.

OBS. 167. Quidam, poſt immanem *contuſionem in regione hypogaſtrica*, in *impotentiam artuum* inferiorum incidit. Sufflaminantur urinæ, alvo manente ſicca. Febris excandeſcit; exacerbantur ſymptomata, & poſt menſem circiter occubuit.

In conſpectum veniunt oſſa pubis in plures partes fracta, cum variis muſculis dilaceratis, & maxima ſanguinis grumoſi effuſi copia. DUVERNEY.

ARTI-

ABDOMEN EXTERNUM,

ARTICULUS XXV.

Oſſa pelvis carioſa.

OBS. 168. Ruſtica quadraginta annorum *dolore* corripitur *circa iſchium ſiniſtrum*, quem ſenſim exacerbatum ſequitur *femoris, pediſque ſiniſtri atrophia*, cum *incedendi difficultate*. Urget dolor circa oſſis innominati regionem, cum *ſtranguria* moleſtiſſima. Pes ſiniſter graviter intumuit; cui medetur ſcarificationibus & fonticulo. Tandem viribus exhauſtis ad plures migravit miſella ægra.

Inveniebatur ovarium ſiniſtrum ingens continens aquæ uncias octodecim. Epiploon partim conſumptum annotabatur. Hepar & lien erant ſemi-putrida; ſimili ferme labe inquinabantur pulmones: ac demum os ilium carie læſum annotabatur. SPONIUS.

Pro affinibus haberi debent obſervationes Lib. I. 1649, 1684.

SECTIO QUINTA.

DE DORSO.

ARTICULUS I.

Fiſtula dorſi.

OBSERVATIO 169. Decenni puero *dorſum gravi baliſta contunditur*; hinc emergit *tumor* qui negligitur. Dein *tuſſi*, *gravi anhelitu*, debilitate, febribus, *ſputo craſſo & purulento* per ſexennium laboravit puer, qui cachexia & tabe conficitur. Tum a *ſecto dorſi tumore* meri *puris libra una*, & amplius, educitur; ac ſubſidet tumor. Pergit tuſſis moleſta, cum puris affluxu per vulnus. Accedit diarrhæa: dolet inguen dextrum ſine tumore. Tandem obiit.

DORSUM.

Immiſſo ſtylo in vulnus detegitur fiſtula ad infimam coſtam carie læſam pergens. Pulmones illæſi deprehenduntur, cum modica aqua in utroque pectoris latere. Exemptis abdominis viſceribus reperitur materia purulenta, intus & extus muſculis incumbens, quæ ad inguen pervenerat, & fere ad mediam coxam inter muſculos viam ſibi paraverat. CLAR. DE HAEN.

ARTI.

DORSUM.

ARTICULUS II.

Hernia dorſalis.

OBS. 170. Virgo quinquagenaria & robuſtiſſima, a biennio *tumorem circa anum* geſtans, qui ſenſim increſcens moleſtiſſimus fiebat, inter labores meſſis, ardente ſyrio, *ſubitanea morte* rapitur.

Luſtrato cadavere occurrit extus tumor quidam cyſticus portentoſus, qui ab oſſe ſacro totum femur poſticum decurrebat uſque ad poplitem; qui tumor ſectus exhibet majorem meſenterii & inteſtinorum partem. Aperto abdomine nulla fere conſpiciebantur inteſtina. Ventriculus regionem umbilicalem occupabat, pylore ad pelvim attracto. Portio tubi inteſtinalis in abdomine, extra ſitum naturalem contenta, varias inflammationis notas exhibebat. Aditus ſacci hernioſi inter anum & coxigem ſitus medium digitum facile excipiebat. PAPIN.

ARTICULUS III.

Abſceſſus dorſi, & lumborum.

OBS. 171. Vir quadraginta annorum variis per intervalla morbis, dolore ſcilicet capitis, *ictero*, viſcerum obſtructionibus, cachexia, ac poſtremo *dolore iſchiadico* per biennium laboravit. Donec tandem invaleſcente febre, & accedente *nephritide* extinguitur.

In cadavere hæc fuere obſervatione digna; nimirum omentum corruptum; tuberculum ſcirrhoſum inter cervicem veſicæ & inteſtinum rectum; ingens abſceſſus puris libras duas continens ſub muſculo pſoas ſiniſtro, cum carie trium vertebrarum; tumor ſcirrhoſus, ſuppuratus, inſtar ſteatomatis, duorum pugnorum magnitudine, ortus ab inferiori parte pancreatis; hepar ſcirrhoſum & purulentum; lien corruptus & calculoſus, pulmo inflammatus multis refertus tuberculis; apoſtema ſub ala dextra inter plevram & coſtas maximi pugni magnitudine, cum carie trium coſtarum, &c. FABR. HILDANUS.

OBS. 172. Quidam *lumborum dolore* diutiſſime affectus, nil conferentibus remediis, tandem diem ſuum obiit. Inter varia remedia, paulo ante obitum, *cauterium* femori quatuor digitis ſupra genu, affixum fuerat, *e quo ſingulis diebus fluebat pus ad unciam unam*, & amplius. Nuſquam potuit chirurgus conjicere undenam pus illud manaret.

Aperto cadavere, præter pulmonem purulentum, reperitur in lumbis ingens abſceſſus, e quo ad cauterium uſque inventus eſt canaliculus per quem puris quædam portio affluebat. CHOMEL.

In hoc ordine collocari debent obſervationes Lib. I. 586, 1125.

AR-

ARTICULUS IV.

DORSUM.

Tumores dorſi & lumborum.

OBS. 173. Puella per triennium miris agitabatur *convulſionibus*, quibus totum corpus contractum fuit, cum *doloribus atrocibus*, & perpetuis, mente ſana. Poſt nonnullam intermiſſionem omnia recrudeſcunt ſymptomata & ægram, anno ætatis duodecimo, e medio tollunt.

Nil notatu dignum occurrit in capite. Recluſo abdomine variæ annotantur in hepate grandiori hærentiæ morboſæ. Glandulæ meſentericæ materia quadam ſebacea turgebant: ſed invenitur corpus quoddam glanduloſum & cartilagineum, lumborum vertebris ita connexum ut nulla vi divelli potuerit. Hic tumor duos pollices craſſus & quinque latus, vertebras firmiter cingens, e pluribus corpuſculis diverſiformibus & racematim diſpoſitis, ſolidiori & aſperiori tunica concluſis, contexebatur. MANGETUS.

OBS. 173. (*a*) Cuidam poſt maximum dolorem erumpit *tumor ſub ſcapula*, non procul a dorſi ſpina ad decimam fere coſtam, qui tractantium manibus cedebat, & *compreſſus evaneſcebat*. Accedit febris lenta cum icterica facie; unde ſuſpicio de hepate vitioſo. Inciſo tumore adparuit magna vis ſanguinis inter muſculos coſtales effuſi, verum nempe anevriſma ſpurium. Ea nocte quæ inciſionem ſecuta eſt, hæmorrhagia & ipſa mors ingruit.

Luſtrato cadavere repertus eſt plurimus cruor grumoſus in ſacco morboſo, qui tamen cæcus & undique clauſus nihil cum alterutro ventre commercii habuit. CLAR. HALLERUS.

OBS. 173. (*b*) Sexagenarius *dolorem in lumbis* continuo *pulſantem a gravi contuſione* patiebatur. Oritur demum eodem in loco *tumor* ruber, non admodum dolens; quo diſrupto erumpit copioſus ichor fœtidus cum multis oſſium fragmentis. Pergente hoc fluxu dolor per totum dorſum ſe extendit, cum ardore moleſtiſſimo. Accedunt ſudores nocturni & horripilationes frequentes. Tandem poſt quinquennium inter haſce ærumnas fatis ceſſit.

Sinus invenitur inter dorſi & lumborum muſculos diverſæ amplitudinis & figuræ, cujus rami ad coſtas, plevram & ſcapulas extendebantur; cum carie vertebrarum. CLAR. STORCK.

Affinem caſum exhibet obſervatio Lib. I. 1679.

ARTICULUS V.

Medulla ſpinalis reſciſſa.

OBS. 174. Puella *exploſo ſclopeto* fortuito *in dorſo percutitur*: ſtatim reſoluta inferiore corporis parte, omni *denegato inceſſu*, facta eſt; & poſt viginti circiter dies interiit.

Inſtituta cadaveris ſectione patet globum plumbeum ſpinalem medulam diſrupiſſe, atque in corpore vertebræ ſubſtitiſſe. PLATERUS.

DORSUM.

ARTICULUS VI.

Spina bifida.

OBS. 175. Obſervabantur in infante nuperrime nato *bini tumores*, unus in *occipite*, alter in *ſpina dorſi*. Primus tactu mollis, colore fuſco, & multis pilis obſitus, nucem juglandem mole æquabat. Alter in ſpina dorſi, ovi anſerini magnitudinem habuit initium ſumens ab ultima thoracis vertebra tendens uſque ad os coccygis, inſtar fungoſæ carnis. Secundo a nativitate die ingruit *artuum inferiorum paralyſis*. Interea caput *hydrocephalo* afficitur; emergit tuſſis, cum ſpirandi difficultate & ſtertore. Accedunt denique *convulſiones lethales*.

Secto dorſi tumore duo aquæ limpidiſſimæ cochlearia effluxere. Vertebræ deformes & in utramque partem dilatatæ, quarum ſtructura depravata ſpinæ bifidæ, de qua Tulpius, tam ſimilis eſt quam ovum ovo. Medulla ſpinalis in liquorem limpidum reſoluta videbatur. Secto capite, reperitur in oſſe occipitis foramen rotundum ubi pericranium in tumorem elevabatur. Cerebrum continebat aquæ limpidiſſimæ uncias quinquaginta. LECHELIUS.

OBS. 176. In cadaverculo recens nati apparuit *tumor* mollis, nucem juglandem ſuperans, in *regione oſſis ſacri* prominens, qui ſpina bifida ab auctoribus vocitatur. Tegumentis & muſculis ablatis patet ſaccus e medullæ ſpinalis involucris prognatus. Foramen rhomboideum exhibebant vertebræ per quod exitum ſibi paraverat ipſamet, uti videbatur, ſubſtantia medullæ ſpinalis. Talem fere caſum vidit amicus noſter DEVVIND. PORTAL.

OBS. 177. Puella trimeſtris *tumorem* mollem, magnitudine ovi *ſupra lumborum vertebras* geſtabat, e quo diſrupto effluxit materia ſeroſa & purulenta. Tertio ab apertura die, convulſionibus correpta obiit.

Inveniebatur medulla ſpinalis plane denudata, deficiente poſtica parte duarum vertebrarum. C. BAUHINUS.

OBS. 178. In cadaverculo recens nati, cui erat ſpina bifida, vel *hernia ſpinalis*; deerat pars poſterior thecæ vertebralis in lumbis; hinc medullæ ſpinalis involucra, hoc repagulo deſtituta in tumorem humore quodam lymphatico turgentem abibant. CLAR. LECAT.

ARTICULUS VII.

Medullæ ſpinalis hydrops.

OBS. 179. Quidam *artuum ſtupore* & ſpaſmis levioribus tentabatur, ingraveſcit morbus cum tenſionibus dolorificis, quæ levantur motu continuo & verſatili in curru; vel lecto cum baſi arcuata, uti ſunt puerorum incunabula. Inter paroxyſmos ſudore & horrore torquebatur. Accedunt *cardialgia*, *fœtor oris* cum ptyaliſmo: alvus adſtringitur: ingruit *paralyſis*. Poſt duodecim annos inter haſce ærumnas tabe confectus obiit.

Omentum occurrit putre & fere conſumptum. Pulmones corrupti & materia ichoroſa per totum infarcti videbantur. Cerebrum & medulla ſpinalis copioſo ſero immergebantur. VVILLISIUS.

OBS. 180. Quidam *arthritide vaga ſcorbutica*

butica quinque menſes laborabat. Poſtea ingruunt alternatim *ſpaſmi horrendi*, & *membrorum reſolutiones*, *phreneſis* & *inſultus apoplectici*. Tandem viribus attritis fatis ceſſit.

Capite aperto, ventriculi omnes cerebri aqua limpida ad ſummum impleti, & quaſi diſtenti apparebant; imo & ſpina medullaris aquis immergi videbatur. Luſtrato pectore occurrunt pulmones vitiati cum ſtagnante colluvie ſeroſa. BONETUS.

OBS. 181. Puer lactans *tumorem* geſtabat *in lumbis pellucidum*; ac ſi aquam contineret, pugni magnitudinem æquantem; cum *debilitate artuum* inferiorum. Aperto tumore erumpit aqua ſubflava, ac tertio die obiit.

Luſtrato tumoris inciſi fundo manifeſte apparuit medulla ſpinalis, e cujus theca prodierat partitis vicibus major aquæ copia. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 182. Quidam ſartor qui ſe *vino* implere conſueverat, *aphonia* correptus, intra biduum mortuus eſt.

Multa erat aqua ſub tenui meninge. Loborum anteriorum cerebri ſuperficies obducebatur materia quadam ſanioſa. Theca vertebrarum aqua ſcatebat, quæ etiam parciori copia erat collecta in ventriculos cerebri. MORGAGNUS.

OBS. 183. Puer triennis *ophthalmia* & lippitudine frequenter laborans, per quindecim dies ſuſtinuit *convulſivos motus*; quos excepere *veternus*, & mors.

Apertum caput fontanellam oppido hiantem, & ſuturam coronalem ad naſum protenſam exhibuit. Cerebrum & medulla ſpinalis vaſto ſeri gurgite reſtagnabant. CLAR. MANGETUS.

OBS. 184. Mulier ſexaginta annos nata, ob *contractos artus* inferiores lecto affixa, cum aliquanto plura quam ſolebat ediſſet, *de improviſo oculos torquet*, atque ſtatim moritur.

DORSUM.

Inſtituta cadaveris ſectione aqua non multa reperiebatur in variis cerebri receſſibus, & circa medullam ſpinalem. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 185. Vir ſexagenarius *exſiccatis veteribus crurum ulceribus*, repente queritur de *ſumma capitis imbecillitate*. Die tertio delirabat: dein *paraliticus* evadit; & accedente ſtertore ad plures migrat.

Deprehendebatur aqua circa ambitum cerebri, in ventriculis, & in vertebrarum theca. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 186. Secto capite cujuſdam, qui dum viveret *tremori* erat obnoxius, animadvertitur ſerum vireſcentis coloris, cerebrum alluens; cujus portio in ſpinalem dorſi medullam erat decidua. BARTHOLINUS.

OBS. 187. Quidam inter ærumnas, *dolore circa renes* vexabatur, qui non raro ad alterutram coxarum pertingebat. Mortui ſecto cadavere, in propatulum veniebat hydrops medullæ ſpinalis. VVEPFERUS.

OBS. 188. In cadaveribus variorum *apoplecticorum*, & *epilepticorum*, magnam aquæ copiam in cerebri ventriculis, atque in ſpina dorſi vidit COITERUS.

Pro affinibus haberi debent obſervationes Lib. II. 18, 458. Vide inſuper *Colluvies ſeroſa cerebri*.

ARTICULUS VIII.

Vertebrarum caries.

OBS. 189. Cuidam ſutori juveni & robuſto erumpit, poſt *violentam contuſionem*, *tumor in lumbis* moleſtiſſimus, & cancri naturam redolens. Poſt varia incaſſum tentata remedia, tum topica, tum interna ferro abſcinditur. Tanto irruit proventu in

DORSUM. in hoc vulnus latex quidam lymphaticus, ut intra biduum æger conficeretur.

Deſiderabantur aphophyſes ſpinoſæ quatuor ultimarum vertebrarum lumbarium, adeo ut e denudatis medullæ ſpinalis involucris exſurgebat tumor. CLAR. LEGAT.

OBS. 190. Quidam tranſit flumen gelidiſſimum, & abhinc queri cœpit de *debilitate & tremore pedum*. Accedunt cum macie, vehementiſſimi *iſchii* & *abdominis dolores*; qui in dies magis ſævientes, tandem poſt quatuor menſes ægrum illuc mittunt unde negant redire quemquam.

Reperiuntur in meſenterio ſex tumores tunicati, pugnum adæquantes. Inteſtina ſubſidentia in lateribus latitabant. Materiam cineritiam, fœtidam & acrem continebant prædicti tumores; atque ſubjacentes lumborum vertebræ carioſæ & putridæ deprehendebantur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 191. Quidam juvenis *crapulæ & mero addictus*, in acerbiſſimos & continuos *renum dolores* incidit, cum febricula. Tandem emaciatus & doloribus confectus, derepente interiit.

Illæſi deprehenduntur renes; ſed duæ lumborum vertebræ corroſæ cernebantur. Proximior aortæ pars putredine tacta, diſrupta invenitur. Hinc maxima ſanguinis effuſio, ſubitaneæ mortis cauſa. AUBERTUS.

OBS. 192. Juvenis quindecim annorum, male conformato pectore, & *aſthmate* ab incunabulis laborans, tandem *phthiſicus* periit.

Dorſi incurvati vertebræ, numero quinque, carie læſæ, & in partes fractæ deprehendebantur præſertim ab interna parte; cum exulceratione poſticæ partis pulmonum. BLANCARDUS.

OBS. 193. In cadavere cujuſdam ſenis, qui per aliquot annos *dolore* continuo *circa regionem oſſis ſacri* vexabatur; reperiebatur in ea parte ubi bifurcatur vena cava abſceſſus ingens, cum carie oſſis ſacri. HILDANUS.

Hunc ordinem ſubeunt obſervationes Lib. I. 1636, 1649. Lib. II. 542, 781. Lib. IV. 117, 171, 174. Vide *Anevriſma*.

ARTICULUS IX.

Vertebrarum luxatio.

OBS. 194. Quidam poſt crapulam, graviſſimam *capitis contuſionem* patitur, caſu ab alto. Senſu & motu plane orbatus, quaſi *exanimis jacet* per duodecim circiter horas. Revocato animo, cum *reſolutis pedibus & manibus*, urina & fæcibus præter voluntatem fluentibus, de dolore in illa cervicis parte, quam nucham vocant, querebatur; non ſecus ac de cardialgia. Tandem octo elapſis horis obiit.

Vaſa cerebri ſanguine tumebant. Circa principium medullæ ſpinalis magna ſanguinis ſtagnabat copia. Quarta vero cervicis vertebra e genuina ſede erat depulſa. SCHMIT.

OBS. 195. Quidam ruſticus *ebrius*, ictibus graviſſimis *in capite percuſſus*, fuga ſuæ ſaluti conſuluit. Poſt nonnullas horas, prævia ſiti immani *convulſionibus* lethalibus corripitur.

Aperto capite reperitur ſanguis effuſus inter cranium & duram matrem, cum fiſſura tabulæ internæ cranii. Præterea occurrit luxatio primæ cervicis vertebræ, ita a ſecunda remotæ, ut pollex inter utramque admitteretur. SCHMIT.

ARTICULUS X.

DORSUM.

Vertebræ invicem ferruminatæ.

OBS. 196. Sectis tribus cadaveribus ſenum in quibus vertebræ lumbares, dorſi, & cervicalium perquam plures erant ferruminatæ, cartilagines perfecte naturales, tum conſiſtentia, tum colore occurrebant; membrana ligamentoſa qua obvelantur vertebrarum corpora valde erat indurata, imo oſſea; eadem obſervanda veniunt erga cartilagines coſtarum, naſi, &c. quæ licet primo intuitu in oſſeam ſubſtantiam permutatæ viderentur, ob membranam exteriorem quæ hanc naturam erat adepta; tamen ſanæ ſubtus explorabantur. PORTAL.

OBS. 196. (*a*) Inſtituta ſectione cadaveris cujuſdam ſenis, *octogenario* majoris, & *atrophia* confecti; in conſpectum veniebant omnes vertebræ lumbares cum inferioribus dorſalibus, & oſſe ſacro ferruminatis, & hinc cujuſvis motionis plane expertes. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

SECTIO SEXTA.

DE ARTUBUS.

ARTICULUS I.

ARTUS.

Muſculi exſiccati.

OBSERVATIO 197. Luſtrato cadavere cujuſdam vetulæ *diuturniori rheumatiſmo*, multis abhinc annis conflictatæ, & lecto affixæ ob contractos artus inferiores, & vel leviſſimi motus plane expertes, in propatulum veniebant muſculi partium læſarum aridi, exſiccati & quaſi tendinei; nonnullis oſſibus invicem coaleſcentibus & accretis; aliis e ſede depulſis. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

ARTICULUS II.

Oſſificatio arteriarum artuum.

OBS. 198. *Morbo ignoto* demortui cadaver cujuſdam ſexagenarii exhibuit oſſificationem in arteria crurali. Oſſificatio arteriæ intus erat, illæſis cæteris involucris, radiorum inſtar faſciculi oſſei e centro ad circumferentiam propagabantur, eorumque

ARTUS. extremitates tumidæ circulum efformabant inſtar perioſtei aream oſſeam ambientis.

Qua obſervatione fulcitur ſententia D. Laſone, qui putat perioſteum cum membrana arteriarum intima valde eſſe aſſimile. PORTAL.

OBS. 198. (*a*) Quidam juvenis, *mœrore confectus*, vitam in luctu trahebat. Senſim contabeſcens in *atrophiam* adducitur. Pulſus erat durus & renitens; ſed ſine febre. Tandem inopinata morte extinguitur.

Vaſa cerebri ſanguinem atrum continebant, etſi parum tumebant. Omnia viſcera inculpata deprehendebantur. Arteria radialis cartilaginea, cum variis ſegmentis oſſeis occurrit. BARRERUS.

OBS. 199. Juvenis melancholicus, *mœrore & triſtitia obrutus*; ſenſim *macilentus* & languidus evadit. Arteria brachii, inter explorandum pulſum, dura& rigida deprehenditur, ſine febre. Tandem omnem ſpem deponens interiit.

Occurrit arteria brachii cartilagineo-oſſea; cujus inſolita durities ad axillarem uſque protendebatur. BARRERUS.

OBS. 199. (*a*) In cadavere cujuſdam ſexagenarii *hydrope* ſublati, reperiebantur arteriæ artubus proſpicientes, plane oſſeæ, ramis inferioribus ſuam flexilitatem ſervantibus. KULMUS.

ARTICULUS III.

Tumor brachii.

OBS. 200. Cuidam *humerus* intra quindecim annos *quater effractus* paulatim *increſcebat* in ſtupendam molem. Luxurians pondus immanes concitabat dolores; ſummamque ſpirandi difficultatem, cum vigiliis contumaciſſimis.

Facta vivendi fine, docuit anatome omnia ſub cute viſci craſſitiem & ſteatomatis naturam induiſſe; parumque diſcrepaſſe a materia veri cancri. Ipſa vero oſſa non modo a ſe invicem ſejuncta, verum etiam malleo minutatim confracta, adeo flaccida & mollia, ut inſtar ceræ ſcalpello facile conciderentur. TULPIUS.

ARTICULUS IV.

Tumores femoris.

OBS. 201. Quidam de *tumore pulſante in poplite* querebatur; infra per paucos menſes ſic excrevit ut parvum melonem æquaret, *cum immani dolore*. Acceſſit univerſi cruris œdema; genu præſertim ultra modum tumente. Denique gangræna & mox ſphacelus invaſit, ſubſequente diſruptione, quæ hæmorrhagiam lethalem poſt ſe trahit.

Diſſecto poplite, arteria cruralis, ubi a latere femoris interiori ad poſteriora deflectit, incipiebat dilatari. Infra uſque ad ſuram fruſtra truncum arteriæ quæſiviſſes: nil enim, niſi ingens cavum ſanguine congrumato plenum occurrebat, cum maxima partium vicinarum ſtrage, & ipſorum oſſium carie. MORGAGNUS.

OBS. 202. Virgo inopinato terrore percuſſa de dolore genu queritur. Dein erumpit *tumor in femore*, qui per ſeptennium *monſtroſus* & moleſtiſſimus, tandem carcinoma-

nomatis exulcerati naturam induit; quod decem annos geſtavit, expedite tandem incedens per ampliſſimam urbem, ac ſi nihil omnino ponderis femori inhæſiſſet.

Diſſectus poſt obitum tumor, ac bilanci impoſitus tantummodo ponderabat, propter fungoſam ſubſtantiam, libras ſexdecim: foris quidem glaber & inæqualis; ſed intus ſteatomatoſus, gipſea pituita, induratis calculis, & dilatatis venis repletus: latitans extrinſecus ſub externo femoris muſculo. TULPIUS.

OBS. 203. Viro quadraginta annorum parvus *tumor* & *pulſans circa inguen dextrum* oboritur. Per triennium augetur; dein moleſtiſſimus evadit, cum tumore œdematoſo totius cruris. Menſe ultimo ſæviebant dolores & ad pedem propagabantur. Tandem doloribus & vigiliis attritus obiit. Artus.

Deprehenditur ingens ſaccus anevriſmatis qui a cute ſummi femoris anteriore ad craſſiſſimum nervum cruralem poſticum perveniebat. Arteria cruralis e cujus dilatatione tumor inceperat, erat mediocriter dilatata, ſed dilacerata & eroſa; unde ejectus ſanguis cedentibus muſculis, hanc ingentem cavitatem effecerat. VALSALVA.

ARTICULUS V.

Oſſa mollia.

OBS. 204. Quædam fœmina triginta annorum, Pariſiis celebratiſſima, poſt puerperium ex utroque latere claudicat. Duobus elapſis annis abortum patitur. Paulo poſt a caſu dolorem contrahit in uno crure, & dein in altero; utroque tumente. Interea *dolores totum corpus pervadunt*, & plane impeditur inceſſus. Progrediente morbo erumpunt urinæ albicantes & quaſi lacteæ. Tum ſenſim inflectuntur & *torquentur artus* inferiores; adeo ut pedes in altum ſenſim ſublati, auribus utrimque admoverentur. Diverſimode etiam torquentur brachia; nec immunis fuit oſſea pectoris compages. Quatuor annos traxit inter haſce ærumnas miſella mulier; cum in *febrem acutam tuſſi*, *ſputo cruento*, & *ſpirandi difficultate* ſtipatam incidit; qua brevi rapitur.

Luſtrato cadavere, omnia ferme oſſa, haud citra omnium adſtantium admirationem, mollia & flexibilia inveniebantur. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 205. Fœmina quadraginta annorum incidit in *diabetem*, *febre lenta*, marcore, ſiti, cibi faſtidio, & *doloribus ad omnes pertingentibus* ſtipatam. Poſt octodecim menſes & varias remiſſiones, exacerbantur dolores, labuntur vires & decumbere cogitur. Poſt nonnullos menſes *oſſa artuum* tactu mollia & *flexibilia* deprehenduntur. Tandem poſt biennium macie confecta obiit.

Oſſa pectoris diverſimode inflexa, & mollia, obſervantur. Hepar ſolito majus occurrit & inteſtina flatulenta. Oſſa artuum mollia & quaſi membranacea, ſi excipias horum extrema in connexionibus, annotantur. Oſſa cranii digitorum impreſſioni, etſi non deformia, cedebant. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 206. Virgo triginta annorum, *dolores per univerſum corpus patiebatur*, abſque febre, qui quovis attactu exaſperantur. Sub hac rerum conditione tribus elapſis menſibus, decumbere cogitur, ob ferociores dolores, & omnium *oſſium proclivitatem ad fracturam*, quæ ſenſim intra decem menſes omnia ferme frangebantur. Tandem obiit.

Nullum fere os reperitur integrum. Ipſæmet vertebræ & oſſa innominata fracta deprehenduntur; nimirum corticis inſtar madidæ & putridæ intra manus frangebantur. Oſſa cranii admotis digitis deprimebantur. Carnes præterea albicantes erant molliores; omnibus cartilaginibus plane inculpatis. SAVIARDUS.

OBS.

ARTUS. OBS. 206. (*a*) Fœmina rite menſtruata, trigeſimo ætatis anno, dolores univerſi corporis cum pyrexia experiebatur; dolebant potiſſimum extrema corporis. Poſt novem menſes exſurgunt *ſcorbuti* ſigna; *crura flexibilia* evadunt & franguntur. Per quadriennium ſubſequens diſſolvebantur cætera oſſa, cum *diſpnea*, gibboſitate, dolore ad vertebras, *corporiſque decurtatione*, ultra quinque & viginti pollices.

In cadavere, viſcera ſana conſpiciebantur, pulmonibus tantum & corde flaccidis. Oſſa omnia præter dentes remollita occurrebant; & cultro haud magis reſiſtebant quam muſculi. GOOCHUS.

OBS. 207. Mulieri quinquagenariæ, *lue venerea* laboranti dolor obortus eſt ad maxillam inferiorem, cum hæmorrhagia immani. Dein de *doloribus ad oſſa* queritur, quaſi a quovis motu frangerentur, cum quodam *crepitu articulorum*. *Oſſa* demum *artuum inferiorum flecti* cœperunt, quaſi eſſent carnea.

Poſt obitum inventa ſunt oſſa cranii, pelvis, femoris, tibiæ, &c. flexibilia, non ſecus ac ſi ex craſſiore papyro eſſent conflata. Superficie autem erant ſpongioſa: ad meditullium vero quibuſdam locis carioſa. VALSALVA.

OBS. 208. Fœmina viginti & duorum annorum *febre* corripitur, cum *atrociſſimis doloribus per omnes corporis partes*; quibus continuo ſævientibus corpus decreſcere videtur. Interea *oſſa incurvantur*, & mollia evadunt. Vigente appetitu, accedit *leucophlegmatia*. Tandem decimo octavo menſe a decubitu fatis ceſſit.

Reperiuntur omnia oſſa, ipſamet cera molliora, exceptis ſolis dentibus, qui ſolitam ſervabant firmitatem. Oſſa inciſa carnes fungoſas referebant; nullo remanente in pleriſque medullæ veſtigio. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 209. Paupercula octo annorum ab ipſis incunabulis *variis morbis* obnoxia; & *urinæ ſtillicidio* quatuor abhinc annis laborans; tandem interiit.

Hepar ſiccum & aridum, velut ſemicoctum, deprehenditur. Cerebrum inſolitum exhibebat madorem; oſſa artuum erant mollia, ita ut nonnulla inſtar ceræ tractarentur. Spina erat incurvata; pancreas durum; inteſtina flatu diſtenta, pulmones purulenti; ac demum pericardium aqua turbida repletum. HILDANUS.

OBS. 210. Cuidam erumpit *tumor in carpo* circa radicem pollicis, qui *lupiæ faciem* præ ſe ferebat. Varia admota remedia reſolventia & incidentia non impediunt quominus tumor ſolitum incrementum ſumat. Haud felicius adhibentur cauſtica: hinc ad amputationem devenitur.

Omnia fere oſſa carpi mollitiem carneam mentiebantur. Cartilagines vero nativam duritiem ſervabant. PETIT.

OBS. 211. Quidam miles *tumore* ovi magnitudinem ſuperante, *in pede* prope cruris connexionem conflictabatur. Poſt ejus ſpontaneam diſruptionem, res in pejus ruebant; adeo ut de *cruris amputatione* cogitaretur. Poſt accuratum examen hæc fauſte peragitur operatio.

Luſtrato membro reſecto, deprehendebantur oſſa tarſi mollia & quaſi mire carnea. PETIT.

OBS. 212. Quidam geſtabat *in genu tumorem* quemdam *anomalum*, nulla arte domandum. Amputatum & diſſectum membrum exhibet in genu oſſa tumida, mollia, ad carneam naturam accedentia; patellam ſcilicet cum proximioribus partibus tibiæ & femoris. PETIT.

OBS. 213. In cadavere cujuſdam qui *tumorem in metacarpo* per plures menſes geſtaverat, reperiebatur os metacarpi digito medio proſpiciens, carnis inſtar molle. PETIT.

Ad hanc claſſem revocanda obſervatio, Libr. IV, 208.

ARTI-

ARTICULUS VI.

ARTUS.

Oſſa a convulſionibus fracta.

OBS. 214. Puer tertio ætatis anno *epilepſia* corripiebatur, cujus inſultus adeo per ſeptennium increverunt, ut inter violentam membrorum concutionem, *oſſa humeri & tibiæ confringerentur.*

Poſt obitum ſectus exhibet os humeri ſiniſtri effractum. Os femoris ejuſdem lateris extrorſum violenter a ſuo capite divulſum. Reperitur etiam tibia in medio fracta, ejus cavitate omnino oblitterata; adeo ut nullum animadverteretur medullæ veſtigium. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

ARTICULUS VII.

Oſſa carioſa.

OBS. 215. In cadavere cujuſdam juvenis undecim annos nati, jamdudum *ſcrophuloſi*, præter vulgatiſſimam viſcerum abdominalium ſtragem, in propatulum veniebat circa vicinia tumorum externorum cervicem & artus ſuperiores deturpantium, materia quædam concreta lardo ſimillima, cum oſſibus ſubjacentibus carie læſis. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

Circa hance oſſium læſionem, Vide *Aneuriſma*, &c.

ARTICULUS VIII.

Femoris fractura.

OBS. 216. Vir robuſtus *ex arbore delapſus femur luxaſſe videbatur*. Duobus circiter exactis menſibus, ſemper lectulo affixus, gravi pectoris morbo, quaſi *catarrho ſuffocativo* corripitur; & extinguitur.

Secto cadavere patuit chirurgos deceptos fuiſſe. Reperitur ſcilicet cervix femoris in medio perfracta, ejus capite acetabulo hærente. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 217. In cadavere cujuſdam mulieris *poſt lapſum in tenella ætate*, a ſiniſtris *claudæ*, artus quatuor digitis brevior quam dexter erat œdematoſus. Os femoris cervice & capite orbatum deprehendebatur: caput quidem in ſuo acetabulo hærebat affixum. CLAR. MORGAGNUS.

ARTI-

Artus.

ARTICULUS IX.

Femoris luxatio.

OBS. 218. Puer ſeptennis ſub ludibundo pedum exercitio *dolorem percepit ad coxam dextram*, cui brevi poſt *tumor* acceſſit. Poſt quatuor menſes crus brevius adparet; deinde ad duos digitos brevius redditum eſt. Vix ſeptem menſibus ab origine morbi elapſis, diarrhæa, febre & convulſione periit.

Caput oſſis femoris ad crepidinem ſuperiorem acetabuli locatum deprehenditur, plane deficiente ligamento terete. Præterea annotabatur corpus quoddam quaſi glanduloſum; cavum acetabuli replens; adeo ut caput oſſis intra illud excipi ultra non poſſet. CLAR. DE HAEN.

OBS. 219. Mulier ſexagenaria dyſpnæa & tuſſi laborans, *caſu os femoris lædit*. Accedit febris, ingraveſcente ſpirandi difficultate. Undecimo morbi die interiit.

Jecur erat ſolito durius. Stagnabat aquæ libra in pectoris cavo. Tandem quod ad femur attinebat, luxatum inventum eſt: laxato videlicet eo ligamento, quo femoris caput intra oſſis innominati acetabulum alligatur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 220. In cadavere puellæ ſexennis, & *claudicantis*, occurrit oſſis innominati acetabulum multo amplius & profundius quam par erat. Caput femoris quod ei inſerebatur, non tantum non proportionatum; ſed etiam præter morem exiguum. Laxatis ligamentis ſurſum ac deorſum ferebatur prædictum caput. KERKRINGIUS.

ARTICULUS X.

Coxæ purulentia.

OBS. 221. Quædam vidua *dolores atrociſſimos in iſchio ſiniſtro* patiebatur, qui ſeſe ad extremum pedem porrigebant: Tumens pars affecta cauſtico incaſſum fuit aperta. Poſt quindecim dies ab operatione *hydropica* facta eſt; ac tandem ſuffocata ſupremum diem clauſit.

Secta coxa uſque ad os, inventæ ſunt parvæ glandulæ ſuppuratæ, quæ pus concretum continebant. RIVERIUS.

OBS. 222. Puer ſexdecim annorum ex alto cadens, *contuſionem* patitur *in inguine*, ac *coxendice*. Paulo poſt doloribus circa partes læſas torquetur cum *claudicatione*; ac decem elapſis menſibus obiit.

Reperitur fœda purulentia circa connexionem coxæ & femoris; non ſecus ac in inguine. DOLDIUS.

OBS. 223. Faber lignarius quadraginta annorum, inter varios morbos quibus per biennium conflictatus fuit, *dolore* quodam *iſchiadico* torquebatur; & tandem migravit ad Superos.

Inventus eſt circa rotatorem femoris dextri muſculum ingens abſceſſus puris libram & amplius continens; cum luxatione femoris a plane eroſis articuli ligamentis. HILDANUS.

OBS. 224. Puer decennis immani *coxæ dolore*, *cum claudicatione*, & cruris impotentia vexabatur. Nihil conferentibus præſidiis, tandem fatis ceſſit.

Inventa eſt coxa purulentiaranioſa conſpurcata; qua magna pars oſſis eroſa & in cinerem verſa videbatur. BENIVENIUS.

ARTI-

ARTICULUS XI.

ARTUS.

Coxæ caries.

OBS. 225. Quidam miles de immani *dolore in pede dextro* queritur, ſuccedente *gangræna*, quæ brevi ad genu propagatur. Amputato artu juxta medium femoris, metus fuit nullo fere erumpente ſanguine, ne gangræna altius penetraverit: circa nonum ab operatione diem patet ulcus prope magnum trochanterem, cum nonnullis gangrænæ notis: dein detegitur hic proceſſus carie læſus. Congrua cura ad cicatricem adducitur prædictum ulcus, & omnia bene ſe habere videbantur; cum ingruit *febris vehemens*, erumpente tumore in inguine dextro, e quo paucis poſt diebus prodit ſtupenda puris copia, quæ ſuſpicionem movet ſtagnantis puris in abdomine. Tandem macie confectus æger, circa ſeptimum ab amputato crure menſem, obiit.

Luſtrato cadavere, reperitur caput femoris extra acetabulum, materia quadam denſa & firma repletum, nullo remanente ligamentorum veſtigio. Totum os ab operatione reſiduum, carioſum & putre conſpiciebatur. Aperto abdomine, in propatulum venit colluvies purulenta in ejus cavo, cum maxima inteſtinorum labe. Occurrit in ſiniſtro pectoris latere ſtupenda aquæ copia: hinc pulmo ultra modum compreſſus & denſus, alias ſanus, vix ovum gallinaceum ſuperabat. TECHEP.

OBS. 225. (*a*) Puer decem annorum, egregia forma, & ingenio perſpicaciſſimo præditus, *poſt caſum* in latus dextrum, uti ferebatur, de *dolore coxendicis* conqueritur, quem brevi ſequitur *claudicatio*. Intempeſtiva curatione exaſperatur morbus. Dolor ſæviſſimus *cruris impotentiam* poſt ſe trahit; poſt plures menſes erumpit *tumor circa medium* & extremum *femur*, qui dein nonnullas purulentiæ notas præbet; tandem ſectus, pauco educto pure, in *fiſtulam* nulla arte exhauriendam abit. Interea exſurgit febris lenta tuſſi ſtipata: ſputa excernuntur ſordida & purulenta. Tandem maraſmo confectus obiit puer meliori fato dignus.

Tota coxendicis connexio in fœtidiſſimam putrilaginem abierat, pars dimidia femoris, uſque ſcilicet ad fiſtulam, hac ſpurcitie defœdabatur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 225. (*b*) Viro *ſcrophuloſo* circa quadrageſimum ætatis annum erumpit *tumor in parte poſtica femoris* ſiniſtri, qui ſenſim increſcens moleſtus evadit. Totum interea crus fit œdematoſus, cum fluctuatione manifeſta juxta longitudinem faſciæ latæ. Tum femore fortuito caſu fracto, dolores exacerbantur; femur ſummum fœtorem ſpargit, ac tandem accedit delirium lethale.

Præter fracturam femoris, reperitur integrum os carioſum & putridum. Fragmenta oſſea acuminata in muſculos adacta exhibebat tumor ſcirrhoſus, proximioribus carnibus putredine conſpurcatis. E DIARIO NOSOC. MILITARIUM.

OBS. 226. Introſpecto cadavere pueri ſeptennis, *rachitide ſcrophuloſa* denati, reperiebatur caput femoris cum proximiori parte oſſis innominati, carie læſum & putridum. Meſenterium tumoribus ſcrophuloſis ſcatebat. EX ACTIS CHIRURG. PARISIENSIBUS.

OBS. 227. In cadaveribus variorum qui neglectam *inflammationem* lumborum & *coxarum* paſſi erant, in conſpectum veniebant oſſa femoris, oſſa innominata & lumborum vertebræ pure corrupta & carioſa. CLAR. DE HAEN.

OBS. 228. Inter ſectionem puellæ quæ *dolorem* fere perpetuum in *ſuperiore coxendicis parte*, & partibus vicinis paſſa fuerat, inveniebatur os femoris eroſum, cujus maxima pars in pulverem quaſi erat redacta. BENIVENIUS.

OBS. 229. Cadaver cujuſdam pueri qui im-

ARTUS. *immani coxæ dolore*, cum *maxima debilitate* conflictatus fuerat, exhibet magnam oſſis femoris partem carie læſam. BENIVENIUS.

ARTICULUS XII.

Artus cretacei.

OBS. 230. In cadavere ſenis, jamdudum *arthritici*, cujus digiti incurvati & diverſimode contexti plane impediebantur, reperiuntur oſſium connexiones ligamentoſæ materia quadam cretacea & tophacea obductæ; nonnullis manuum phalangibus a propria ſede dimotis. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 231. Quidam *chiragra* & *podagra* a quinquennio conflictatus erat, ac tandem uſu pedum omnino privatus vitam ſedentariam ducere cogebatur.

Mortui diſſecto corpore, reperti ſunt tophi in artubus, qui hinc ad motum impares erant. Tendines erant contracti, rigidi & aridi. HÆFERUS.

OBS. 232. In cadavere ſenis *arthritici* cujus manus & pedes jamdudum contractionem morboſam patiebantur, deprehendebantur connexiones partium læſarum tanta materiæ tophaceæ copia obrutæ, ut nonnulla oſſa e ſuo acetabulo dimoverentur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

ARTICULUS XIII.

Ankyloſes.

OBS. 233. Cuidam circa vigeſimum ætatis annum motus artuum difficile exercentur. Progrediente morbo ſenſim *artus* & *ſpina dorſi rigiditatem contrahunt*. Maxilla inferior immobilis evadit, non ſecus ac caput. Circa denique ætatis annum ſexageſimum, omnes fere motus præpediuntur, ac brevi poſt vivere deſiit.

Secto corpore omnia oſſa plerumque difformia, invicem ferruminata reperiuntur. Sola genua, & carpus ſiniſter levem motum edere poterant. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 233. (*a*) Luſtratis artubus perquam plurium hominum qui dum viverent ankyloſi, in uno aut altero articulo laboraverant; nullum materiæ cretaceæ veſtigium explorabatur, ſed tantum ligamenta aut caliptræ articulares valde erant contractæ, quibus reſciſſis ex ſe oſſa disjungebantur. Probant indicatæ obſervationes uti olim in diſſertatione Academiæ chirurgicæ communicata aſſerui, *ankiloſim* ſæpius quam vulgo creditur produci abſque ullo medio conglutinante oſſa inter ſe. PORTAL.

OBS. 234. Puer duodecennis a teneris *claudicans*, alio morbo extinctus, exhibuit caput oſſis femoris ſuo cum acetabulo firmiſſime junctum; ita ut videretur a caſu, aliave violenta cauſa, concitatam fuiſſe inflammationem: hinc ſuppuratio, & eroſio tam capitis oſſis quam acetabuli; adeo ut ambo hæc in unum corpus peniţiſſime coaluerint. CLAR. DE HAEN.

OBS. 234. (*a*) Quibus aliam, inter artis raras annumerandam, ſubjecto affinem addo obſervationem.

Viro triginta circiter quatuor annos numeranti ob *ſyphilidis ſuſpicionem* adhibetur hydrar-

hydargiroſis, tamque larga & frequens, ut brevi exoriretur uberrimus ſalivæ profluxus; quotidie nullis progreſſis balneis inungebatur, lituque peracto in aquam frigidam demergebatur: interea accedit macies, & interdum ſæviunt lypothymiæ, quas excipiebat motus in articulis difficultas, & dein ſuppreſſio. Incœpta ſiſtitur medicatio, fluere deſinit ſaliva; refocillantur vires, motum priſtinum recuperant artus, & negotiis vacat æger; medicis chirurgiſque tamen denuo corium mercurio inungendum præbet; obſequioſe pluries iterantur unctiones, balneiſque poſtea corpus ſudore diffluens alluebant aqua frigida; vaſto gurgite ſaliva fluxit, ſuccedunt frequentes lypothymiæ, marceſcunt artus, & motus eorum numquam rediturus omnimode perimitur; ſupinus quaſi unico conflaretur oſſe lecto affigitur, undecimque annos ab infortunio numerans, ankyloſi generali laborat, vixque poteſt maxillam inferiorem a ſuperiori quatuor lineis deducere, alimenta trita ei ſubjiciuntur, ægreque deglutit, forte ex ferruminatione cornuum oſſis hyoidis.... Sic miſerias humanas pertæſus vitam ſuſtentat æger ingenio acutiori præditus, ab excretione ſumma ſalivæ cauſam morbi repetit; obſervavit enim ankyloſim produci qua proportione flueret ſaliva, aut vice verſa, diſcuti cum cohiberetur ſalivæ fluxus. Nullo modo affecti videntur muſculi; ſentit enim dum vellicatur & ipſos etiam contrahendo tegumenta corrugat, priſtinam corpulentiam adeptus eſt; tumor nullus adeſt circa articulos, hincque poteſt deduci hanc ankyloſim retractione ligamentorum & defectu ſinoviæ potius quam ejus concretione. Foveri felix tamen ille, ſi diu ſuſpenſos circa morbi ſtrages nos teneat, & fortunatiſſimus ſi motum priſtinum artubus medicina largiri valeat. PORTAL. Artus.

ARTICULUS XV.

Hydrargirus in artubus.

OBS. 235. Puella duodecim annos nata *lue venerea* ex patribus contracta laborabat, propter quam adhibentur *inunctiones hydrargyroſa*. Poſt annum ingruente diarrhæa extinguitur.

Examini anatomico ſubjecto corpore, inveniuntur circa juncturas guttulæ tremulæ hydrargyri. FONTANUS.

OBS. 236. In cadavere cujuſdam *ſiphylitici*, qui ante obitum *litu hydrargiroſo* inungebatur, mercurius crudus copioſus repertus eſt in cranio, atque in ſcapularum, brachiorumque juncturis. RENODEUS.

OBS. 237. Inſtituta ſectione variorum poſt *hydrargiroſim* extinctorum, repertus fuit hydrargyrus in capſulis artuum ligamentoſis. FONTANUS, RHODIUS, &c.

OBS. 238. *Sectis* corporibus variorum, qui poſt *pleniorem hydrargyroſim* obierant, occurrebat argentum vivum in cavitatibus tibiæ. CASTELLUS.

APPENDIX.

Cor cruſta obductum.

VIR temperamenti ſanguineo-pituitoſi, *difficultate reſpirandi* duobus abhinc menſibus premebatur, quæ omnem fere decubitum impediebat. Variis incaſſum adhibitis ſuffocatus interiit.

Pectus aqua ſubviridi ſcatebat. Pericardium ſolito craſſius aquam fuſcam continebat. Cor cruſta quadam ſpongioſa obveſtiebatur, cujus craſſities ad ſeptem vel octo libras accedebat. Maxima occurrebat adipis copia in abdomine. EX ACT. PARISIENSIBUS.

Ruptura cordis.

Vir quidam nobilis, ſtrenuus, ætatis conſiſtentis, habitus formoſioris atque athleticus ſine ſymptomatibus evidentioribus ſub diæta acutiori vivens, uno verbo cui ſummam ſenectutem promiſiſſet quilibet, ad latus uxoris repente occubuit.

Luſtrato cadavere, ut inveſtigaretur mortis inopinatæ cauſa, occurrit pectus ſanguine turgens, thalamus ſiniſter cordis fiſſus erat, & ex oſtio ſanguis manabat. BONIUS.

Pericardium purulentum.

Quidam inaurator cordis palpitatione & dyſpnæa laborabat, cum nonnulla ſuſpicione anevriſmatis. Variis celebratis venæ ſectionibus, aliiſque fruſtra adhibitis remediis, repente obiit.

Secto cadavere inventus fuit abſceſſus liquore meliceride turgidus, ad baſim pericardii, inter unam alteramque ejus tunicam. CLAR. SAUVAGES.

Anevriſma internum pectoris.

Quidam conſiſtentis ætatis de dolore juxta ſpinam dorſi continuo, cum variis exacerbationibus, querebatur, qui ſæpius ad ſternum aliaſve pectoris partes producebatur. De rheumatiſmo cogitatur; & hinc plura uſurpantur remedia. Interea ſenſim accedit tabes; dolores ferociores evadunt; erumpit vomitus, pergens uſque ad ultimum fatum.

Aperto abdomine patet ingens tumor inter duos proceſſus diaphragmatis, hærens inferioribus pectoris vertebris & ſuperioribus lumbaribus, ac caput infantis recens nati æquans; quo œſophagus & ventriculus extra ſitum naturalem propellebantur. Accuratiori examini ſubjectus hic tumor genuinum aortæ anevriſma exhibet. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

Pul-

Pulmones purulenti.

Mulier ſex & triginta annorum, inter primates conſpicua, tuſſi ſicca corripitur, quam preſſo pede ſequitur febris lenta, cum macie, & dein menſium ſufflaminatione: quibus pergentibus ſenſim in atrophiam delabitur. Interea nulla excernuntur ſputa, nec de minimo dolore pectoris querebatur. Reſpiratio in quocumque decubitu libere exercebatur & vultus color a naturali minime recedebat. Tribus elapſis a ſuppreſſione menſibus, erumpit ſanguis majori proventu e vaſis hæmorrhoidalibus. Succedit ſtupendus virium lapſus, tuſſis pertinaciſſima exaſperatur. De noctibus inſomnibus querebatur nobilis ægra, donec tandem atrophia plane confecta ad ſuperos migravit.

Luſtrato cadavere, uterque pulmo, ſed præſertim dexter pure ſordido ſcatebat. Nulla alia erat labes notatu digna in cæteris pectoris & abdominis partibus. PORTAL.

INDEX TOTIUS OPERIS

NOSOLOGICO ORDINE DIGESTUS.

PARS PRIMA,

Morbos generales internos reſpiciens.

ORDINE anatomico, ut magis congruo, conſcriptum opus, deſcriptionem partium læſarum, potius quam functionum hiſtoriam, uno tramite exhibet. Obſervationes enim quæ ad eumdem morbum ſpectant, aliæ ad operis limen, aliæ ad calcem ſubjiciuntur; ſed cum in praxi maximo ſit emolumento ſymptomata morbifica talem, vel talem partem affectam deſignantia apprime cognoſcere, ut remedium congruum & tempeſtivum poſſit adhiberi, aut ſaltem valeat medicus morbi levitatem aut ſævitiem prænunciare, magna fore utilitate exiſtimavit Auctor bene meritus ſi quis morborum ſymptomata in variis obſervationibus huc & illuc deſcripta colligeret, continuoque ſermone exponeret: penſum mihi dedit, & quantum potui, abſolvi. Tædio plena certe res erat, ſed ut greſſus ſummi Anatomici, in ſcientiarum via premerem, & forte quaſdam ſpicas de ejuſdem vaſta doctrina legerem, operi lubens manum accinxi.

Triplici parte diviſum inſtar morborum conſpectus indicem exhibeo. Morbos generales, aut peculiares, qui interanea corporis hoſpitantur, primus liber recenſet & læſiones quas partibus infligunt indicat. Secundus vitia quibus obturpari ſolent externæ partes colligit. Tertius ſequioris ſexus & infantium morbos deſcribit; & ut clarus undique, quantum fieri poterat in re perquam abſtruſa, eluceret ordo, in duas columnas hiſtoriam cujuslibet morbi exerui. Prior morborum ſymptomata *eſſentialia* aut *accidentalia* continuo ſermone exponit, poſterior morborum ſtrages oculis ſubjicit. Ulterius adhuc paſſim occurrit diviſio: morbi a cauſa ignota, aut ſaltem in opere prætermiſſa columnam ineunt, & iis ſubjiciuntur morbi affectionibus aliis ſuccedanei, aut cujus cauſa plane innotuerat. Temporis ſpatium in hoc opere condendo certe maximum abſumi, ſed illud non lugebo, & laboris non me pœnitebit, ſi ut mihi profeci aliis proficiam.

SECTIO PRIMA.

DE GENERALIBUS ET INCERTÆ SEDIS.

FEBRES.

FEBRIS CONTINUA.

FEBRIS CONTINUA.

Morborum ſymptomata.	*Extiſpicia cadaverum.*
Cum capitis dolore ad quem accedit affectus comatoſus.	Ventriculus ſero repletus, aqua in cranio & theca ſpinali. *pars* III. *obſ.* 438.
Cum æſtu in regione lumborum.	Ren ſiniſter putridus. *pars* I. *obſ.* 1095.
Stipatur dolore in hypocondrio dextro, ictero cui ſuccedit affectus comatoſus.	Hepar ſcirrhoſum. Viſcera omnia colore luteo diffuſa. *pars* I. *obſ.* 639.
Cum dolore immani ventriculi & hepatis, quem excipit abdominis protuberantia, ſpirandique difficultas.	Veſicula fellea calculis ſcatet. *pars* I. *obſ.* 874.
Abſque cauſa evidenti, capitis dolores & motus convulſivos lethales ſibi adjungit.	Gelatina inter cerebrum & cranium ventriculus inflammatus. *pars* III. *obſ.* 438.
Cum reſpiratione intercepta & lipothimiis frequentibus.	Sanguis concretus in vena cava. *pars* III. 484.
Interea profluit alvus.	Hepar tuberculoſum. *pars* I. *obſ.* 749.
Cum dorſi dolore.	Pancreas putridum. *pars* I. *obſ.* 1050.
Cum vertigine.	Aqua in cerebro, cujus vaſa ſanguine turgida. *pars* III. *obſ.* 429.
Adſunt tuſſis, vociſque clangor; ſputa, primis morbi temporibus, craſſa, febris tandem lenta, abſque ullo pectoris dolore.	Cyſtis fellea bile turget; pulmones tuberculoſi. *pars* I. *obſ.* 232.
Cum ventris intumeſcentia, & macie, oritur poſt inſolationem & hauſtum liquoris frigidi.	Colluvies purulenta in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1769.
Cum dolore capitis, & duritie in hypochondriis.	Viſcera abdominalia putrida. *pars* I. *obſ.* 1661.
Cum intenſiſſima tuſſi.	Pulmones inflammati. *pars* II. *obſ.* 128.

Adeſt

	Symptomata.	Extiſpicia.
Febris continua.	Adeſt ſpirandi difficulas: accedit & diarrhæa lethalis.	Hydrops pectoris. Pulmo ſiniſter coſtis adhærens. Pericardium aqua intus contenta eroſum. *pars* II. *obſ.* 684.
	Suffocantur vires, dolet graviter latus, difficile aſpirat æger.	Pulmones ſcirrhoſi, abſque purulentia. *pars II. obſ.* 215.
	Urgent ſpirandi difficultas, tuſſis, calor intenſus. In utrumque latus cubandi, grave admodum.	Pericardium ſero pureque turgens. *pars* II. *obſ.* 682.
	Cum rigoribus periodicis, mox delirat æger, adeſt & narium hæmorrhagia.	Pulmones inflammati, & lien tumidum. *pars* II. *obſ.* 116.
	Convulſiones accerſunt paraliſis lateris dextri & delirium a pericranii punctura.	Pur ſtagnans in cranio. *pars* III. *obſ.* 497.
	Franguntur penitus vires, ſæviunt dolores totius corporis, ad quos accedit narium hæmorrhagia, mentiſque obnubilatio.	Pulmones gangrænoſi, inteſtina inflammata. *pars* II. *obſ.* 295.
	Cum ſpiratione difficili.	Hydrops thoracis. Pulmo coſtis hærens. Pericardium aqua diſtentum. *pars* II. *obſ.* 687.
	Stipatur tuſſi, dolore pungenti & ſpirandi difficultate cum ſputis purulentis.	Pulmonum ſubſtantia gangræna eroſa. *pars* II. *obſ.* 301.
	Cum vomitu, dolore æſtuante, & pulſatione circa ſtomachi regionem.	Ventriculus & inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 332.
	Cum vomitu bilioſo poſt ingurgitationem.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 333.
	Urget diarrhæa.	Phlogoſis inteſtinorum. *pars* I. *obſ.* 335.
	Adſunt cardialgia, vomitus, dentiumque ſtrepitus.	Lumbricis inteſtina ſcatent. *pars* I. *obſ.* 301.
	Dolore immani torquetur caput, delirat æger.	Aquæ quantitas magna in tertio cerebri ventriculo. *pars* III. *obſ.* 385.
	Vomitus, & dolores abdominis ſæviunt.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 331.
	Cum cephalalgia & delirio ſubſequenti.	Pulmones putridi intacto cerebro. *pars* II. *obſ.* 311.
	Cum dolore pectoris, ſpirandi difficultate, pulſu celeri, ſputo cruento, quæ miteſcunt ſymptomata, ſed demum recurrunt, & ægrum de medio tollunt.	Pericardium purulentum. *pars* II. *obſ.* 671.
	Cum delirio.	Vaſa meningum ſanguine turgida cum effuſo ſanguine. Cerebri ſubſtantia laxa & humida. *pars* III. *obſ.* 244.

Cum

FEBRIS CONTINUA.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum dolore hypochondrii dextri, ſpiritu difficili, cordis anxietatibus.	Hepar purulentum. *pars* I. *obſ.* 704.
Capite valde laborat æger, difficile ſpirat.	Exulceratum diaphragma. *pars* II. *obſ.* 778.
Urget ingens vomitus, ſævit dolor ſub nothis coſtis.	Colluvies ſeroſa in abdomine & pericardio, inteſtina & ventriculus flatu turgida; renes ingentes, ſiniſter putridus. *pars* I. *obſ.* 1093.
Cum virium defectu, & eruptionibus miliaribus per totum corpus.	Tumor diaphragma obſidens; ventriculus & inteſtina inflammata. *pars* II. *obſ.* 783.
Cum dyſenteria.	Eroſa inteſtina. *pars* I. *obſ.* 152.
Delirat ægrotans; petechiis, lethiferiſque convulſionibus corripitur.	Omentum & inteſtina putrida; lien ingens; pulmones plevræ adhærentes & ſcirrhoſi. *pars* I. *obſ.* 438.
Sævit diarrhæa, qua curata, vires faliſcunt.	Viſcera ſana; ſanguis in cerebri ſubſtantiam effuſus. *pars* III. *obſ.* 295.
Concomitatur colicam Saturninam.	Inteſtina inflammata; ventriculus lividus. *pars* I. *obſ.* 336.
Cum vomitu, dolore ſtomachi, tumore in regione epigaſtrica, & difficultate ſpirandi.	Ventriculus inflammatus & colluvie æruginoſa ſcatens. *pars* I. *obſ.* 74.
Cum dolore in hypocondriis.	Lien putridus. *pars* I. *obſ.* 953.
Cum diarrhæa bilioſa, animi deliquiis & convulſionibus ſubſequentibus.	Stomachus perforatus, & partibus vicinis accretus. *pars* I. *obſ.* 141.
Cum reſpiratione difficili cui accedit diarrhæa.	Pulmones & hepar inflammata.
Cum orthopnæa, corporis jactatione & pulſatione ſupra ventriculum.	Anevriſma abdominis. *pars* I. *obſ.* 1626.
Concomitatur lumborum dolorem cum ſuppreſſione urinæ.	Inflammatio renum & partium ambientium. *pars* I. *obſ.* 1070.
Diuturna; delirium furioſum ſibi adjungit.	Hepar ingens aridum & fiſſum; veſicula fellis bile turget. *pars* I. *obſ.* 816.
Cum vomitionibus continuis, dolore in abdomine implacabili, & alvo ſicca.	Colon inflammatum; epiploon abſumptum, & hepar putridum. *pars* I. *obſ.* 422.
Albo fluore fovetur.	Ulcus uteri & vaginæ. *pars* I. *obſ.* 1391.
Tumor exploratur in hypocondrio dextro; tuſſi & ſpirandi difficultate gravatur æger cum ſingultu ſubſequenti.	Hepar ingens & inflammatum; inteſtina phlogoſi correpta. *pars* I. *obſ.* 597.

	Symptomata.	*Extiſpicia.*
FEBRIS CONTINUA.	Tumor abdominis, & dejectio vermium.	Omentum & meſenterium putrida; inteſtina inflammata & lumbricis ſcatentia. *pars* I. *obſ.* 407.
	Cum vomitu ſanguinolento & cruentis dejectionibus.	Abſceſſus in meſenterio. *pars* I. *obſerv.* 155.
	Cum extremorum refrigeratione, vomitu & alvi profluvio.	Heppar inflammatum. *pars* I. *obſ.* 598.
	Cui ſeſe adjungit iſchuria.	Ren ſiniſter cum uretere inflammatus; veſica craſſa turget materia tenaci. *pars* I. *obſ.* 1071.
	Ventriculi cum dolore.	Veſicula fellis lapidibus ſcatet. *pars* I. *obſ.* 861.
	Invadit ſcabioſum cum vomitu & alvi profluvio quem excipit atrophia.	Hepar inflammatum. *pars* I. *obſ.* 597.
	Cum ſomnolentia quam excipit delirium.	Gelatinoſa aqua in cerebro. *pars* III. *obſ.* 487.
	Cum dolore ſummo capitis, ſpiritu difficili & apoplectico inſultu lethali frigus intenſiſſimum prehendit.	Aqua in ventriculis cerebri gelatina; juxta ejus vaſa, ſanguis fluidiſſimus. *pars* I. *obſ.* 408.
	Sequitur colicam hepaticam.	Pus ſtagnans inter tunicas ventriculi. *pars* I. *obſ.* 88.
	Potatorem corripit.	Calculus biliaris obliterans ductum cyſticum, veſicula fellea inani. *pars* I. *obſ.* 900.
	Fronte vulnerato ingruit, cum delirio & convulſionibus.	Dura meninx purulenta, *pars* III. *obſ.* 523.
Succedanea.	Scandeſcit poſt multas animi contentiones & corporis labores.	Pulmones putridi, & lapides in veſica fellea. *pars* I. *obſ.* 147.
	Cum convulſionibus poſt inſolationem.	Lumbrici mortui in tubo inteſtinali. Cerebrum illæſum, excepta aqua ſtagnante in ventriculis. *pars* II. *obſ.* 378.
	A capitis percuſſione ſævit cum delirio, ſomnolentia & dolore obſcuro in regione hepatis.	Dura meninx putrida & hepar pure conſpurcatum.
	Poſt animi pathema ſcandeſcit febris continua cum doloribus in hypocondrio dextro.	Lien putridus. *pars* I. *obſ.* 163.
Succedanea.	Poſt caſum ab alto.... cum dolore lumborum ad quem accedunt vomitus cum ponderis ſenſu in ventriculo.	Colluvies purulenta in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1773.

Exur-

FEBRIS CONTINUA.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Exurgit in hydropico poſt coalitionem vulneris inflicti ſcroto.	Hepar & lien ſchirroſa. *pars* I. *obſerv.* 635.
Cum rigore ſuccedit doloribus colicis.	Abſeſſus in meſenterio. *pars* I. *obſ.* 131.
Poſt frigus intenſiſſimum ſcandeſcit, & ſoporem lethargicum cum oculorum obnubilatione ſibi adjungit.	Aqua limpida inter corticem cerebri & corpus calloſum. Pulmones phlegmonodei & purulenti. *pars* III. *obſ.* 369.
Pediſſequa tumoris hypocondriorum.	Aqua in pectore, hepar ingens. *pars* I. *obſ.* 614.

FEBRIS PUTRIDA.

FEBRIS PUTRIDA.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Concomitatur pulmonum inflammationem cum ſputis purulentis & tandem macie.	Pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 334.
Excipit febrem tertianam duplicem.	Pulmones putridi, lien & ſplen ſolito majores. *pars* II. *obſ.* 336.
Sequitur ſpirandi difficultatem.	Pulmonum, ventriculi, & inteſtinorum flatulentia. *pars* II. *obſ.* 244.
Cum dolore capitis acerbiſſimo & fluxu materiæ purulentæ ex aure dextra.	Cerebrum colore luteo diffuſum abſceſſum recondit; & os petroſum carie occurrebat exeſum. *pars* III. *obſ.* 121.

FEBRIS ARDENS.

FEBRIS ARDENS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Febris ardens cum pectoris anguſtia; artubus & abdomine tumentibus, remittitur & denuo recrudeſcit cum lateris ſiniſtri dolore.	Hepar & pulmo inflammata; pericardium cordi adhærens. *pars* II. *obſ.* 696.
Cum ſpiritu difficili, tumore hypochondriorum, oboriente extremitatum refrigeratione.	Pulmones tabidi, præſertim in parte ſiniſtra. *pars* II. *obſ.* 283.
Intra triduum enecat ægrum.	Cor marcidum, pericardio ſicco. *pars* II. *obſ.* 455.
Cum dejectione ſanguinis per os & dolore hypochondrii dextri.	Mediante diaphragmate hepar Coſtis adhærens. *pars* I. *obſ.* 338.
Cum ſiti inextinguibili.	Viſcera inflammata. *pars* I. *obſ.* 1567.

	Symptomata.	Extiſpicia.
FEBRIS ARDENS.	Cum ventris doloribus.	Viſcera abdominis inflammata. *pars* I. *obſ.* 1569.
	Cum dolore & tenſione hypochondrii dextri.	Pus album ſtagnans inter tunicam & parenchyma hepatis. *pars* I. *obſ.* 757.
	Inflammatur ren; ſingultu ſtipatur febris.	Viſcera inflammata. *pars* I. *obſ.* 156.
	Poſt dyſenteriam male curatam.	Inteſtina flatu turgida, hepar ingens & abſceſſum recondens. *pars* I. *obſ.* 171.
	Poſt lapſum ſuccedit dolori gravativo pectoris cum cordis compreſſione, ſpirandi difficultate, ſiti, lypothymiis & rubore genarum interdum recurrente.	Pericardium purulentum. *pars* II. *obſ.* 674.
	Invadit quemdam tumore in hypochondrio dextro laborantem.	Hepar purulentum. *pars* I. *obſ.* 713.
	Colica hepatica inſignitur.	Hepar purulentum & cyſtis fellea calculis fœta. *pars* I. *obſ.* 709.
	———	Putridum hepar. *pars* I. *obſ.* 788.
	———	Lien inflammatum. *pars* I. *obſ.* 939.
	———	Cor aridum. Cyſtis fellea bile turgida. Hepar & pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 449.
	———	Inflammatum hepar. *pars* I. *obſ.* 141.

FEBRIS LENTA.

	Symptomata morborum.	Extiſpicia cadaverum.
FEBRIS LENTA.	Cum hæmorrhagia narium, cui ſuccedit ſpirandi difficultas, vomitus, diarrhæa & cardialgia.	Pulmones plevræ annexi & putriditate affecti, pericardium quaſi cartilagineum cordi hærens, epiploon & hepar putrida. *pars* I. *obſ.* 780.
	Cum lotio purulento.	Ulcus veſicæ. *pars* I. *obſ.* 780.
	Cum tuſſi, dolore thoracis in parte ſiniſtra & ſputo ſanguinis.	Pulmonum tubercula & ulcus. *pars* II. *obſ.* 102.
	Cum pedum tumore, ſuccedit tuſſi pure & ſputis purulentis & ſanguinolentis.	Pulmones exeſi. *pars* II. *obſ.* 381.

In-

Febris lenta.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Invadit mulierem quæ tempore geſtationis ſanguinem ſpuebat & cui ſecundina non fluxerat.	Pulmones putridi plevræ adhærentes. *pars* II. *obſ.* 149.
Cum tuſſi & tandem corporis emphyſemate.	Tumor ſcirrhoſus in corde. *pars* II. *obſ.* 545.
Spirandi difficultas adeſt; ſequitur hæmoptoen.	Pulmones intumeſcentes & tuberculoſi. *pars* II. *obſ.* 237.
Cum tuſſicula, hypochondrii dextri tumore, reſpiratione difficili, & ſputis ſanguinolentis.	Pulmones ſcirrhoſi plevræ & diaphragmati hærentes. Pericardium ichore plenum, & cor cruſta obductum. *pars* II. *obſ.* 177.
Cum affectu ſoporoſo.	Sanguis in vaſis cerebri, aqua in pericardio, & concretio polypoſa in corde. *pars* II. *obſ.* 619.
Cum voracitate.	Abſceſſus in meſenterio. *pars* I. *obſ.* 561.
Cum fluxu alvi.	Abſceſſus in ventriculo. *pars* I. *obſ.* 175.
Cum ſpirandi difficultate quæ maciem ſibi adjungit.	Pulmones aridi. *pars* II. *obſ.* 285.
Cum tumore abdominis, poſt ejus contuſionem.	Glandulæ meſenterii ſcirrhoſæ. *pars* I. *obſ.* 527.
Cum doloribus lithiaſeos, dyſuria.	Veſica pure conſpurcata & renes calculoſi. *pars* II. *obſ.* 235.
Spirandi difficultate gravatur æger, cordis palpitatione, tumore œdematoſo dein ſubſequente.	Pulmones quaſi œdematoſi plevræ adnati, pericardium craſſum cordi adhærens. *pars* II. *obſ.* 704.
Cum alvi fluxu ictero ſuccedens.	Vermes in hepate (aut potius concretiones ſanguinolentæ aut lymphaticæ). *pars* I. *obſ.* 336.
Cum dolore hypochondrii dextri & tandem lypothimiis & cutis flavedine.	Abſceſſus in hepate; diaphragma eroſum, pulmones pure turgidi. *pars* I. *obſ.* 716.
Cum dolore pectoris & tumore circa glandulas cervicales.	Pulmones purulenti & glandulæ cervicales tuberculoſæ. *pars* II. *obſ.* 204.
Dolore ſtipatur in regione hepatis cui ſuccedit vomitus ſanguinis.	Hepar tuberculoſum. *pars* I. *obſ.* 681.
Cum ſpirandi difficultate & cordis palpitationibus.	Aqua in thorace, cor ingens, lapides in tunicis arteriæ pulmonaris. *pars* II. *obſ.* 438.
Cum vomitu contumaciſſimo, & hypochondrio dextro tumido.	Muſculi abdominales graciles, hepar ingens & ſteatomatoſum. *pars* I. *obſ.* 638.

Cum

	Symptomata.	*Extiſpicia.*
FEBRIS LENTA.	Cum ventris torminibus.	Abſeſſus in hepate. *pars* I. *obſ.* 641.
	Tument hypochondria, & ſpirandi difficultate gravatur ægrotans.	Hepar ingens & durum; lien contractus & quaſi oſſeus; epiploon putridum partibus vicinis annexum. Intactum pancreas. *pars* I. *obſ.* 994.
	Cum dolore pectoris, & ſpirandi difficultate.	Intactum pancreas; inteſtinum colon ſcirrhoſum, ſumme arctatum. *pars* II. *obſ.* 380.
	Cum ventris prominentia & alvi fluxu.	Scirrhoſum hepar & meſenterium. *pars* I. *obſ.* 626.
		Pulmonum tubercula. *pars* II. *obſ.* 236.
	Cum faciei œdemate; deinde ſævit aſthma cum tuſſi & ſputo cruento.	Aqua in thorace, & præcipue in pericardio. *pars* I. *obſ.* 633.
Succedanea.	Expuitioni ſanguinis.	Pulmones coſtis adhærentes & bronchia ſanguine obruta. *pars* I. *obſ.* 2. (*a*)
	Dolori renum diuturno.	Concretio in rene, mentiens figuram cochleæ. *pars* I. *obſ.* 1211.
	Mictioni puris cum ſanguine.	Ren ſiniſter plane conſumptus; dexter ſabulo infarctus. *pars* I. *obſ.* 1125.
	Pectoris anguſtiæ.	Pulmones cum thymo lividi, cor marcidum.
	Cum ſpirandi difficultate, ſuccedit peripneumoniæ quæ curata videbatur.	Pulmones exeſi. *pars* II. *obſ.* 276., 356.
	Vomitui cum dolore ſtomachi, orto poſt caſum ab alto.	Omentum inteſtinis agglutinatum; hepar tuberculoſum; veſicula fellis bile turgida; ſaccus aqua turgens lieni adnatus. *pars* II. *obſ.* 855.
	Tuſſi cum ſputo purulento.	Pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 335.
	Dolori in regione epigaſtrica.	Pulmones abſumpti, hepar ſanum. *pars* II. *obſ.* 359.
Succedanea.	Expuitioni ſanguinis, poſt lapſum a ſcala; & ſibi puſtuloſas eruptiones in thorace adjungit.	Purulenti pulmones. *pars* II. *obſ.* 364.
	Dolori in hypochondrio, & icterum ſibi conciliat.	Hepar purulentum. *pars* I. *obſ.* 164.
	Aſthmati.	Pulmones putridi & calculoſi. *pars* II. *obſ.* 254.

Hæ.

Symptomata.	*Extiſpicia.*	
Hæmophtiſi.	Pulmones tuberculoſi. *pars* II. *obſ.* 239.	FEBRIS LENTA.
Suppreſſioni menſium.	Meſenterium ſcirrhoſum. *part* I. *obſ.* 544.	
Tuſſi & ſputo purulento.	Pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 335.	
Cum ſpirandi difficultate poſt variolas.	Hepar purulentum. *pars* I. *obſ.* 734.	
Cum æſtu interaneorum icterum ſequitur.	Inteſtinum colon hepati putrido & ingenti annexum, lapides in cyſtide fellea. *pars* I. *obſ.* 736.	
Poſt lapſum ſcandeſcit febris cum perpetua tuſſi, ſputis purulentis, & tumore circa coſtas, quo ſecto pus effluxit.	Pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 364.	
Febri acutæ cum ventris dolore.	Viſcera abdominis putrida. *pars* II. *obſ.* 1602.	
Poſt abdominis contuſionem exoritur cum tumore in parte percuſſa.	Glandulæ meſenterii ſcirrhoſæ. *pars* I. *obſ.* 527.	
Succedit dolori ſiniſtri lateris cum ſpiritu difficili, & cordis palpitationibus.	Aqua in pericardio & abdomine. Cor ſolito majus. *pars* II. *obſ.* 629.	
Febri epidemicæ cum dyſpnæa, tuſſi & fluxu alvi.	Pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 383.	
Ventris tumorem cum dolore in regione epigaſtrica.	Lien tuberculoſus. *pars* I. *obſ.* 947.	*Sibi adjungit.*
Vomitum bilioſum cum artuum contractione.	Glandulæ meſenterii ſcirrhoſæ. *pars* I. *obſ.* 530.	
Lateris dolorem cum ſpirandi difficultate.	Pulmones putridi. *pars* II. *ob.* 188.	
Alvi profluvium bilioſum.	Hepar tuberculoſum. *pars* I. *obſ.* 685.	
Succedanea catharro, ſibi ſoporem adjungit.	Sanguis in vaſis cerebri, aqua in pericardio, & concretiones polypoſæ in thalamis cordis. *pars* II. *obſ.* 619.	
———————	Omentum pure exeſum; meſenterium ſcirrhoſum, & aquæ viridis in abdomine quantitas maxima. *pars* I. *obſ.* 571.	
———————	Viſceribus putridis. *pars* I. *obſ.* 1700.	
———————	Pulmones purulenti & glandulæ meſenterii infarctæ materia pingui & albicante. *pars* I. *obſ.* 170.	

FE-

FEBRIS ACUTA.

FEBRIS ACUTA.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Cum dolore & tenſione hypochondrii dextri.	Hepar putriditate difluens. *pars* I. *obſ.* 792.
Cum capitis dolore, lotio vix fluente.	Ventriculi cerebri aqua turgidi. *pars* III. *obſ.* 379.
Cum dolore in regione epigaſtrica.	Peritoneum & limbus diaphragmatis inflammata. *pars* I. *obſ.* 3.
Cum morſu ventris, aphthis in faucibus, dentium ſtridore & motus manuum læſione.	Peritoneum, hepar inflammata. Cyſtis fellea bile turgida; pulmones cruſta obducti. *pars* I. *obſ.* 9.
Cum tumore hypochondrii dextri, dolore oculorum, cardialgia & convulſionibus.	Lumbricus in ductu choledoco. *pars* I. *obſ.* 907.
Cum dolore ſiniſtri lateris, nauſeis urgentibus aſthmaticum invadit; dein propinato emetico, oriuntur convulſiones lethales.	Pulmones pure eroſi. *pars* II. *obſ.* 388.
Cum diſpnæa & ardore interno.	Pulmones aridi, inteſtina inflammata. *pars* II. *obſ.* 288.
Cum dolore & tumore in hypochondrio dextro, tuſſi & difficultate ſpirandi, ſubſequenti ſingultu, & mentis obnubilatione.	Hepar & inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 597.
Cum difficultate ſpirandi, tuſſi, & difficili ſupra dorſum decubitu, pulſu parvo, celeri, & inæquali.	Inflammata pleraque corporis viſcera. *pars* II. *obſ.* 679.
Cum doloribus univerſalibus.	Cyſtis fellea bile turgida. *pars* I. *obſ.* 34.
Cum lypothymiis, ſputis purulentis, urinis turbidis.	Pericardium purulentum. *pars* II. *obſ.* 673.
Cum dolore hypochondrii ſiniſtri ad humerum uſque producto.	Omentum circumvolutum; lien putridus & gangrænoſus. Hepar putredine affectum. *pars* I. *obſ.* 955.
Cum ſpiratione anxia & celeri, dolore, tuſſi, cordis tremore, dolore verſus ſternum, animi deliquiis, pulſu duro & inæquali, & tandem morte triduo adveniente.	Pericardii inflammatio. *pars* II. *obſerv.* 669.
Cum dolore lateris, tuſſi, ſputo cruento, ſpiratione, ſiti, & eryſipelate in facie.	Pulmones inflammati, pericardium putridum. *pars* II. *obſ.* 680.

Cum

Symptomata.	*Extiſpicia.*	
Cum immani diarrhæa.	Glandulæ meſenterii atheromatoſæ. *pars* I. *obſ.* 517.	FEBRIS ACUTA.
Cum fluxu hepatico & vomitu interpolatis.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 1026.	
Scabiei intempeſtive exſiccatæ.	Pancreas ſcirrhoſum, & cor quaſi uſtulatum. *pars* II. *obſ.* 16.	*Succedanea.*
Dolori hypochondrii dextri.	Inflammatio meſenterii. *pars* I. *obſ.* 516.	
Leipothymiis, & dolori ardenti in thorace ſiniſtro, cum cordis palpitationibus, & ſputis purulentis.	Pericardium pure conſpurcatum. *pars* II. *obſ.* 673.	
Vomitu ſanguineo.	Hepar ingens, omentum exeſum. *pars* I. *obſ.* 577.	
Caſui in occipite, cum gravedine ſupra nares.	Pus in cranio, juxta os æthmoideum. *pars* III. *obſ.* 504.	
Aſcitem.	Lien purulentum. *pars* I. *obſ.* 950.	*Sibi adjungit.*
Dolores nephriticos.	Corpus teſtaceum in pelvi. Pancreas & inteſtina ſphacelata. *pars* I. *obſ.* 1052.	
Febrem lentam cum dyſpnæa, tuſſi & fluxu alvi fœtido.	Pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 387.	
Sphacelum totius corporis.	Cor diſtentum. *pars* II. *obſ.* 429.	

FEBRIS MALIGNA.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*	
———	Lumbricus ductum pancreaticum obturans. *pars* I. *obſ.* 1062.	FEBRIS MALIGNA.
———	Viſcera inflammata. *pars* I. *obſ.* 1564.	
Cum cardialgia, tuſſi, ſpirandi difficultate, lateris dolore, urinis turbidis, nauſeis, intumeſcentia regionis epigaſtricæ; & tandem convulſiones lethales.	Hepar infarctum, inteſtina & pulmones inflammata. *pars* II. *obſ.* 306.	
Cum levi ſpirandi difficultate, pulſu intermittente & raro, abſque ullo pectoris dolore.	Aqua in pericardio. *pars* II. *obſ.* 612.	

FEBRIS MALIGNA.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum vomitu, alvi ſuppreſſione prægreſſa.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 338.
Herniosum corripit cum vomitu & doloribus ventris.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 344.
Cum dolore hypochondriorum, ventris intumeſcentia, hemorrhagia narium.	Abſceſſus in cerebro & abdomine. *pars* III. *obſ.* 531.
Cum ſummo viſcerum ardore.	Viſcera putrida. *pars* II. *obſ.* 1611.
Ardor.	*obſ.* 1616.
Febris maligna, epidemica cum cardialgia, dein tuſſi & ſpirandi difficultate, lateris dolore ſtipata, urinis turbidis & convulſionibus.	Ventriculus, inteſtina & pulmones inflammata, hepar infarctum & cyſtis fellea inanis. *pars* II. *obſ.* 306.
Cum cardialgia, dolore lateris, ſpirandi difficultate ſtipato, & tumore in regione epigaſtrica dein oboriente cum convulſionibus.	Ventriculus & inteſtina paſſim gangrænoſa, meſenterium putridum, & pus ſtagnans in abdomine. *pars* I. *obſ.* 162.
Cum ventris dolore continuo & acerbiſſimo.	Viſcera putrida. *pars* I. *obſ.* 1610.
Cum delirio & ſopore comatoſo.	Cerebrum inflammatum. *pars* II. *obſ.* 412.
Peſtilens cum leipothymiis brevi ægrum enecans abſque delirio.	Cerebelli purulentia, aqua in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 521.
Febris maligna poſt animi pathemata ſæviens, menſes ſufflaminat, & ſibi adjungit leipothymias, abdominis intumeſcentiam cum delirio.	Pulmones infarcti, inteſtina paſſim inflammata. *pars* III. *obſ.* 12.
Nullo delirio ſtipata.	Abſceſſus cerebelli. *pars* III. *obſ.* 85.
Cum vomitu.	Viſcera abdominis inflammata. *pars* I. *obſ.* 353.
Succedit dyſenteriæ.	Inteſtina eroſa. *pars* I. *obſ.* 339.
Cum vomitu immani, poſt alvi ſuppreſſionem.	Pulmones putridi; hepar ſcirrhoſum; inteſtinum ileum inflammatum, & coalitum. *pars* I. *obſ.* 439.
————	Plexus choroides ſanguine turgidus. *pars* I. *obſ.* 80.
Exacerbant, & erumpunt petechiæ, ſæviunt vomitus, nauſeæ, & ſomnolentia lethalis.	Pulmones plevræ hærent, hepar & renes inflammantur; ventriculi cerebri ſero cruento turgebant. *pars* III. *obſ.* 270.

FE-

FEBRIS EPIDEMICA.

FEBRIS EPIDEMICA.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Cum ſiti inextinguibili.	Ariditas viſcerum. *pars* I. *obſ.* 1553.
Mali moris in Italia graſſans, lethifer, niſi fluat alvus.	Cyſtis fellea bile turgens. *pars* I. *obſ.* 34.
Cum difficili reſpiratione & eruptione petechiarum, & ſubſultu tendinum.	Pulmones infarcti. *pars* II. *obſ.* 37.
Cum dolore capitis, æſtu, virium proſtratione, pulſu duro & intermittenti, ac eruptione petechiarum, quam ſequitur narium hemorrhagia lethalis.	Vaſa cerebri ſanguine turgida & pulmo inflammatus. *pars* II. *obſ.* 113.
Cum nauſea, vomitu, diarrhæa dein oboriente cum dejectione vermium, ſæviebat dolor in cordis ſcrobiculo, qui ſpirationem lædebat.	Viſcera abdominalia inflammata; vaſa cerebri ſanguine turgida, & pulmo gangrænoſus. *pars* II. *obſ.* 304.
Continua, cum virium proſtratione, tuſſi, dolore lateris.	Pulmones abſumpti. *pars* II. *obſ.* 361.
Cum tuſſi, ſingultu, corporis intumeſcentia, dolore œſophagi, dejectionibus bilioſis, & tandem tabe.	Aqua in abdomine, pulmones & lien putridi. *pars* II. *obſ.* 343.
Ad continentium naturam accedens cum capitis & lumborum dolore, ſtipata ſiti, comate vigili & phrenitide & vermium dejectione.	Pulmones inflammati, & vermes circa viſcera naturalia. *pars* II. *obſ.* 123.
Cum capitis dolore crudeliſſimo, nauſea & vomitu, convulſionibus, &c.	Vaſa encephali ſanguine turgida; aqua, & ſanguis circa cerebrum & medullam ſpinalem. *pars* III. *obſ.* 412.
Maligna epidemica cum cardialgia; dein tuſſi & ſpirandi difficultate lateris dolore ſtipata, urinis turbidis convulſionem accerſentibus.	Ventriculus, inteſtina, & pulmones inflammati, hepar & cyſtis fellea inanis. *pars* II. *obſ.* 306.
Spatio ſexdecim horarum, hominem jugulat.	Stomachus quaſi eſcharra uſtulatus. *pars* I. *obſ.* 168.
Cum cardialgia.	Ventriculus & inteſtina gangrænoſa. *pars* I. *obſ.* 162.
Cum dolore capitis, virium defectu, maculis purpureis circa pectus.	Meſenterium putridum, puſtulæ gangrænoſæ inſtar carbunculorum in abdomine & thorace. *pars* I. *obſ.* 1683.

Febris epidemica *Peſtis.*

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Peſtilentialis in qua erumpit bubo ſub axilla, & oritur ſopor lethargicus.	Cor gangrænoſum, hepar inflammatum, & viſcera colluvie turgida. *pars* II. *obſ.* 540.
Epidemica intermittens.	Pancreas ſchirroſum. *pars* I. *obſ.* 1037.
Cum anthracibus.	*Pars* I. *obſ.* 805.
Febris epidemica. Abſque ulla eruptione cum febre ardente, ſopore.	Mediaſtinum & pericardium putrida; cor ſanguine infarctum, hepar ingens, veſicula fellea inflammata. *pars* II. *obſ.* 758.
Abſque ullo tumore.	*Pars* I. *obſ.* 424.
Cum vomitu bilioſo.	Bilis ſeroſa, ſed nigerrima in veſicula fellea. *pars* I. *obſ.* 852.
Intra triduum nutricem rapit.	Item. *Pars* I. *obſ.* 853.
Cum phrenitide.	Abſceſſus inter ſternum & mediaſtinum; cor ingens, pulmones, cerebrum, hepar, maculis deſœdata. *pars* II. *obſ.* 317.

Extiſpicia.

Anthraces in inteſtinis, veſicula fellea ſubcærulea, bile nigra, turgida; cor puſtuloſum. *pars* II. *obſ.* 548. Hepar inflammatum; pulmones anthracibus deturpati. *pars* II. *obſ.* 323. Stomachus gangræna tactus, cyſtis fellea bile atra turgens. *pars* I. *obſ.* 845. Pulmones & hepar putridi. *pars* II. *obſ.* 318. Viſcera inflammata. *pars* I. *obſerv.* 1618, 1619. *pars* II. *obſ.* 351, 366. Carbunculus in rene ſiniſtro. *pars* I. *obſ.* 1080. Vermes in cerebro. *pars* III. *obſ.* 544.

Febris cum ſiti maxima, vomitu ingeſtorum, diarrhæa & convulſione oculorum.	Pulmones inflammati, & pericardium abſque ulla aquæ guttula. *pars* II. *obſ.* 83.
Mali moris. Cum ventris intumeſcentia.	Tumor ſaccatus pure infarctus in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1767.
Seſe adjungit pleuro-peripneumonia.	Puris quantitas maxima inter cerebrum & ejus involucrum; ſubſtantia encephali exeſa; pulmo inflammatus plevræ adhærens; inteſtina phlogoſea. *pars* III. *obſ.* 506.
Catarrhalis. Febris catarrhalis cum tuſſi violenta, ſpirandi difficultate &c.	Pulmones infarcti, & cruſta quadam ſebacea obducti. *pars* II. *obſ.* 59.
Cum tuſſi moleſta abit in febrem lentam quam prehendit ſopor lethalis.	Sanguis in vaſis cerebri, aqua in pericardio, & concretiones polypoſæ in thalamis cordis. *pars* II. *obſ.* 619.
Catarrhis proclivis incidit in febrem cum difficili reſpiratione.	Pulmones infarcti. *pars* II. *obſ.* 43.

Fe-

FEBRIS EPIDEMICA.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Febris catarrhalis ſeſe adjungit dolori ſiniſtri lateris, cum difficultate ſpirandi.	Pulmo inflammatus, & partibus vicinis annexus. *pars* II. *obſ.* 22.
Febris Catarrhalis. Cum ſpirandi difficultate, & pulſu debili.	Pericardium aqua turgens. *pars* II. *obſ.* 550.
Bilioſa. Cum cardialgia & convulſione; hepar ſcirrhoſum, pulſu intermittente, alvi fluxu, & tandem aſcite.	Hepar ſcirrhoſum, cor dilatatum & lapideſcens. *pars* I. *obſ.* 565.

FEBRES INTERMITTENTES.

FEBRES INTERMITTENTES.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Febris intermittens. Cum tumore in hypochondrio ſiniſtro, & vomitu bilioſo.	Lien & hepar mole portentoſa; ren ſiniſter amplior & purulentus. *pars* I. *obſ.* 913.
Icterum, hydropem & epilepſiam ſecum adducit, & interdum tument artus.	Hepar ſolito majus, lien ingens, epiloon & meſenterium putrida, vermes in inteſtinis, aqua in thorace & cerebro. *pars* III. *obſ.* 414.
Cum dolore hypochondriorum mulierem hyſtericam cruciat.	*Pars* II. *obſ.* 241.
Dyſenteriæ ſuccedit.	Ventriculus & omentum inflammata. *pars* I. *obſ.* 229.
Cum convulſionibus.	Inteſtina lumbricis ſcatentia. *pars* I. *obſ.* 301.
Febrem intermittentem ſequitur apoplexia ſubitanea.	Viſcera pleraque putrida. *pars* I. *obſ.* 959.
E genere ſubintrantium cum cardialgia & ventris protuberantia.	Idem. *Pars* I. *obſ.* 1088.
Cum ſyncope lethali, oritur poſt venæ ſectiones numeroſiſſimas.	Vaſa cerebri flatu turgida; cor inane, aqua in pericardio. *pars* II. *obſ.* 621.
Epidemica.	Pancreas ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 1037.
Subſequitur tumorem lateris ſiniſtri, & narium hæmorrhagiam.	Lien ingens & durus continet materiam inſtar fæcis vini rubri. *pars* I. *obſ.* 919.
Febris intermittens. Male curata hydropem accerſit.	Aqua in abdomine; lien tumidus. *pars* I. *obſ.* 73.

Sibi

FEBRES INTERMITTENTES.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Sibi icterum adjungit cum duritie hepatis.	Veſicula fellea bile viſcida & calculis turgens, & accreta peritoneo. *pars* I. *obſ.* 857.
Poſt venæ ſectiones numeroſas intermittens febris cui ſuccedit ſyncopes lethalis.	Vaſa cerebri flatu turgida, cor inane, & aqua in pericardio. *pars* II. *obſ.* 621.
Febris tertiana. Stipata ventris torminibus hydropem mutuatur.	Viſcera corporis inflammata. *pars* I. *obſ.* 1566.
Cum tumore in hypogaſtrio, in quartanam degenerat.	Hepar tumens & quaſi exuſtum, lien nigricans. *pars* I. *obſ.* 748.
Cum pleuritide.	Vermes in inteſtinis. *pars* I. *obſ.* 307.
Cum tumore duro circa regionem hepatis.	Pulmones cruſtâ obducti, & vermes in inteſtinis. *pars* II. *obſ.* 61.
Cum ventris torminibus.	Hepar ſcirrhoſum & ingens, glandulæ meſenterii, & pancreas indurata. *pars* I. *obſ.* 1029.
Cum cephalalgia, vigiliis, phreniti.	Meninges inflammatæ & vaſa cerebri ſanguinis turgida. *pars* II. *obſ.* 8.
Cum dolore capitis præter expectationem in ſyncopem lethalem degenerat.	Vaſa cerebri flatulenta, hydrops pericardii, lien ingens, cyſtis fellea lapillis ſcatens. *pars* II. *obſ.* 55.
Cum convulſionibus lethiferis.	Viſcera inflammata. *pars* I. *obſ.* 1566.
Cum anhelatione.	Inteſtina contracta; ventriculus bile turgebat. *pars* I. *obſ.* 497.
In apoplexiam degenerat.	Hepar ingens. *pars* II. *obſ.* 611.
Succedit vomitui, cum duritie hypochondrii dexri.	Aqua in capite. *pars* III. *obſ.* 462.

Extiſpicia.

Hepar ſcirrhoſum, & veſicula fellis calculis turgida; lien & pancreas exigua, ventriculi facies interna inflammata. *pars* I. *obſ.* 617. Viſcera corporis putrida. *pars* I. *obſ.* 818.

Succedit. Alvi ſuppreſſioni.	Inteſtini recti parietes coaliti. *pars* I. *obſ.* 503, 514.
Tumori hypochondriorum.	Hepar ingens & induratum; pulmo dexter coſtis hærens; pericardium aqua ſubcruenta ſcatet. *pars* I. *obſ.* 341.

Febris.

FEBRES INTERMITTENTES.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Febris tertiana. Peripneumoniæ, & abit in continuam lethalem.	Pulmones paſſim ſcirrhoſi & paſſim putridi. *pars* II. *obſ.* 19.
Suppreſſa febre tertiana, oritur tumor in hypochondrio dextro, quem ſequitur hydrops.	Hepar ſteatomatoſum. *pars* I. *obſ.* 164.
Curata tertiana vernali, accedit obtuſus dolor in hypochondrio dextro, cum ventris & ſcroti intumeſcentia.	Serum in abdomine; hepar ſcirrhoſum. Liquamine turget cyſtis fellea. Lien ſolito major & induratus. Pectus aqua turget. *pars* I. *obſ.* 618.
Dyſenteriæ ſuccedit.	Inteſtina tenuia inflammata. *pars* I. *obſ.* 348, 349.
Degenerat in febrem continuam lentam cum doloribus.	Pancreas ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 1034.
In febre tertiana vicies ſepties mittitur ſanguis.	Vaſa inania. *pars* II. *obſ.* 461.
Tempore invaſionis paroxyſmi, mors.	Sanguis concretus in vaſis. *pars* I. *obſ.* 51.
Febris redolens naturam tertianæ.	Pancreas putridum. *pars* I. *obſ.* 1055.
Tertiana duplex. Ægrum ſubito enecat.	Abſceſſus in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1686.
Quemdam poſt catarrhum invadit.	Aqua turget pectus. *pars* I. *obſ.* 239.
Cum tuſſicula.	Pulmones pure exeſi. *pars* II. *obſ.* 386.
Abit in febrem putridam.	Pulmones puſtuloſi, & hepar ſolito majus. *pars* II. *obſ.* 338.
Succedit æſtui ventriculi.	Hepar obſtructum. *pars* I. *obſ.* 125.
In quartanam mutatur; accerſit corporis tumorem œdematoſum cum tuſſi.	Hydatides in ſuperficie cordis; pulmones inflammati, veſiculæ fellis craſſi parietes. *pars* I. *obſ.* 856.
Motus convulſivos ſibi accerſit.	Cor marcidum. *pars* II. *obſ.* 451.
Semi-tertiana. Cum dolore circa regionem hepatis, dyſpnæa, &c.	Omentum dilaceratum, pulmones putridi; ventriculus & inteſtina hepate ingente e ſede dimota. *pars* II. *obſ.* 366.
Exacerbans febrem ſemi-tertianam mentitur.	Hepar inflammatum; calculi in veſicula fellea; pulmo ſiniſter putridus. *pars* I. *obſ.* 600.
Febris quartana. Cum menſium ſufflaminatione quam ventris excipit tumor, & dein oſſium per alvum dejectio.	Perforatus uterus & inteſtinum rectum exeſum. *pars* I. *obſ.* 1399.

Cum

FEBRES INTERMITTENTES.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum dolore hypochondrii ſiniſtri famelicum cruciat, qui dein arthriticus evaſit.	Lien diſruptus. *pars* I. *obſ.* 981.
Decubitu denegato.	Pancreas purulentum. *pars* I. *obſ.* 1049.
Menſtrua arcet, & ſibi adjungit tumorem in ſiniſtro hypochondrio, cui ſucceſſit aſcites.	Tubarum purulentia. *pars* I. *obſ.* 1464.
Cum vomitione materiarum acidarum, in triplicem, & dein in continuam evadit.	Ventriculus liquamine turgens; hepar induratum; ſplen exiguum. *pars* I. *obſ.* 42.
Abſque ullo pectoris dolore, tuſſi, aut expuitione, puellam ſubito enecat.	Pulmones pure exeſi. *pars* II. *obſ.* 391.
Capitis ſummum dolorem concomitatur.	Siniſter cerebri ventriculus ſero turget. *pars* III. *obſ.* 390.
Cum dejectionibus cruentis, abſque ullo dolore aut tumore ventris.	Abſceſſus in meſenterio. *pars* I. *obſ.* 554.
Poſt ſe trahit Aſcitem.	Pulmones abſumpti, & viſcera abdominalia cruſta obducti. *pars* I. *obſ.* 360, 520.
Artuum & ventris intumeſcentiam, cum facie ſubtumida, quam excipit mors ſubitanea.	Sanguine infarcta vaſa encephali, aqua in ventriculis cerebri, & in cavo thoracis; hepar nigricans. *pars* III. *obſ.* 227.
Poſt multas venæ ſectiones in hydropem abit.	Aqua in abdomine, & vaſa inania. *pars* I. *obſ.* 459.
Aſcitem.	Cor & veſicula fellea inania. *pars* I. *obſ.* 459.
Succedit Dolori & tenſioni chronico hypochondrii ſiniſtri.	Hepar partim ſcirrhoſum & partim putridum. *pars* I. *obſ.* 761.
Cum abdominis & artuum intumeſcentia ſuccedit vomitioni ſanguinolentæ.	Aqua in thorace & cerebri ventriculis. *pars* III. *obſ.* 371.
Febris erratica cum tumore in regione hepatis.	Hepar ſteatomatoſum. *pars* I. *obſ.* 168.
Febris erratica cum dolore in utroque hypochondrio, & alvi fluxu ſuccedaneo.	Omentum conſumptum, hepar ingens & putridum. *pars* I. *obſ.* 746.
Quam ſequuntur ardor lumborum, tumor & dolor epigaſtrii & hypochondrii dextri, cui poſtea ſeſe adjungit chronicus vomitus.	Viſcera putrida. *pars* I. *obſ.* 1594.

Ex-

Extiſpicia.

Lien putridus. *pars* I. *obſ.* 973, 974. Ingens ſanguinis concreti quantitas in vaſis hæret. *pars* I. *obſ.* 478. Aqua in abdomine, inteſtina torrefacta.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Febricula cum tuſſi ad quam accedunt dolor thoracis, & dein animi deliquia.	Viſcera thoracica putrida. *pars* II. *obſ.* 678.
Poſt niſum exſcandeſcit cum intumeſcentia in ſcrobiculo cordis.	Serum ſanguinolentum in pectore. *pars* II. *obſ.* 649.

Æ S T U S   M O R B O S U S.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Æſtus morboſus. Æſtus ingens viſcerum in febre maligna.	Viſcera inflammata, præſertim ventriculus. *pars* I. *obſ.* 1616.
Æſtus corporis intenſiſſimus.	Pericardium cordi adnatum. *pars* I. *obſ.* 713.
Æſtus plantarum pedis, cum pulſatione & ardore in abdomine.	Anevriſma in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1627.
Circa hepatis regionem, in matrona pavida.	Putrefactum inteſtinum colon. *pars* I. *obſ.* 449.
In hypochondriis.	Lien cartilagineus. *pars* I. *obſ.* 985.
Interaneorum macie accedente cum febre lenta poſt icterum.	*Pars* I. *obſ.* 736.
Suppreſſa diarrhæa oriuntur ædores per totum abdomen & emergunt anxietates, & ſingultus; venter prominet & ingruit delirium.	Ventriculus craſſus contractus & inflammatus, inteſtina contracta & in inglomeramen circumvoluta. *pars* I. *obſ.* 70.
Emergit circa cordis ſcrobiculum ictu inflicto capiti.	Superficies interna ventriculi inflammata. *pars* I. *obſ.* 80.
Æſtus morboſus. Æſtus generales poſt crapulam.	Abſceſſus ventriculi. *pars* I. *obſ.* 84. (*a*)
Circa ventriculum.	Ventriculus bile turgens. *pars* I. *obſ.* 136.
Gutturis poſt aſſumptum venenum.	Ventriculus inflammatus. *pars* I. *obſ.* 164.

	Symptomata.	*Extiſpicia.*
ÆSTUS MORBOSUS.	Ventriculi compeſcitur vomitu bilioſo, viribus tamen fatiſcentibus accedit lethum.	Colluvies clilioſa in ventriculo, pancreas & hepar ſcirrhoſa & ductus choledocus ventriculo proſpiciens. *pars* I. *obſ.* 34.
	Ventriculi cum algore partium externarum corporis.	Ventriculus inflammatus. *pars* I. *obſ.* 161.

S U D O R E S.

	Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
SUDORES.	*Sudores.* Lochiis ſufflamminatis, convulſiones accedunt.	Uterus ſanguine infarctus, & cor dilatatum. *pars* II. *obſ.* 405.
	Seſe adjungunt ſymptomatibus phthiſeos.	Vomica pulmonis. *pars* II. *obſ.* 142.
	Poſt dolores abdominis, oboriuntur cum vomitionibus.	Ventriculus inflammatus. *pars* I. *obſ.* 157.
	Cum vomitu materierum nigerrimarum, & dolore in epigaſtrio.	Pylorus conſtrictus, ventriculus inflammatus. *pars* I. *obſ.* 159.
	Poſt vomitum ſanguinis.	Pulmones gangrænoſi, ventriculus, lien & omentum contracta, liquamen in abdomine. *pars* I. *obſ.* 247.
	Sudores nocturni in hectica febre.	Meſenterium ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 520.

V I R I U M E X O L U T I O.

	Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
VIRIUM EXOLUTIO.	*Virium exolutio.* Animi deliquia cum ventris doloribus, pulſu inordinato, & tandem lethalis leipothymia.	Anevriſma abdominis. *pars* I. *obſ.* 1625.
	Debilitas corporis, cum gravitate circa præcordia, & oris ſiccitate.	Lien marcidus, lapilli in veſica & in renibus. Proceſſus falciformis oſſeus occurrit. *pars* I. *obſ.* 852.
	Debilitas crurum cum dolore in regione renum.	Renes putriditate exeſi. *pars* I. *obſ.* 1136.
	Lypothymia in delirium ſoporoſum abiit.	Cerebri durities. *pars* III. *obſ.* 84.

Syn-

VIRIUM EXOLUTIO.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Syncopes quemdam poſt nephritidem & ventriculi dolores invadit; & ſpatio trium horarum, de medio tollit.	Ventriculus turget ſanguine concreto. *pars* I. *obſ.* 46.
Languor poſt lapſum.	Pulmones pure exeſi, & pericardium ſterno adhærens. *pars* II. *obſ.* 393.
Debilitas crurum urinæ & aſpirationis difficultatem accerſit, abdomine interdum tumente cum vomitu materierum nigerrimarum ſubſequenti.	Ulcera in ſtomacho, renes duri, omentum & pulmones putrida. *pars* I. *obſ.* 1205.
Syncopes. Syncopes frequens, tandem flatulentiæ, & orthopneæ obnoxium virum repente tollit.	Sanguis concretus in thalamis cordis. *pars* I. *obſ.* 7015.
Sequitur cordis dolorem.	Ulcus cordis ſanguine concreto infarcti. *pars* II. *obſ.* 529.
Poſt ſanguinis expuitionem ſuccedit cordis palpitationibus.	Cor tumidum. *pars* II. *obſ.* 442.
Cum palpitatione cordis.	Cor ſanguine concreto infarctum. *pars* II. *obſ.* 538.
Cum ventriculi dolore bis recurrit, & poſtea mortem ſubitaneam ſibi accerſit.	Lien ingens, cor dilatatum, aqua in thoracis cavo. *pars* II. *obſ.* 421.
Syncopes. Cum cordis palpitatione.	Cordis abſceſſus. *pars* II. *obſ.* 513.
Cum reſpiratione difficili ſæpe occurrit.	Cor proceſſibus ligamentoſis pericardio annexum. *pars* II. *obſ.* 698.
Cum gravi anhelitu, & frigore in artubus.	Pericardium cordi accretum. *pars* II. *obſ.* 708.
Lypothimia. Poſt dolores renum.	Steatomatoſus tumor baſi uteri adhærens. Moles hydatidum in abdomine. *pars* I. *obſ.* 692.
Poſt vomitum ſanguinis.	Ventriculus gangrænoſus; lien extus cartilaginoſus, & intus putridus; pancreas ſcirrhoſum, & liquamen in abdomine. *pars* I. *obſ.* 155.
Dolorem colicum ſequitur.	Pancreas ſyderatum. *pars* I. *obſ.* 1059.
Aſcitem concomitatur.	Pulmones putridi, lapis ventriculo accretus, hepar ſcirrhoſum, & colluvies in abdomine. *pars* I. *obſ.* 58.
Aſciti ſuccedit.	Omentum & peritoneum craſſa, inteſtina coarctata &c. *pars* I. *obſ.* 232.

VIRIUM EXOLUTIO.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Poſt exſiccatam dorſi fiſtulam.	Peritoneum abſumptum. *pars* I. *obſ.* 12.
Vomitu prægreſſo materierum nigerrimarum.	Pylorus contractus, ventriculus inflammatus. *pars* I. *obſ.* 159.
Poſt menſium ſuppreſſionem.	Lapides in pericardio, pulmones ſcirrhoſi, & ſubnigricantes. *pars* II. *obſ.* 719.
Capitis doloribus curatis accedunt leipothymiæ lethales.	Abſceſſus cerebelli, ſinus lateralis ſiniſter diſruptus. *pars* III. *obſ.* 18.
Abſque cauſa evidenti ſæpe occurrunt cum ſpirandi difficultate & anxietatibus, ſibi maciem accerſentibus.	Aqua in thorace, præcipue in pericardio. *pars* II. *obſ.* 648.
Lypothimiæ antecedunt cordis palpitationes.	Cor dilatatum & lapideſcens. *pars* II. *obſ.* 567.
Ventris dolori ſeſe adjungunt poſt exercitium immodicum.	Pulmones coſtis hærentes. *pars* II. *obſ.* 16.
Palpitationes cordis concomitantur.	Cor dilatatum. *pars* II. *obſ.* 450.
Lypothymiæ cordis palpitationes ſequuntur.	Sanguis concretus in corde. *pars* II. *obſ.* 483.
Poſt prandium lautiſſimum.	Sanguinea colluvies in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1759.
Sæpe recurrunt in morbo ignoto.	Pulmones & hepar putrida. *pars* I. *obſ.* 799.
A decubitu qualicumque, in febre inflammatoria pectoris.	Mediaſtinum tumens & inflammatum. *pars* I. *obſ.* 757.
Seſe mutuo ſuccedunt cum rubore genarum in febre ardenti, cum dolore pectoris.	Pericardium & pulmo ſiniſter purulenta. *pars* II. *obſ.* 674.
Excipit diarrhæam bilioſam.	Aqua cruenta in abdomine. Jecur ingens, & inflammatum; cyſtis fellea inanis, & inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 603.
Lypothymiæ ſeſe adjungunt ſpirandi difficultati.	Sanguis concretus in bronchiis. *pars* II. *obſ.* 483.
Artuum inferiorum debilitas dolores capitis interconcomitantur.	Cerebrum quaſi corneum; aqua in ventriculis, corpus calloſum laxum. *pars* III. *obſ.* 18.

Extiſpicia.

VIRIUM EXOLUTIO.

Cordis purulentia. *pars* II. *obſ.* 518. Aqua in pectore; valvulæ cordis ſemilunares oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 577. Pericardium cordi adhærens. *pars* II. *obſ.* 699. Cor putridum. *pars* II. *obſ.* 532. Sanguis concretus in cordis thalamis. *pars* II. *obſ.* 500. Valvulæ oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 592. Vermes in thalamis cordis, aut potius ſanguis concretus. *pars* II. *obſ.* 573. Cordis purulentia. *pars* II. *obſ.* 517. Cor ſanguine concreto turgens. *pars* II. *obſ.* 538.

SANGUINIS INOPIA.

SANGUINIS INOPIA.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Sanguinis inopia. Poſt venæ ſectiones frequentes, oritur febris intermittens cui ſyncopes ſucceſſit.	Vaſa cerebri flatu turgida; cor inane, & aqua in pericardio. *pars* II. *obſ.* 421.
Poſt numeroſas venæ ſectiones, febris quartana in hydropem abit.	Vaſa inania; aqua in abdomine. *pars* II. *obſ.* 459.
In febre tertiana vicies ſepties mittitur ſanguis.	Vaſa inania. *pars* II. *obſ.* 461.

FLUXUUM ET ERUPTIONUM RETROCESSUS.

FLUXUUM &c. RETROCESSUS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Fluxuum & eruptionum retroceſſus. Ulcere cruris cum ſcabie retropulſis, ſuffocatio imminet.	Pulmones inflammati. *pars* II. *obſ.* 66.
Suppreſſo fluxu fiſtulæ, oriuntur dolor in hypochondrio dextro, vomitus, & tandem icterus.	Hepar ingens & ſcirrhoſus, ſteatoma meſenterio adnatum. *pars* I. *obſ.* 633.
Spirandi difficultas & corporis intumeſcentia ab exſiccata fontanella.	Abſceſſus in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1685, 1687.
Exſiccatis ulceribus crurum veteribus, ſæviunt dolores rheumatici cum pectoris dolore.	Pericardium ſanguine ex auriculis cordis effuſo diſtentum. *pars* I. *obſ.* 723.

Flu-

FLUXUUM &c. RETROCESSUS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Fluxus purulentus ex auribus a variolis contrahitur, dolore capitis immani ſupprimitur, deinde oriuntur motus convulſivi brevi lethales.	Abſceſſus cerebri juxta oſſa petroſa carie affecta. *pars* III. *obſ.* 113.
Ulceribus cruris exſiccatis, mors.	Cerebri laterales ventriculi aqua turgent. *pars* III. *obſ.* 372.
Eadem cauſa mors ſubitanea.	Pericardium colluvie nigra turgidum & ſciſſura in thalamo cordis ſiniſtro. *pars* II. *obſ.* 664.
Fluxuum & eruptionum retroceſſus. Exanthemata frigore repulſa mortem ſubitaneam producunt.	Cor ſanguine obrutum. *pars* I. *obſ.* 854.
Ad horas intempeſtive retrocedentes ſequuntur diarrhæa & atrophia.	Aqua effuſa in baſim cranii. *pars* III. *obſ.* 245.
Fluxu ani fiſtulæ imminuto, exurgit vomitus.	Ventriculus inflammatus, & pure conſpurcatus. *pars* I. *obſ.* 41.
Bubones evaneſcunt, & ſubito moritur æger.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 342.
Scabies depulſa intempeſtivis remediis, oritur defluvium humoris ſalſi in pulmones, & tandem febris hectica.	Pulmonum purulentia. *pars* II. *obſ.* 346.
Eadem cauſa orthopnæa lethalis.	Jecur durum; aqua in thoracis cavo, & in pericardio præcipue. *pars* II. *obſ.* 642.
Dolores in regione epigaſtrica, cum cardialgia, nauſea, vomitu & doloribus colicis.	Pancreas & omentum ſcirrhoſa. Liquamen in abdomine. *pars* I. *obſ.* 254.
Fluxus ichoroſus. Evaneſcens relinquit retractionem genuum.	Viſcera adipe obruta. *pars* I. *obſ.* 1554.
Setaceo exſiccato, ſequitur ophtalmia quam excipiunt tuſſis, & ſputa purulenta.	Pulmones paſſim indurati, & paſſim putridi cum aqua in thorace. *pars* I. *obſ.* 219.
Fluxu hemorrhoidali ſuppreſſo, ſæviunt dolores ventris cum vomitionibus.	Ventriculus in parte infima ſyderatus. *pars* I. *obſ.* 165.
Suppreſſo fluxu menſium dolores in toto corpore ſæviunt cum vomitu.	Aqua ſubcruenta in abdomine; omentum exeſum, hepar annexum partibus vicinis, inteſtina contracta. *pars* I. *obſ.* 268.
Suppreſſioni menſium hectica febris ſeſe adjungit.	Steatomata ingentia, & in ſiniſtro latere. *pars* I. *obſ.* 543.

Repul-

Symptomata.	*Extiſpicia.*	
Repulſo vetuſto herpete, ſævit dolor in thorace, ad aurem ſiniſtram uſque protenſus, cum ſpirandi difficultate, leipothymia, & tandem ſuffocatione.	Mediaſtinum ſanguine turgens. Pulmones eadem labe erant affecti. *pars* II. *obſ.* 756.	FLUXUUM &c. RETROCESSUS.

DOLORES GENERALES.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*	
Dolores generales. Poſt hauſtum frequentem aquæ, mane jejuno ventriculo, lethales evadunt.	Lapis intra ventriculi tunicas. *pars* I. *obſ.* 59.	DOLORES GENERALES.
Menſibus ſuppreſſis, totum corpus aggrediuntur, ſomnolentia & vomitu interdum recurrentibus.	Aqua ſtagnans in abdomine, omentum exeſum, hepar pallidum, partibus vicinis accretum; inteſtina verſus diaphragma propulſa. *pars* I. *obſ.* 268.	
Dolores immanes in toto corpore ſæviunt, & maciem ſibi adjungunt.	Viſcera corporis, excepto corde, putrida. *pars* I. *obſ.* 1611.	
Univerſales cum febre, difficili ſpiritu, &c.	Pulmones coſtis annexis, veſica fellea conſtricta & quaſi calloſa, bilis effuſa in ventriculo & duodeno. *pars* I. *obſ.* 349.	
Dolores ingruentes poſt partum.	Meſenterium ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 540.	
Sæviunt tempore plenilunii (fabulam redolet hæc obſervatio.)	Lien lapideſcens. *pars* I. *obſ.* 995.	
Invadunt puellam febre heſtica laborantem, cum ſudoribus nocturnis pedum ædematia, & diarrhæa colliquativa.	Meſenterium ſcirrhoſum, hepar diaphragmati adnatum, paſſim ſteatomatoſum venæ cavæ adhæret. Lien eadem labe inquinatur; pulmones paſſim putridi, & ſteatoma circa tracheam arteriam. *pars* I. *obſ.* 522.	

INSULTUS CATARRHALES.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*	
Inſultus catarrhales. Catarrhalis affectio, abſque dolore in thorace, ſenem ad tumulum ducit.	Pulmones inflammati. *pars* II. *obſ.* 127.	INSULTUS CATARRHALES.

INSULTUS CATARRHALES.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
In hydropem pectoris & aſcitem degenerat.	Aqua in abdomine. *pars* II. *obſ.* 858.
Cum motibus convulſivis, & manuum interdum tremore.	Aqua in theca cranii, & pleraque abdominis viſcera putriditate affecta. *pars* III. *obſ.* 472.
Catarrhus, poſt animi pathemata, virum ſuffocat.	Cor dilatatum ſanguine concreto. *pars* III. *obſ.* 424.
Sibi palpitationes cordis adjungit.	Pectus ſero turget; pulmones inflammati; pericardium purulentum. *pars* II. *obſ.* 677.
Neglectus abit in diuturnam tuſſim cum ſputo purulento, ſanguinis expuitione, quam ſequuntur pedum œdematia, & febris lenta.	Pulmones pure exeſi. *pars* II. *obſ.* 381.
Catarrhis obnoxius prehenditur difficultate ſpirandi, tuſſi, quibus ſuccedunt horripilationes circa veſperam, ſputa cruenta, dolores nocturni, diarrhæa colliquativa.	Vomica pulmonis. *pars* II. *obſ.* 142.
Deffluvium humoris ſalſi in pulmones, & tandem febris hectica oriuntur, ſcabie repulſa remediis intempeſtivis.	Pulmonum purulentia. *pars* II. *obſ.* 345.
Seſe adjungit ſopori lethargico cum oculorum obnubilatione in febre continua.	Aqua limpida inter corticem cerebri & corpus calloſum. Pulmones paſſim phlegmonodei, & paſſim putridi. *pars* III. *obſ.* 369.
Mulier catharris & gravedine capitis obnoxia, continuas fundit lacrymas.	Spongiæ inſtar, aqua turget cerebrum. *pars* III. *obſ.* 383.
Catharralis affectus cum perpetuo capitis dolore.	Aqua in cranio. *pars* III. *obſ.* 430.

Extiſpicia.

Aqua in cranio. *pars* III. *obſ.* 2. Hepar ingens, & cyſtis fellea bile concreta ſcatens. *pars* I. *obſ.* 598. Sanguis concretus in vaſis. *pars* II. *obſ.* 494.

C A C H E X I A.

CACHEXIA.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Cachexia. Evenit cum vomitu erupto tumore circa cartilaginem enſiformem.	Hepar tuberculoſum. *pars* I. *obſ.* 666.
Cum doloribus in regione hepatis.	Hepar album & tuberculoſum. *pars* I. *obſ.* 671.
Cum ſpirandi difficultate, febre, vomitu, diarrhæa; & tandem, pedum œdematia.	Aqua in capite, thorace, & abdomine. *pars* II. *obſ.* 138.
Cum dolore circa præcordia.	Omentum putridum; glandulæ meſenterii ſteatomatoſæ; pancreas ſcirrhoſum & purulentum, pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 718.
Cum tumore hypochondrii ſiniſtri, febrem intermittentem, & dein diarrhæam ſibi accerſit.	Omentum retractum & tuberoſum, hepar putridum; lapides in cyſtide fellea, lien ingens. *pars* II. *obſ.* 374.
Cum tuſſi & diſpnæa, ſuccedit pectoris morbo acuto, & phthiſim poſt ſe trahit.	Pulmones pure abſumpti. *pars* II. *obſ.* 374.
Cachectica ad animi deliquia proclivis de repente concidit.	Pericardium aqua diſtentum & eroſum, cum cordis ſuperficie exteriori. *pars* II. *obſ.* 683.
Cachectica inter febrem continuam, & bilioſam extinguitur.	*Pars* I. *obſ.* 695.
Poſt menſes ſuppreſſos, mulier cachectica de ardore queritur in ſiniſtro pectoris latere, cui ſuccedit orthopnæa cum ſenſu ponderis & ſputo cruento, pulſu duro, & tandem frigore extremorum accedente.	Serum in thorace, pulmones præduri, & ſanguis in thalamis cordis. *pars* I. *obſ.* 109.
Morbo pectoris enecatur cachecticus.	Pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 354.
Cachexia. Accedit poſt ſuppreſſionem menſium.	Hepar hydatibus infarctum, lien ingens, inteſtina inflammata, pulmones tuberculoſi, & aqua in pectore. *pars* I. *obſ.* 695.
Longiori in carceribus remora fovetur, & dein ſibi adjungit tuſſim cum expuitione puris, & demum ingruit febris lenta.	Pulmones duri, & ſerum ſtagnans in thorace.
Poſt vitam ſedentariam.	Cor ingens & ſemiputridum. *pars* II. *obſ.* 407.
Cachecticus ingenio tardo, & quaſi hebes, epilepſia corripitur.	Gelatina in cerebro, meſenterium putridum. *pars* III. *obſ.* 475.

CACHEXIA.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
In aſcitem degenerat (exemplum unicum brevitatis cauſa retulimus.)	Hepar tuberculoſum, *pars* I. *obſ.* 682.
Phthiſim poſt ſe trahit.	Pulmones pure abſumpti, *pars* II. *obſ.* 371.

Extiſpicia.

Bile vitioſa infarcta cyſtis fellea. *pars* I. *obſ.* 849. Seſe adjungit febri quartanæ. *pars* I. *obſ.* 920. Lien ingens. *pars* I. *obſ.* 937. Inteſtina verrucis infarcta. *pars* I. *obſ.* 365.

T A B E S.

TABES.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Tabes. Cum ſpirandi difficultate.	Pulmones exſucci & non putridi, *pars* II. *obſ.* 290.
Melancholicum aggreditur.	Viſcera abdominis ſcirrhoſa. *pars* I. *obſ.* 537.
Cum leipothymiis crebro recurrentibus, abſque cauſa Indiæ incolæ tabeſcunt.	Sanguis concretus in thalamis cordis. *pars* II. *obſ.* 474.
Cum reſpiratione difficili, tuſſi, &c.	Lapilli in pulmonibus. *pars* II. *obſ.* 260.
Cum ventris torminibus, & diarrhæa chiloſa.	Glandulæ meſenterii materia caſeoſa infarctæ. *pars* I. *obſ.* 519.
Abſque ullo prægreſſo pectoris dolore, ne quidem præſente, & ſine ulla tuſſi.	Ulcus pulmonum. *pars* II. *obſ.* 207.
Tabes. Cum dyſuria & pedum œdematia, ſeſe adjungit tumori dolorifico ventris.	Tumor circa meſenterium inteſtina undique comprimens. *pars* I. *obſ.* 1643.
Cum aſcite.	Hydrops veſicularis. *pars* I. *obſ.* 1706.
Aſthmate & tuſſicula inſignitur.	Pulmonum tubercula. *pars* II. *obſ.* 234.
Cum dolore hypochondriorum & inappetentia.	Hepar ingens, ventriculus contractus, & pulmo ſiniſter conſumptus. *pars* I. *obſ.* 218.
Seſe adjungit ventris tumor.	Tumor ſteatomatoſus in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1665.

TABES.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Tumeſcit venter cum fluctuatione; recte fluunt menſes abſque ulla macie artuum.	Hydrops peritonei. *pars* I. *obſ.* 1724.
Abſque cauſa ſenſibili.	Cordis purulentia. *pars* II. *obſ.* 224, 225.

Extiſpicia.

Meſenterium putridum & inteſtina invicem accreta. *pars* I. *obſ.* 570. Corpus glandiforme juxta pylorum. *pars* I. *obſ.* 102. Omentum ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 242. Abſceſſus in meſenterio. *pars* I. *obſ.* 557. Pulmo purulens. Lien tumidus & aqua in abdomine. Pulmonum membrana craſſiſſima, & viſcera abdominis inter ſe adnata. *pars* II. *obſ.* 225. Pulmonum purulentia & plevræ adhærens. *pars* II. *obſ.* 175. Pulmonum &c. Abſceſſus renis. *pars* II. *obſ.* 1221, 1444. Hepatis. *pars* I. *obſ.* 814. Pancreatis. *pars* I. *obſ.* 1057. Viſcera putrida. *pars* II. *obſ.* 1607. Renes infarcti liquore concreto cum vermibus. *pars* I. *obſ.* 1210. Meſenterium ſcirrhoſum & quaſi lapideſcens. *pars* I. *obſ.* 573. Hepar induratum. *pars* I. *obſ.* 143, 659, 1024. Lien ſcirrhoſus, glandulæ meſenterii putridæ. *pars* I. *obſ.* 566. Omentum e ſede depulſum, meſenterium purulentum. *pars* I. *obſ.* 565. Pulmones ſanguine infarcti, plevræ annexi, cor exſuccum, hepar inflammatum. *pars* I. *obſ.* 542. Lien contractus, glandulæ meſenterii ſteatomatoſæ. Pulmonum purulentia. *pars* II. *obſ.* 348. Pulmo pure abſumptus, & hepar decolor. *pars* II. *obſ.* 393. Tumoribus diaphragma huc & illuc diſperſus ſcatet. *p.* II. *obſ.* 782. Meſenterium ſcirrhoſum, & pulmones lapillis infarcti. *p.* II. *obſ.* 387.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Tabes ſuccedanea Tuſſi purulentæ cum dolore circa diaphragma, aſcitem poſt ſe trahente.	Pulmones pure exeſi. *pars* II. *obſ.* 373.
Doloribus in abdomine protuberante ſævientibus.	Hepar purulens inteſtino colo adnatum, omentum nullum, ichor in abdomine. *pars* I. *obſ.* 753.
Dyſuriæ.	Ren dexter diſtentus calculis, venæ emulgentes lapideæ; cyſtis fellea bile concreta turgida, pulmones tuberculoſi. *pars* I. *obſ.* 1086.
Diuturno acidorum uſui cui ſeſe adjungit vomitus frequens.	Ventriculus craſſus & ſcirrhoſus. *pars* I. *obſ.* 94.
Aſſumptis corallis & margaritis.	Ventriculi interna tunica eroſa. *pars* II. *obſ.* 267.
Aſthmati cum tuſſi interdum recurrente.	Pulmones lapillis turgent. *p.* II. *obſ.* 267.
Febriculæ cum tuſſi.	Pulmonum ſcirrhus. *pars* II. *obſ.* 227.
Prehendit ſputum cruentum, & ſibi adjungit ſpirandi difficultatem.	Pulmones indurati circuitum ſanguinis coercent. *pars* II. *obſ.* 216.

TABES.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Intumeſcentiæ ventris.	Hydrops cyſticus in abdomine, *pars* I. *obſ.* 1694.
Hypochondrii dextri.	Excreſcentia glanduloſa inteſtina comprimens. *pars* I. *obſ.* 1640.
Excipit dolorem ſtomachi jamdiu ſævientem cum alvo pertinaciter adſtricta, & hypochondrio dextro tumido.	Cor tabidum; cyſtis fellea calculis fœta. *pars* I. *obſ.* 872.
Inflammationi pulmonum cum ſputo purulento.	Pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 474.
Appetitui canino a pediculis abſumptis, ad icterum debellandum.	Pediculi in primis viis ſcatent. *pars* I. *obſ.* 53.
Diuturnis vomitionibus quibus ſuccedit ardor ventriculi ad ſuperiorem œſophagi partem aſcendens.	Aqua in abdomine & pericardio, pylorus ſcirrhoſus aditum præcludit alimentis. *pars* I. *obſ.* 836.
Vomitionibus.	Pylorus craſſus & cartilagineus adeoque conſtrictus ut vix ſtylum admitteret. *pars* I. *obſ.* 184, 188, 189.
Scabes ſuccedanea Vomitionibus diuturnis cum dolore ſtomachi.	Pylorus & ventriculus contracti. *pars* I. *obſ.* 191, 198, 201.
Dolori ſummo in vertice, cum vomitione frequenti.	Aqua ad libras circiter duas ſtagnans in ventriculis. *pars* III. *obſ.* 387.
	Eadem labe tactus pylorus; ventriculus præterea ingens. *pars* I. *obſ.* 185.

S C O R B U T U S.

SCORBUTUS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Scorbutus. Cum dolore in hypochondrio dextro tumido.	Hepar durum, meſenterium ſemiputridum, inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 670.
Cum reſpiratione anheloſa, gravitate capitis, & dein apoplexia lethali.	Cerebrum plane illæſum; pulmo diſcolor & infarctus ichore. *pars* II. *obſ.* 65.
Stipatur dolore ventriculi, quem prehendit vomitus lethalis.	Ventriculus inflammatus, hepar & lien indurata, & ſolito majora, hydatides in meſenterio. *pars* I. *obſ.* 632.

Subi-

SCORBUTUS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
[illegible]guitur ſcorbuticus.	Pericardium pene abſumptum, & ulcus cordis. *pars* II. *obſ.* 534.
Epidemicum.	Obſtructum meſenterium. *pars* I. *obſ.* 797.
Puer defœdatus maculis rubris ſcorbuticis, de dolore capitis obtuſo querulus, atrophia conſumitur quæ dein vomitum accerſit lethalem.	Pia meninx eroſa, cerebrum fœtidum tumoribus ſcirrhoſis turget. *pars* III. *obſ.* 211.

Extiſpicia.

Pericardium cordi adnatum. *pars* II. *obſ.* 714. Lien putridum. *pars* I. *obſ.* 965. Cor ingens & putridum. *pars* II. *obſ.* 407. Pulmonum abſceſſus. *pars* II. *obſ.* 174. Lien lapideſcens, hepar exangue & exſuccum. *pars* I. *obſ.* 81, 256, 277. Viſcera putrida. *pars* I. *obſ.* 267, 1606.

L U E S V E N E R E A.

LUES VENEREA.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Lues venerea. Hydrargirum in caſſum adhibitum, in febrem lentam cum pectoris anguſtia degenerat.	Thymus putris cum viſceribus vicinioribus. *pars* II. *obſ.* 766.
In ſomnum caroticum abit, & epilepticam gumma in cranio gerentem, de medio tollit.	Cranium carie læſum, cerebrum excavatum juxta gumma, ſaniem abſque fœtore recondit. *pars* II. *obſ.* 764.
Cum ſumma ſpirandi difficultate.	Thymus ſcirrhoſus. *pars* II. *obſ.* 764.
Sæviunt capitis dolores; oculi obnubilantur.	Oſſa cranii cariæ læſa, & cerebrum putriditate affectum. *pars* II. *obſ.* 25.
Cum doloribus vagis in capite, dyſuria, alvo adſtricta, ileo & ventris tumore ſubſequente.	Scirrhus circa os ſacrum. *pars* I. *obſ.* 1636.
Cum hemorrhagia uteri lethali.	Ovaria ſcirrhoſa. *pars* I. *obſ.* 667.
Cum dolore capitis intolerabili.	Cranium carie læſum. *pars* I. *obſ.* 32.
Mors inter hydrargiroſim.	Cor tuberculis ſcatens. *pars* I. *obſ.* 550.

Syphi-

LUES VENEREA.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Syphiliticus queritur de dolore continuo capitis.	Tria oſſa candida, duræ matri inhærentia, cum oſſis carie exeſis. *pars* III. *obſ.* 205.
Falſo pro ejus ſigno habetur dolor pertinax ad ſpinam dorſi.	Anevriſma aortæ. *pars* I. *obſ.* 1630.
Syphiliticus laborat tumore in ſiniſtro capitis latere, dolore cum partium ſtupore, vertiginibus, & febre cum delirio, dein accedentibus.	Tumor fungoſus e dura meninge prorumpit; aqua obruitur ventriculus ſiniſter cerebri, & variis locis putredine afficitur. *pars* II. *obſ.* 23.

Extiſpicia.

Veſiculæ ſeminales turgidæ, oſſa carie exeſa, glandulæ meſenterii comprimentes aortam, & cor dilatatum. *pars* II. *obſ.* 430. Scabies hepatis. *pars* I. *obſ.* 694. Abſceſſus hepatis. *pars* I. *obſ.* 776. Diaphragma puſtulis obſitum. *pars* II. *obſ.* 786. Vaſa lymphatica oculis inermibus huc & illuc conſpicua, pulmones tuberculoſi, thimus putris, & exoſtoſes in pluribus locis. *pars* II. *obſ.* 81.

S C R O P H U L Æ.

SCROPHULÆ.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Scrophula. Cum dolore capitis, & rumore pulſatili in parte ſiniſtra, e qua ſecta, ſanguis congrumatus fluit.	Cranium carie læſum, & meninges putridæ. *pars* II. *obſ.* 24.
Cum ventris doloribus, quos ſequitur atrophia.	Glandulæ meſenterii infarctæ. *pars* I. *obſ.* 1599.
Scrophuloſus de ſumma ſpirandi difficultate queritur, & tumores circa tracheam arteriam gerit.	Glandulæ bronchiales, & meſenterii turgidæ. *pars* I. *obſ.* 1581.
Cum ſputis purulentis, ſpirandi difficultate, & macie ſubſequenti.	Aqua in thorace, pulmo ſiniſter & thimus calculos plures fovebant. *pars* II. *obſ.* 769.
A pubertate puer tuſſi arida, & tandem febre lenta laborat.	Pulmonum tubercula. *pars* II. *obſ.* 243.
Scrophuloſi tumores in pede, aſthmaticum moleſtant.	Pulmones pure exeſi & materia gypſea infarcti. *pars* II. *obſ.* 392.
Melancholicum invadunt.	Meſenterium ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 546.

Ex-

Extiſpicia.

SCROPHULÆ.

Bronchiales & meſentericæ glandulæ infarctæ, pancreate illæſo. *pars* II. *obſ.* 225. Pericardium cordi adhærens. *pars* II. *obſ.* 692. Meſenterium ſcirrhoſum, & arida viſcera corporis. *pars* I. *obſ.* 522. Hepar triplo majus ſolito. *pars* I. *obſ.* 67, 589. Hepar ingens cum cyſtide bile glutinoſa obruta. *pars* I. *obſ.* 592. Ductus thoracicus turgens, materia gypſea infarctus. *pars* II. *obſ.* 771. Glandulæ meſenterii & thimus ſcirrhoſa. *pars* II. *obſ.* 763. Glandulæ maxillares cum meſentericis induratæ. *pars* I. *obſ.* 1580, 1584, 1585, 1586, 1587, 1588. Thyroidea glandula tumens in centro, nunc recondit adipoſam, nunc maſſam ſteatomatoſam, nunc concretiones tophaceas, nunc hydatides. *pars* II. *obſ.* 82.

A R T H R I T I S.

ARTHRITIS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Arthritis. Cum febre & ſopore: dein ſpirandi difficultate cum ſputis albis & viſcidis.	Pulmones exeſi, & infarcti humore albo & viſcido. *pars* II. *obſ.* 145.
Cum renum calculo, & vomica pulmonum.	Pulmones putridi, & renes calculis infarcti. *pars* II. *obſ.* 394.
Male tractata degenerat in pulmonis inflammationem.	Pulmo niger, tumidus; hepar magnum. *pars* II. *obſ.* 308.
Cum reſpiratione læſa.	Pulmo inflammatus & infarctus materia pituitoſa, lapis in rene dextro. *pars* I. *obſ.* 1161.
Cum febre & doloribus internis.	Pulmones & hepar putrida. *pars* II. *obſ.* 758.
Inter dolores arthriticos exoriuntur vomitus, & ventriculi ardor lethalis.	Pulmones tumidi & putridi. *Pars* II. *obſ.* 168.
Cum nephritide conjuncta.	Calculus ingens in veſica urinaria. *pars* I. *obſ.* 1318.
Cum vomitu, dolore ſtomachi & ſtranguria poſt curatam lithiaſim.	Pylorus tumidus & obſtructus, renes putridi & calculus in veſica urinaria. *pars* I. *obſ.* 1353.
Dolores arthritici cum ſtranguria febrem ardentem ſibi adjungunt.	Calculus in veſica urinaria, & rene ſiniſtro; hepar inflammatum. *pars* I. *obſ.* 1156.
Cum dolore hypochondrii ſiniſtri.	Lien putridus. *pars* I. *obſ.* 76.

Cura.

ARTHRITIS. *Symptomata.*	*Extiſpicia.*
Curata febre quartana.	Lien diſruptus. *pars* I. *obſ.* 981.
Cum lithiaſi, & cordis palpitationibus, in paralyſim, & dein apoplexiam abit, ſuppreſſis biliofis vomitionibus, & ſeceſſibus.	Cor ingens, veſicula fellea bile turgida; ſanguis effuſus in ventriculo cerebri. *pars* III. *obſ.* 262.
Arthriticus, Curis ſollicitus, laborat motibus convulſivis, vertigine, & apoplexia lethali.	Sanguis concretus in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 273.
Caput ad latera minime poteſt flectere.	Tophi circa vertebras. *pars* II. *obſ.* 61.

RHEUMATISMUS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
RHEUMATISMUS. *Dolores rheumatici* ſæviunt exſiccatis ulceribus crurum veteribus, & ſubito de medio ægrum corripiunt.	Pericardium diſtentum ſanguine effuſo ex auriculis cordis diſruptis.

HYPOCHONDRIASIS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
HYPOCHONDRIASIS. *Hypochondriaſis.* Cum cordis palpitatione, pulſu inæquali & intermittenti aſthmate, & vertigine interdum recurrente.	Valvulæ cordis oſſeæ, vena cava & cor illæſa. *pars* II. *obſ.* 580.
Cum vertigine, pulſatione, & doloribus in abdomine.	Aqua in cranio ſtagnat: hepar ingens &c. *pars* I. *obſ.* 596.
Hypochondriacus de debilitate crurum conqueritur, & inter mercuriales unctiones moritur.	Viſcera putrida. *pars* I. *obſ.* 1596.
Ad fatuitatem uſque.	Calculus in veſica fellea. *pars* II. *obſ.* 873.
Cum doloribus nephriticis, crebris.	Lien durus & ſcirrhoſus. *pars* I. *obſ.* 944.
Ructibus, & vomitu contumaci ſtipatur.	Epiploon ſcirrhoſum, & tuberculoſum. *pars* I. *obſ.* 245.

Cum

HYPOCHONDRIASIS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum tenſione in hypochondrio ſiniſtro.	Lien induratus & ſcirrhoſus, quadam appendice inſtructus. *pars* I. *obſ.* 943.
Item.	Lien ingens. *pars* I. *obſ.* 931.
Hypochondriaſi ſeſe adjungit tumor in hypochondrio ſiniſtro cum reſpiratione difficili, & vomitu ſanguinis.	Lien ingens, volumine hepatis, pondere quinque librarum, paſſim durus. *pars* I. *obſ.* 914.
Hypochondriacus queritur de dolore continuo in parte poſtica capitis ad cervicem & ſcapulas uſque ſeſe propagante, & dein convulſivus evaſit.	Vaſa cerebri ſanguine turgida, tumores ſcirrhoſi in plexu choroideo, aqua viſcida in ventriculis, & abſceſſus in ſubſtantia cerebri. *pars* III. *obſ.* 210.

Extiſpicia.

Lien lapideſcens. Aorta cartilaginea & lapideſcens. *pars* I. *obſ.* 230. Infarctæ glandulæ meſenterii. *pars* I. *obſ.* 1582. Omentum ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 245.

H Y D R O P S.

HYDROPS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Hydrops. Anaſarca cum pulſatione venarum cervicis.	Cor diſtentum, valvulæ auriculares thalami ſiniſtri oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 587.
Abſque ullo pectoris dolore.	Aqua in abdomine, & pus in thorace. *pars* II. *obſ.* 363.
De nullo vitio pectoris querulus, morte repentina tollitur leucophlegmaticus.	Pulmones pure exeſi. *pars* II. *obſ.* 384.
Cum phthiſi, & fluore uteri teterrimo.	Pulmones putridi, ovaria ingentia, omentum & uterus putrida. *pars* II. *obſ.* 363.
Cum gangræna ſupra umbilicum.	Omentum tuberculoſum. *pars* I. *obſ.* 234.
Stipatur cordis palpitationibus cum pulſu tardo, & inæquali, quem excipit affectus ſoporoſus.	Omenti hydrops, pectus gelatina ſcatet; aqua in pericardio & ventriculis cerebri, pulmo undique annexus. *pars* III. *obſ.* 371.
Cum abdominis protuberantia.	*Pars* I. *obſ.* 1044.
Cum dolore lateris dextri.	Abſceſſus in dextra abdominis parte. *pars* I. *obſ.* 1648.

HYDROPS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Anaſarca diuturna abſque ullo pectoris vitio, excepta tuſſi, & ſputo cruento vigentibus paucis horis ante mortem.	Pulmonum putredo. *pars* II. *obſ.* 346.
Cum aſcite.	Hepar ingens & induratum, & colluvies in abdomine. *pars* II. *obſ.* 795, 802, 1697.
Cum dolore in regione iliaca.	Cæcum inteſtinum tumidum. *pars* I. *obſ.* 384.
Hydrops, Phthiſim concomitatur.	Pulmo dexter purulentus, ſiniſter ſanus. *pars* II. *obſ.* 165.
Sibi febriculam cum urinis turbidis, & leipothymias frequentes adjungit.	Pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 365.
Febri tertianæ intempeſtive curatæ.	Hepar ſteatomatoſum. *pars* I. *obſ.* 1648.
Succedit febri tertianæ, & ventris torminibus ſtipatur.	Omentum abſumptum; concretio lymphatica in ductu pancreatico; lien ingens, cyſtis bile turgens. *pars* I. *obſ.* 264.
Quartanæ.	Inteſtina torrefacta. *pars* II. *obſ.* 459.
Febri intermittenti male curatæ.	Scirrhoſæ glandulæ meſenterii, hepar putridum, lien durus, & renes putridi. *pars* I. *obſ.* 739.
Immodico uteri & alvi fluxui cum ventris torminibus.	Bilem albicantem & mere lacteam fovet cyſtis fellea. *pars* I. *obſ.* 849.
Cordis palpitationi.	Pulmones cruſta obducti, cor pericardio adhærens. *pars* I. *obſ.* 698.
Tumori circa umbilicum, & ſibi adjungit tumorem in ſiniſtro hypochondrio cum vomitu frequenti.	Aquæ quantitas maxima in abdomine, hepar ingens, lien ſolito majus lapideſcens. *pars* I. *obſ.* 993.
Poſt uteri hæmorrhagiam exoritur.	Hydrops ovarii dextri. *pars* I. *obſ.* 1512.
Excipit dolorem capitis acutiſſimum.	Lapis in cerebro juxta torcular herophili. *pars* III. *obſ.* 552.
Doloribus nephriticis.	Epiploon ingens & ſcirrhoſum, ſtomachus inflammatus, hepar exiguum; ren dexter lapidem recondit. *pars* I. *obſ.* 231.
Ictero & hæmorrhagiæ narium.	Lien lapideſcens. *pars* I. *obſ.* 997.
Dolori dorſi.	Renes & lien calculoſi. *pars* I. *obſ.* 996.

Venæ

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Venæ ſectionibus numeroſiſſimis ad febrem quartanam debellandam.	Vaſa inania, aqua in abdomine. *pars* II. *obſ.* 459.
Hydrops ſuccedit ſcabiei cum cordis palpitationibus.	Omnia viſcera ſana, excepto corde ulcere eroſo. *pars* II. *obſ.* 533.
Diuturnis doloribus.	Hepar ingens, calculi in veſica fellea, meſenterium ſcirrhoſum, &c. *pars* I. *obſ.* 340.
Cachexiæ poſt menſium ſuppreſſionem.	Ventriculus & inteſtina putrida. *pars* I. *obſ.* 233.
Hominem vitam ſedentariam degentem invadit hydrops cum ſpirandi difficultate & præcordiorum anguſtia.	Aorta oſſea; hepar ſcirrhoſum; aqua in abdomine. *pars* II. *obſ.* 772.
Hæmophthiſi cum febre lenta & ſpirandi difficultate.	Pulmonum tubercula. *pars* I. *obſ.* 245.
Hæmorrhagiæ narium cum vermibus ſuccedanea vitio pectoris, & ſibi hydropem adjungunt.	Pulmones mediaſtino hærent; inteſtina lumbricis ſcatent; glandulæ in ſtomacho tumidæ. *pars* I. *obſ.* 82.
Tumori ventris in inguine ſiniſtro.	Ovaria ingentia. *pars* I. *obſ.* 1497.
Hypochondriorum.	Lien tumidus cum appendice. *pars* I. *obſ.* 948.
Mors ſubitanea tollit hydropicos. Suffocatur hydropica.	Colluvies purulenta in abdomine. *pars* I. *obſ.* 983, 1770.
Mors ſubitanea poſt caſum ex alto.	Aquæ quantitas maxima in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1068.
Epilepſiam ad ſe trahit.	Aqua in cerebro: cerebellum ſolito durius. *pars* III. *obſ.* 469.

Extiſpicia.

Cor & veſicula fellea inania. *pars* I. *obſ.* 459. Vermes in ductibus biliaribus; aut melius concretiones bilioſæ. *pars* I. *obſ.* 908. Aqua in pectore & abdomine; pericardium cordi adnatum. *pars* II. *obſ.* 707. Ovarium dextrum centum libras ponderans. *pars* I. *obſ.* 1485. Ren dexter quaſi lapideſcens; ſiniſter hydatidibus infarctus. Aqua ſtagnans in rene. *pars* I. *obſ.* 1206. Uterus plenus hydatidibus. *pars* I. *obſ.* 1082. Uterus putrefactus. *pars* I. *obſ.* 1398. Aqua in abdomine, & ejus viſcera putrida; pulmones pure aſſumpti. *pars* II. *obſ.* 375. Valvulæ cordis lapideæ. *pars* II. *obſ.* 571. Pericardium ſero turgidum, & cor putriditate affectum. *pars* II. *obſ.* 630. Cor lapideſcens. *pars* II. *obſ.* 558. Hydrops ovariorum. *pars* II. *obſ.* 1517, 1528, 1529, 1530. Pulmones coſtis adhærentes, illæſis aliis viſceribus. *pars* II. *obſ.* 31. Viſcera abdomi-

HYDROPS. nalia pure conſpurcata. *pars* I. *obſ*. 564. Glandulæ meſenterii ſcirrhoſæ, putridæ. *pars* I. *obſ*. 572, 1611. Lien putridus. *pars* I. *obſ*. 954, 972, 973. Pancreas ſemi-putridum. *pars* I. *obſ*. 1058. Hepar purulentum. *pars* I. *obſ*. 791, 812, 729, 739. Petrefactum. *pars* I. *obſ*. 676, 833. Pancreas pure conſpurcatum. *pars* I. *obſ*. 1050. Scirrhoſum. *pars* I. *obſ*. 1041. Ventriculus contractus. *pars* I. *obſ*. 13, 29.

TUMORES GENERALES.

	Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
TUMORES GENERALES.	*Tumores generales*. Intumeſcit totum corpus & ingruit aſthma exſiccata fontanella.	Abſceſſus in abdomine. *pars* I. *obſ*. 1685, 1687.
	Veneno aſſumpto.	Ren dexter ingens hydatidibus infarctus, ſiniſter abſumptus, epiploon exeſum, meſenterium ſcirrhoſum & tubæ turgidæ. *pars* I. *obſ*. 603.
	Prægreſſo dolore dorſi, & dein fluxu hæmorrhoidali, cui ſeſe adjungit tremor corporis.	Pancreas purulentum, pulmones putridi, colluvies ſeroſa in cranio. *pars* I. *obſ*. 1046.
	Poſt iſchuriam.	Renes quaſi cartilaginoſi. *pars* I. *obſ*. 1075.
	Propinatum venenum creat vomitum cruentum, ſitim, quibus pergentibus totum paulo ante mortem tumeſcit corpus.	Ventriculus & lien gangræna correpti. *pars* I. *obſ*. 966.

VENENA.

	Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
VENENA.	*Venena*. Cantharides intus aſſumptæ iſchuriam creant.	Ventriculus & veſica eroſa. *pars* I. *obſ*. 1230.
	Dolores veſicæ iſchuriam & penis inflammationem adducunt cum doloribus atrocibus.	Ulcera in renibus, veſica & uretra eroſa. *pars* I. *obſ*. 1269.
	Vinum adulteratum pondus creat in ventriculo cum æſtu hypochondriorum & paſſione hypochondriaca ſubſequenti.	Viſcera ſcirrhoſa. *pars* I. *obſ*. 1573.

Arſe-

VENENA,

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Arſenicum faucium & ventriculi ardorem cum vomitu & ſingultu procreat.	Via alimentaris & pulmones inflammati. *pars* I. *obſ.* 109.
Convulſiones & vomitum cum ſiti & ardore ſummo ventriculi.	Ventriculus gangrænoſus. *pars* I. *obſ.* 154. (*a*)
Uſus immodicus hydrargiri puerum de medio tollit.	Ventriculi & inteſtinorum inflammatio hydrargirum, æthiops inſtar mineralis paſſim obſervatur in fiſtula alimentari. *pars* I. *obſ.* 73.
Venenum corrodens, vomitiones cum reſpirandi difficultate, faucium ardorem, & motus convulſivos adducit.	Ventriculus & inteſtina ſyderata. *pars* I. *obſ.* 164.
Sublimatum corroſivum intus aſſumptum ventriculi inflammationem movet.	Ventriculus ſyderatus. *pars* I. *obſ.* 172.
Dolores & phrenitidem producit.	Ventriculus eroſus. *pars* I. *obſ.* 132.
Ad urinæ fluxum reſtituendum intus aſſumptæ cantharides ſubito enecant.	Ventriculus & veſica exulcerata, ureter ſiniſter calculo obturatur. *p.* I. *obſ.* 1230.
Spiritus vitrioli intus aſſumptus, mulierem ſuſtulit.	Tunica interior ventriculi eroſa, & ferme conſumpta. *pars* I. *obſ.* 36.
Œnanthe vomitum creat cum cardialgia, quam preſſo pede ſequuntur convulſiones.	Ventriculus & duodenum inflammata. *pars* I. *obſ.* 418.
Venenum creat vomitum cruentum cum cardialgia, ſitim, & tandem corporis intumeſcentiam lethalem.	Ventriculus lividus, lien gangrena corruptus. *pars* I. *obſ.* 966.
Venena. Vini potatio nimia ardorem faucium, oris amaritiem cum ventris tumore accerſit.	Viſcera putrida. *pars* I. *obſ.* 1598.
Acidorum uſus tabem lethalem, cum frequenti vomitu affert.	Ventriculus ſcirrhoſus. *pars* I. *obſ.* 94.
Poſt aſſumptos flores antimonii, apoplexia cum ptyaliſmo ſævit.	Gelatina in cerebro, pectore & ſtomacho. *pars* III. *obſ.* 481.
Nimio uſu papaveris rhæados, affectus comatoſus.	Colluvies nigra & putris in cerebro. *pars* III. *obſ.* 532.
Poſt uſum internum mercurii crudi, ingruit ſingultus mortis prodromus.	Pylorus durus, & nonnihil exulceratus. *pars.* I. *obſ.* 192.
Cantharidum ad debellandam iſchuriam cum tumore duro circa pubem.	Veſica ſcirrhoſa & infarcta materia cruenta. *pars* I. *obſ.* 1071.

Uva-

	Symptomata.	*Extiſpicia.*
VENENA.	Uvarum.	Ventriculus perforatus, *pars* I. *obſ.* 155.
	Panis caſtaneis confecti.	Ventriculus diſtentus & nonnihil inflammatus, *pars* I. *obſ.* 22.

CORPORA EXTRANEA.

VERMES.

VERMES. VERMIUM ſingulatim & ſuo loco hiſtoriam tradere deberem, ſed cum ſectiones breviores eſſent, melius faciendum puto ſi uno capite de iis agam, indicando tamen partes quibus hærebant; fatendum præterea quod hanc ſectionem multæ premant difficultates, cum Clinici ſæpe pro vermibus concretiones lymphæ, bilis, ſalivæ, ſucci pancreatici habuerint. Ex interna vaſorum & membranarum ſuperficie continuo ſerum lubricans depluit, quod linimenti, in ſtatu naturali vices gerit, continuoque halitu madeſcit ſuperficies, ſic prohibentur partium ferrumina, ſic quodlibet viſcus motus nativos poteſt peragere; lymphæ naturam redolet hic liquor, ſæpeque concreſcit in cavis membranarum, & hinc exoriuntur corpora extranea, quæ gelatinæ, lapidis, &c. conſiſtentia gaudent; imo ſæpe vermium, pulicum figuram nanciſcuntur, quod maximos viros hallucinavit; eas enim concretiones pro animalculis habuere: de iis tamen non immerito dubitavit ILL. MORGAGNUS, cum ſæpe in aquam demiſſa, veluti liquoris concreti, diſſolvantur, & aquam colore imbuant; ex irritatione mechanica, non vero morſu vermium falſo incuſatorum oriuntur ſtrages horrendæ quæ nobis recenſendæ incumbunt.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cephalalgia pertinax animæ functiones lædit.	Lumbricus rubens ventriculos cerebri hoſpitatur. *pars* III. *obſ.* 435.
Contuſo ſupercilio, deſipit quidam qui ſenſim atrophia corripitur.	Vermes in encephalo. *pars* III. *obſ.* 435.
Apoplexia prehenditur juvenis lumbricis laborans, & ſanguinis profuſioni obnoxius.	Sanguis concretus in ſubſtantia cerebri. *pars* III. *obſ.* 313.
Curatis variolis ſævit capitis dolor ingens macieſque exoritur.	Vermis niger & piloſus juxta cerebellum vivens extrahitur. *pars* III. *obſ.* 536.
Dolor acer circa radicem naſi, ad quem accedunt convulſiones.	Vermis vivens in ſinu longitudinali duræ meningis. *pars* III. *obſ.* 539.
Totius capitis ingentes dolores.	Vermes proſiliunt ſecto cranio. *pars* III. *obſ.* 540.
Item.	Scorpiones in cerebro. *pars* II. *obſ.* 546.
Syphyliticus queritur de ſummo capitis dolore.	Vermis rubens juxta ſinus cerebri. *pars* III. *obſ.* 543.

Phre-

VERMES.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Phrenitis.	Meninges vermibus eroſæ. *p.* III. *obſ.* 545.
Narium pruritus falſo habetur pro ſigno vermium in corpore.	Aqua in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 378. (*a*)
Orthopnæa.	Vermes tracheam arteriam creant. *pars* III. *obſ.* 78. (*a*).
Cordis palpitationes cum tremore totius corporis quemdam enecant.	Vermis albus *roſtello* adhæret cordis thalamis. *pars* II. *obſ.* 572.
Syncopes cordis palpitationes accerſit hypochondriis tumentibus.	Vermis in corde. *pars* II. *obſ.* 573.
Mors ſubitanea.	Vermis in pericardio. *pars* II. *obſ.* 720.
Febris cum cardialgia, vomitu, dentium ſtrepitu, quibus ſeſe adjungit abdominis intumeſcentia.	Inteſtinum ileum vermium glomeramine obturatur & granoſas maculas exhibet. *pars* II. *obſ.* 301.
Curata febre intermittente exoriuntur convulſiones lethales.	Inteſtinum ileum inflammatum & vermibus inquinatum. *pars* II. *obſ.* 302.
Hydropicus excrementa per os evomit.	Inteſtina dilatata & vermibus infarcta.
Motus convulſivi puerum bimulum de medio tollunt.	Lumbricus teres in ductu inteſtinali. *pars* II. *obſ.* 301.
Affectus lethargicus.	Cerebrum illæſum, & vermes in inteſtinis. *pars* II. *obſ.* 305.
Morbus epidemicus.	Vermes inteſtina infarciunt. *p.* II. *obſ.* 36.
Febris lenta cum alvi fluxu.	Vermes in hepate. *pars* I. *obſ.* 836.
Eroſio gingivarum.	A vermibus. *pars* II. *obſ.* 307.
Eadem cauſa foventur dyſenteria, & dolores abdominis.	*Pars* II. *obſ.* 309.
Symptomatibus horrendis morbus ſtipatus mulierem enecat.	Tænia in inteſtinis. *pars* II. *obſ.* 313, 314.
Dolor hypochondrii dextri.	Item. *obſ.* 315.
Aſcarides cum lotio excernuntur.	Iiſdem conſpurcatur veſica urinaria. *pars* I. *obſ.* 1265.
Vomitus cum ſingultu falſo vermibus adſcribitur.	Ulcus ventriculi. *pars* I. *obſ.* 108.
Vermibus mulier obnoxia hydropica evadit.	Inteſtina inflammata, & colluvies in abdomine. *pars* I. *obſ.* 82.
Capitis dolores cum intolerabili pruritu lethales.	Pediculi ſub cranio. *pars* IV. *obſ.* 1.

SECTIO SECUNDA.

MORBOS INTERNOS CAPITIS COLLIGENS.

VERTIGO.

VERTIGO,

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
VERTIGO. Cum febre, capitis & hepatis dolore, convulſionibuſque ſine ulla purulenta expuitione.	PULMONES & hepar putriditate affecti. *pars* II. *obſ.* 133.
Accerſit vomitum & dolorem ventriculi.	Omentum putridum, ventriculus rigeſcens. *pars* I. *obſ.* 250.
Invadit crapuloſum.	Ventriculus inflammatus in parte inferiore. *pars* I. *obſ.* 43.
Cum cephalalgia, delirio, & affectu comatoſo interdum recurrentibus.	Pars ſuperior corporis calloſi, putrida. *pars* III. *obſ.* 155.
Febre acuta enecatur puella vertigini obnoxia.	Subſtantia cerebri humida, aqua in ventriculis, vaſa meningum repleta. *pars* III. *obſ.* 392.
In affectum caroticum abit.	*pars* III. *obſ.* 458.
In apoplexiam.	Aqua in cerebri ventriculis. *p.* III. *obſ.* 447.
Item.	Glandula pinealis ingens carcinomatis naturam redolet. *pars* III. *obſ.* 177.
Item.	Vaſa cerebri & pulmonum ſanguine turgida, ſanguis præterea effuſus intra ſubſtantiam cerebri. *pars* I. *obſ.* 294.
Cum convulſionibus ſævit, & ſpirandi difficultatem accerſit.	Inteſtina flatu turgida; renes calculoſi, aqua in thorace; pulmones duri & exeſi, aqua in pericardio & cranio. *pars* II. *obſ.* 344.
Vertigo Apoplecticum affectum accerſit; quo curato ingruit aſthma cum ictero & febre lenta.	Pulmonum tubercula, hepar durum. *pars* II. *obſ.* 233.
Succedanea Capitis contuſioni, & apoplexiam accerſit.	Tumor tunicatus in ſiniſtro cerebri hemiſphærio. *pars* III. *obſ.* 195, 200.

Cum

VERTIGO.

Symptomata.

Cum vomitu & ſtupore poſt caſum ab alto invadit ebrium, quem ſuſtulit apoplexia inopinata.

Succedit dolori capitis.

Abuſu meri fovetur, & in apoplexiam lethalem degenerat.

Poſt vulnus occipiti inflictum, paralyſim ſibi accerſit.

Extiſpicia.

Ventriculi cerebri ſanguine turgent, cranium fractum occurrit. *pars* III. *obſ.* 228.

Aqua in cerebro. *pars* III. *obſ.* 441.

Sanguis concretus in cerebro. *pars* III. *obſ.* 277.

Ventriculus cerebri dexter aqua limpida turgens, illæſo ſiniſtro ventriculo. *pars* III. *obſ.* 400.

Extiſpicia.

Sanguis concretus in corde. *pars* II. *obſ.* 477. Aqua in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 464.

A P O P L E X I A.

APOPLEXIA.

Symptomata morborum.

Apoplexia. Cum convulſionibus ingruit, & ſubito virum enecat.

Curatur, ſed denuo cum paralyſi dextri lateris recrudeſcit.

Hemiplegiam, cui gangræna ſuccedit, poſt ſe trahit.

Prehendit virginem cephalalgia cum convulſionibus laborantem.

Interea ſcandeſcit febris, & hemiplegia ingruit.

Apoplexia. Derepente mulierem cephalalgia laborantem invadit, & de medio tollit.

Poſt ſe trahit paralyſim dextri lateris, convulſiones ſiniſtri & interea lapillos excernit æger.

Extiſpicia cadaverum.

Vertebrales & carotides arteriæ diſruptæ. *pars* III. *obſ.* 229.

Aqua in cerebro. *pars* III. *obſ.* 420.

Aqua in cranio & theca ſpinali. *pars* III. *obſ.* 461.

Aqua in cerebro. *pars* II. *obſ.* 422.

Aqua in ventriculis cerebri, vaſa piæ meningis ſanguine infarcta, plexus choroides hydatidoſus. *pars* III. *obſ.* 169.

Serum in ventriculis cerebri. Gelatina obducuntur ejus vaſa, & ſanguine fluidiſſimo turgent. *pars* III. *obſ.* 408.

Cerebrum putridum, renes lapillis ſcatentes. *pars* III. *obſ.* 147.

APOPLEXIA.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum convulſionibus, ſingultu ac cephalea, ſeſe adjungit.	Aqua & ſanguis effuſa in cerebro. *pars* III. *obſ.* 411.
Stipatur paralyſi utriuſque lateris ſiniſtri.	Sanguis effuſus intra ſubſtantiam cerebri & ejus vaſa infarciens. *pars.* III. *obſ.* 296.
Cum reſolutione brachii ſiniſtri.	Ventriculi cerebri aqua cruenta ſcatent, & foveola intra ſubſtantiam cerebri inſculpta ſanguine turget. *pars* III. *obſ.* 304.
Dextri.	Aqua in cerebro. *pars* III. *obſ.* 413.
Item.	Vaſa encephali varicoſa & ſanguine infarcta. *pars* III. *obſ.* 58.
Inter uſum aquarum mineralium plures enecat.	Sanguis effuſus intra ſubſtantiam cerebri. *pars* III. *obſ.* 309, 311, 312.
Quadragenarium de medio tollit.	Aqua in cranio. *pars* III. *obſ.* 450.
Arthriticus convulſionibus laborans apoplexia tollitur.	Sanguis concretus in cerebro. *pars* III. *obſ.* 273.
Bibacem prehendit.	Sanguis effuſus intra ſubſtantiam cerebri. Aqua in dextro ventriculo. *pars* III. *obſ.* 393.
Ebrium.	Duræ matris vaſa anevriſmatica; ſanguis effuſus in ſubſtantia cerebri. *pars* III. *obſ.* 268.
Scorbuticum jamdiu reſpiratione anheloſa, & capitis gravitate laborantem corripit.	Cerebrum inculpatum; pulmo ichore infarctus. *pars* II. *obſ.* 41.
Poſt ſe corporis paralyſim trahit.	Ventriculi cerebri ſanguine concreto turgent. *pars* III. *obſ.* 290.
Apoplexiam ſubitaneam prehendunt convulſiones.	Venæ encephali flatu turgidæ; ſerum in ventriculis. Grumus ſanguinis occurrebat in thalamis nervorum opticorum, & in quarto ventriculo. *pars* III. *obſ.* 264.
Apoplexia. Febre ſtipatur.	Sanguis concretus in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 263.
Seſe adjungit febri intermittenti.	Viſcera corporis præcipua corrupta. *pars* III. *obſ.* 959.
Tollit quemdam fumo tabaci & maſticationi nicotianæ familiarem.	Materies nigricans inſtar fuliginis in cranio. *pars* II. *obſ.* 3.

In-

APOPLEXIA.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Ingruit inter prandium.	Cranium & theca vertebralis aqua turgent. *pars* III. *obſ.* 430.
Succedanea. Inſolationi.	Sanguis concretus in ventriculis cerebri, & hydatides in plexu choroideo. *pars* III. *obſ.* 276.
Quam prehendunt paralyſis partis ſiniſtræ, & convulſio dextræ, ſuccedit vertigini cum capitis dolore gravativo.	Ventriculi cerebri ſanguine diſtenti. *pars* III. *obſ.* 289.
Vertigini octo poſt capitis contuſiones.	Hydatides in cerebri ſubſtantia. *pars* III. *obſ.* 195, 200.
Doloribus ſincipitis.	Sanguis intra ſubſtantiam cerebri. *pars* III. *obſ.* 306, 307.
Vulneri infra orbitam inflicto.	Vulnus pertingebat cerebri ventriculum, & cranium ſanguine turget. *pars* III. *obſ.* 239.
Epilepſiæ.	Cerebrum inflammatum, & ſanguis concretus in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 280.
Vertigini.	Aqua in cerebro. *pars* III. *obſ.* 447.
Bis vertigini ſuccedit.	Glandula pinealis ingens, ſubſtantia cerebri inculpata. *pars* III. *obſ.* 137.
Item.	Vaſa cerebri & pulmonum ſanguine turgida, ſanguis effuſus in ſubſtantiam cerebri. *pars* III. *obſ.* 294.
Hemicraniæ.	Abſceſſus in cerebro. *pars* III. *obſ.* 254.
Narium hemorrhagiæ & vertigini.	Sanguis concretus in cerebri ventriculis. *pars* III. *obſ.* 284.
Stipata immani ptyaliſmo poſt aſſumptos flores antimonii.	Materia mucoſa in cerebro, pectore & ſtomacho. *pars* III. *obſ.* 481.
Apoplexia ſuccedanea. Vertigini & tremori.	Aqua in ventriculis cerebri, plexus choroides hydatidoſus. *pars* III. *obſ.* 425.
Poſt caſum ab alto ſanguis per aures & os fluit, & dein ſævit apoplexia.	Sanguis effuſus in cerebrum; cranium fractum occurrit. *pars* III. *obſ.* 230.
Item.	In ventriculos cerebri. *pars* III. *obſ.* 154.
Poſt ictum oculo ſiniſtro inflictum.	Sanguis effuſus in baſi cranii; vaſa oculi diſrupta. *pars* III. *obſ.* 231.

APOPLEXIA.

Symptomata.	Extiſpicia.
Poſt capitis dolores.	Membranarum coalitio. *pars* III. *obſ.* 120.
Item.	Hydrocephalus. *pars* II. *obſ.* 350.
Item.	Cerebrum putridum. *p.* III, *obſ.* 146.
Apoplexia ictum in bregmate excipit.	Lamina interna oſſis coronalis fiſſa, aculeis cerebrum vellicat, externa erat illæſa. *pars* II. *obſ.* 36.
Succedit iſchuriæ, & poſt ſe trahit hemiplegiam.	Tumor ſteatomatoſus in abdomine. *pars* I. *obſ.* 658.
Ventris intumeſcentiæ cum cruribus œdematoſis.	Pulmones plevræ adhærent. *pars* II. *obſ.* 17.
Cum convulſionibus poſt colicam ingruit.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 460.
Paralyſi cum difficultate ſpirandi.	Pulmones tuberculoſi; pericardium aqua turget. *pars* II. *obſ.* 628.

Extiſpicia.

Aqua in ventriculis cerebri, & plexus choroides hydatidoſus. *pars* III. *obſ.* 130. Sanguis effuſus in ventriculos cerebri. *pars* III. *obſ.* 292, 293. Intra ſubſtantiam cerebelli. *pars* III. *obſ.* 314. Intra ſubſtantiam cerebri, & in ventriculum ſiniſtrum. *pars* III. *obſ.* 300. Circa medullam oblongatam. *pars* III. *obſ.* 248. Cor ſanguine turgidum. *pars* II. *obſ.* 441, 493. Gelatina cerebrum inquinat. *pars* III. *obſ.* 486. Ventriculos cerebri replet. *pars* III. *obſ.* 489. Aqua in ventriculis cerebri. *pars.* III. *obſ.* 287, 395, 449, 450. Hydatides in dura & pia meninge; aqua in cranio & theca vertebrali. *pars* III. Sanguis effuſus circa glandulam pinealem, & in quarto ventriculo. Sanguine & pilis infarciuntur cerebri ventriculi. *pars* III. *obſ.* 291. Hydrocephalus. *pars* III. *obſ.* 361.

AFFECTUS SOPOROSI.

AFFECTUS SOPOROSI.

Symptomata morborum.	Extiſpicia cadaverum.
Affectus ſoporoſus. Carus concomitatur iſchuriam.	Ren ſiniſter ingens calculis infarctus. *pars* I. 1158.
Noſtalgiæ ſeſe adjungit.	Ventriculi cerebri & cor ſanguine polypoſo turgent.
Motus convulſivos lethales accerſit.	Lien magnus & quaſi oſſeus, aqua in cerebro; gelatina juxta tractum meningis. *pars* III. *obſ.* 447.

Ex-

AFFECTUS SOPOROSI.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Excipit capitis dolorem.	Tumor ſteatomatoſus in latere ſiniſtro cerebri. *pars* III.
Vertigine prehenditur, cui dein ſuccedit ſenſuum abolitio.	Sanguis effuſus in cerebri ventriculos. *pars* III. *obſ.* 261.
Somnolentus digitos continuo naribus admovet, febricitat, & vermibus ſtragulari conclamitat.	Abdomen intactum, ventriculi cerebri aqua ſcatent. *pars* III. *obſ.* 378.
Quem excipit catharrhus.	Aqua limpida inter corticem cerebri, & corpus calloſum; pulmones putridi. *pars* III. *obſ.* 369.
Exoritur in febre continua.	Pulmones putridi partibus vicinis annexi. *pars* III. *obſ.* 352.
Succedaneus Vertigini.	Aqua in cerebro. *pars* III. *obſ.* 458.
Iſchuriæ.	Renes & ureteres calculis infarcti. *pars* III. *obſ.* 1266.
Item.	Colluvies circa vias urinarias. *pars* I. *obſ.* 1766.
Vomitui & doloribus ventris.	Pylorus ſcirrhoſus; aqua in cranio & cerebri ventriculis. *pars* II. *obſ.* 186.
Epilepſiæ cum dolore in ſiniſtro capitis latere.	Abſceſſus in cerebro, in doloris ſede. *pars* III. *obſ.* 106.
Cephalalgiæ, pulſu ſano ſuperſtite.	Abſceſſus in cerebello. *pars* I. *obſ.* 184.
Vertigini & cephalalgiæ.	Meninges craſſæ. *pars* III. *obſ.* 1.
Paraphrenitidi.	Cerebrum intactum; veſicula fellis bile atra tumens. *pars* I. *obſ.* 859.
Succedaneus Delirio, cum palpitatione cordis.	Cerebrum & cerebellum duriora ventriculi cordis concretionibus ſcatent. *pars* II. *obſ.* 88.
Excipit ictum cranio inflictum.	Contrafiſſura cranii, & ſanguis ſtagnans in cerebro. *pars* II. *obſ.* 38, 39.
Item.	Pus inter cranium & duram meningem, ſanguis effuſus in ventriculos cerebri. *pars* III. *obſ.* 525.
Item.	Sanguis effuſus in ventriculos cerebri. *pars* III. *obſ.* 154.

Circa

AFFECTUS SOPOROSI.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Circa os temporum.	Abſceſſus cerebri juxta locum percuſſum. *pars* III. *obſ.* 134.
Item.	Sanguis effuſus in cranium. *pars* III. *obſ.* 234.
Frontis.	Abſceſſus in parte antica cerebri. *pars* III. *obſ.* 135.
Vulnus acinace occipiti inflictum, cui ſeſe implicat hemiplegia.	Aqua & pus in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 111.
Inflammationi palpebrarum.	Fractura in orbita, & abſceſſus in cerebri parte antica. *pars* III. *obſ.* 114.
Poſt eruptionem petechiarum in febre.	Cerebrum, hepar, ventriculus & inteſtina inflammata. *pars* II. *obſ.* 602.
Lethargus. Cum paralyſi dextri lateris.	Cerebrum & cerebellum corrupta. *pars* III. *obſ.* 508.
Letargicus evadit quidam cordis oppreſſionibus & leipothymiis laborans cum œdemate corporis, & dein ſphacelo ortis.	Pericardium cordi adnatum. *pars* II. *obſ.* 702.
Cum paralyſi totius fere lateris ſiniſtri, ſeſe adjungit fluxui purulento e naribus.	Pus e cerebro ad nares, mediante foramine carie efformato appellit. *pars* III. *obſ.* 106.
Poſt capiti inflictum vulnus, ſubſequuntur convulſiones.	Cranium illæſum, ſanguis in cerebro ſtagnans. *pars* III. *obſ.* 238, 242, 260.
Succedit capitis intumeſcentiæ.	Hydrocephalus. *pars* II. *obſ.* 327.
Doloribus nephriticis & iſchuriæ.	Renes & ureteres calculis infarcti. *pars* II. *obſ.* 1174.
Catalepſia. Sæpius recurrens in epilepſiam lethalem abit.	Sanguis effuſus inter anfractus cerebri, vaſa encephali ſanguine turgida, & colluvies ſanguinolenta in cranio ſtagnat. *pars* III. *obſ.* 243.
Amentiæ ſuccedit.	Cerebrum exſuccum. *pars* III. *obſ.* 77.

Extiſpicia.

Aqua in cerebri ſubſtantia. *pars* III. *obſ.* 456. In ventriculis. *pars* III. *obſ.* 401. Abſceſſus in parte antica cerebri. *pars* III. *obſ.* 131. Cranium carioſum; cerebrum illæſum. *pars* II. *obſ.* 29 Inteſtina lumbricis inquinata. *pars* I. *obſ.* 305. Aqua turget cerebrum. *pars* III. *obſ.* 427. Hydrocephalus. *pars* II. *obſ.* 348. Renes & ureteres calculoſi.

loſi. *pars* I. *obſ.* 1243. Colluvies gelatinoſa & ſanioſa in cranio fracto. *pars* II. *obſ.* 33. Abſceſſus cerebri. *pars* III. *obſ.* 126.

AFFECTUS SOPOROSI.

P A R A L Y S I S.

PARALYSIS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Paralyſis. Puerum titubantem, lingua balbutientem invadit, & cui ſeſe adjungit capitis intumeſcentia.	Hydrocephalus. *pars* III. *obſ.* 315.
Lateris dextri, ſubito exoritur cum balbutie & ſpirandi difficultate lethali dein ſubſequente.	Ulcus in utroque ventriculo cerebri, & abſceſſus pulmonis. *pars* III. *obſ.* 138.
Siniſtri in apoplexiam degenerat.	Ventriculi ſiniſtri cavitas eroſa & infarcta concretionibus polypoſis. *pars* III. *obſ.* 288.
Inferiorum artuum quinto menſe graviditatis mulierem corripit.	Uterus clauſus fœtum mortuum recondit. *pars* III. *obſ.* 1457.
Brachii dextri cui ſuccedit dolor capitis.	Aqua in ventriculis cerebri. *pars* II. *obſ.* 97.
Hemiphlegia lateris ſiniſtri cum tuſſi & ſpirandi difficultate noctu exacerbantibus.	Subſtantia encephali putrida. *pars* III. *obſ.* 529.
Paralyſis. Hemiphlegia laborans & cui incaſſum adhibita fuerit machina electrica, ſubito enecatur.	Sanguis & aqua in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 266.
Siniſtri lateris & convulſio dextri, febrem exacerbantem & brevi lethalem ſibi adjungunt.	Pia meninx purulenta in parte dextra, & vaſa encephali ſanguine turgida. *pars* III. *obſ.* 117.
Cum lethargo ſeſe adjungit fluxui purulento e naribus.	Per foramen e cerebro fluebat pus. *pars* III. *obſ.* 106.
Hemiphlegia ſiniſtri lateris cum convulſionibus dextri lateris invadunt ſubito ſeptuagenarium, & brevi enecant.	Sanguis concretus inter dextrum cerebri lobum & duram meningem. *pars* III. *obſ.* 241.
Extremitatum inferiorum ſtupor cum caro & cardialgia, &c.	Hydrops cerebri & medullæ ſpinalis. *pars* II. *obſ.* 179.
Succedanea. Dolori vago pectoris.	Aqua in thorace, & cerebrum putridum. *pars* III. *obſ.* 151.
Inſultui apoplectico, & ſibi adjungit ſummam ſpirandi difficultatem.	Pulmones tuberculoſi; pericardium aqua turget. *pars* II. *obſ.* 628.

Vol-

PARALYSIS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Volvulo.	Hepar ingens & induratum; colluvies viridescens in ventriculo. *pars* I. *obſ.* 610.
Dolori capitis gravativo circa radicem naſi cum fluxu puris e naribus, & apoplexiam accerſit.	Pus in ventriculis cerebri nares appellebat. *pars* III. *obſ.* 110.
Vulneri exiguo occipiti inflicto.	Pus inter pixidem oſſeam & cerebri involucrum. *pars* III. *obſ.* 3.
Emetico propinato paralyſis artuum ſuperiorum & inferiorum.	Pylorus ſcirrhoſus. *pars* I. *obſ.* 115.
Hemiplegia lateris dextri ſuccedit oculorum convulſioni, dein ſibi convulſionem brachii dextri accerſit.	Aqua & pus in ventriculis ſtagnant. *pars* III.
Apoplexiæ & interea penis gangræna corripitur.	Pulmo dexter ſcirrhoſus, aqua in latere ſiniſtro pectoris, & in cavitate cranii. *pars* III. *obſ.* 409.
Convulſionibus & ſurditati poſt cephalalgiam.	Aqua in cerebri ventriculo ſiniſtro, & plexus choroides ſcirrhoſus. *pars* III. *obſ.* 172.
Paralyſis ſuccedanea ſtranguriæ cum dolore crurum.	Calculus in veſica urinaria; aqua in cerebro, & plexus choroides hydatidoſus. *pars* III. *obſ.* 165.
Apoplexiæ.	Aqua in cerebro. *pars* I. *obſ.* 420.
Paralyſis ſiniſtræ partis, & convulſio dextræ, vertigini & capitis dolori gravativo ſuccedunt.	Sanguinolenta colluvies in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 265.
Dextri lateris & convulſio ſiniſtri cum excretione calculorum per vias urinarias.	Cerebrum putre, renes lapillis infarcti. *pars* III. *obſ.* 147.
Excipit capitis contuſionem.	Abſceſſus cerebri in parte adverſa loco percuſſo. *pars* III. *obſ.* 130.

Extiſpicia.

Suturæ laxæ. *pars* II. *obſ.* 12. Corpora ſtriata putrida. *pars* III. *obſ.* 163. Aqua in cranio & theca ſpinali. *pars* III. *obſ.* 465.

MORBI

MORBI AB ANIMI PERTURBATIONIBUS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Morbi ab animi perturbationibus. Terror menſes ſupprimit mulieri quæ dein aſthmatica evadit cum tuſſi purulenta.	Pulmones & inteſtina inflammata, glandulæ ventriculi tumidæ. *pars* II. *obſ.* 153.
Poſt animi curas excandeſcit febris cum vehementi lateris dolore, delirio, & reſpiratione difficili.	Pulmones cruſta obducti, *pars* II. *obſ.* 54.
Inter animi pathemata ingruunt inſultus hyſterici lethales.	Ovaria ſcirrhoſa. *pars* I. *obſ.* 1499.
Morbi ab animi perturbationibus. Mulier valetudinaria terrore a ſpectro, uti ajebat, perturbata, incidit in dolores pectoris cum hypochondrii tenſione & reſpiratione difficili.	Pulmones cruſta obducti & ſanguine obruti. *pars* II. *obſ.* 449.
Poſt animi pathemata, ſanguinis ſputum, & huic ſuccedit febris lenta cum dolore pectoris.	Vaſa cordis ſanguine infarcta, & pulmones cruſta obducti. *pars* I. *obſ.* 56.
Animi commotionem excipiunt cordis palpitationes cum artuum inferiorum œdemate.	Cor dilatatum, & ſanguine infarctum. *pars* II. *obſ.* 423.
Mœror mortem ſubitaneam ſibi adjungit.	Cor & vaſa pulmonaria ſanguine turgida. *pars* II. *obſ.* 444, 445.
Mors improviſa inter iræ impetum.	Sanguis in pericardio, & abſceſſus in trunco aortæ. *pars* II. *obſ.* 667.
Poſt mœrorem ſævit cordis dolor cum thoracis anguſtia, febre aucta, ſpirandi difficultate, agripnia, & tandem lypothimia lethali.	Pericardium purulentia conſpurcatum. *pars* II. *obſ.* 672.
Catharrus ſuffocans ſequitur mentis concitationem.	Cor dilatatum & ſanguine infarctum. *pars* II. *obſ.* 424.
Accerſunt cordis palpitationes quas excipit mors ſubitanea.	Valvulæ cordis lapideſcentes; cor ſanguine turgens. *pars* II. *obſ.* 582.
Poſt animi pathemata oritur cordis palpitatio quæ ſibi ſpirandi difficultatem adjungit.	Cor ſanguine polypoſo diſtentum. *pars* II. *obſ.* 423.

DELI-RIUM.

D E L I R I U M.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Delirium ſoporem accerſit lethalem.	Cerebrum & cerebellum ſubſtantia ſolidiori; concretiones in ventriculo. *pars* III. *obſ.* 88.
Cum convulſionibus febrem vulneri frontis ſuccedaneam ſequitur.	Abſceſſus in dura matre. *pars* III. *obſ.* 522.
Item.	Meninges putridæ. *pars* II. *obſ.* 20.
Cum epilepſia.	Aqua in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 448.
Item.	Ventriculi cerebri humore aqueo ſcatent. *pars* III. *obſ.* 39.
Excipit capitis dolorem cum febre continua.	Ventriculus tertius cerebri lympha turget. *pars* III. *obſ.* 386.
Symptomata peſtis cum anthracibus in parte antica femoris.	Cerebrum inflammatum. *pars* II. *obſ.* 14.
Cum ſpirandi difficultate variolоſum cruciat.	Puſtulæ in bronchiis. *pars* II. *obſ.* 7.
Buboni ſeſe adjungit.	Cor ſanguine infarctum. *pars* I. *obſ.* 60.
In febre ardenti exoritur, & convulſionibus prehenditur.	Pulmones & hepar putrida, cerebrum illæſum. *pars* II. *obſ.* 311.
Cephalalgiam concomitatur.	Tumor cyſticus in cerebro. *pars* III. *obſ.* 198.
Furioſus excandeſcit in febre chronica.	Hepar durum & ingens; cerebrum colluvie purulenta inquinatum. *pars* I. *obſ.* 816.
Cum febre vehementi & dolore circa coſtas mendoſas.	Diaphragma inflammatum. *pars* II. *obſ.* 774.
Quemdam febre tertiana duplici, & tumoribus brachii dextri laborantem invadit.	Ventriculus inflammatus, veſica fellis aere turgida. *pars* I. *obſ.* 70.
Seſe adjungit febri malignæ epidemicæ.	Aqua in abdomine & encephalo ſtagnans, hydatides præterea annotabantur in hepate & cerebro. *pars* III. *obſ.* 67.
Cum tremore prehendit capitis dolorem.	Pulmones ſcirrhoſi, valvulæ aortæ valde induratæ; aqua ſanguine permixta in cranio & tubo vertebrali. *pars* III. *obſ.* 10.

Deli-

DELIRIUM.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Delirium. Puer delirans floccos colligit, linguam habet exuſtam, fæces nigras dejicit, &c.	Cyſtis lympha turgens in cerebro. *pars* III. *obſ.* 195.
Cum couvulſionibus in febre petechiali advenit.	Pulmones ſcirrhoſi plevræ adnati. Omentum & inteſtina putriditate affecta, lien ingens. *pars* I. *obſ.* 438.
Comes alvi fluxus.	Inteſtina putrida. *pars* I. *obſ.* 442.
Excipit quemdam colica laborantem.	Inteſtinum cœcum putridum. *pars* I. *obſ.* 450.
Poſt ſe convulſiones trahens accedit melancholicum vomitionibus & capitis dolori obnoxium.	Omentum exeſum, inteſtinum colon inflammatum. *pars* III. *obſ.* 419.
Delirium ſuccedaneum Capitis dolori cum convulſionibus ſævit.	Abſceſſus cerebri. *pars* III. *obſ.* 132.
In febre ardente.	Gelatina circa vaſa cerebri. *pars* III. *obſ.* 479.
Alvi fluxui.	Abdominis inculpata viſcera, hydatides in meningibus, & aqua in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 4.
Item.	Inteſtina putrida. *pars* I. *obſ.* 442.
Lypothymiæ.	Delirium ſoporoſum. *pars* III. *obſ.* 84.
Iſchuriæ.	Ren dexter & ureter calculoſi. *pars* I. *obſ.* 1224.
Animi perturbationibus.	Hepar inflammatum. *pars* I. *obſ.* 224.
Poſt capitis contuſionem ingruit, & tetanos ſibi accerſit.	Aqua in ventriculis & juxta baſim cerebri. Meningum purulentia. *pars* III. *obſ.* 19.
Poſt cereviſiæ hauſtum viget; remediis fugatur, ſed denuo recrudeſcens convulſiones lethales accerſit.	Meninges oſſeæ. *pars* III. *obſ.* 240. (*a*).
Poſt inſolationem oriens convulſionibus ſtipatur.	Cerebrum inflammatum. *pars* III. *obſ.* 122.
Poſt caſum ex alto cum dolore in vultu.	Sanguis ſtagnat in cranio, & cerebri involucra inflammata. *pars* III. *obſ.* 400.
Propinato arſenico.	Ductus alimentaris exeſus. *pars* I. *obſ.* 154.

DELIRIUM.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Delirium ſuccedaneum cum ſomnolentia & dein ictero ſtipato dolore obſcuro hepatis poſt contuſionem capitis.	Dura meninx & hepar putrida. *pars* I. *obſ.* 732.

Extiſpicia.

Capſulæ atrabilariæ ſolito majores. *pars* I. *obſ.* 1219. Lien ſanus. *pars* I. *obſ.* 1010. Cor conſtrictum. *pars* II. *obſ.* 456. Diaphragma putridum. *pars* III. *obſ.* 776. Cerebrum corruptum & inteſtina corrugata. *pars* III. *obſ.* 149. Aridum cerebrum. *pars* III. *obſ.* 77. Gangrænoſum. *pars* III. *obſ.* 141.

MELANCHOLIA.

MELANCHOLIA.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Melancholia cum capitis dolore quem ſequuntur convulſiones.	Pus cerebrum inquinat. *pars* III. *obſ.* 530.
Siti moleſtiſſima ſtipatur.	Ventriculi thalami infarcti pituita. *pars* II. *obſ.* 507.
Melancholici inſaniunt.	Venæ capitis varicoſæ. *pars* III. *obſ.* 64.
Tabe conficiuntur.	Viſcera abdominis ſcirrhoſa. *pars* I. *obſ.* 537.
Febre cum dolore dorſi cui ſuccedunt fluxus hemorrhoidales, & corporis intumeſcentia.	Pancreas & pulmones purulenti, cerebrum turgens colluvie ſeroſa. *pars* I. *obſ.* 1046.
Sibi aſthma & dein tabem accerſit.	Hepar ſcirrhoſum; pectus aqua ſcatet; pericardium cordi adnatum. *pars* II. *obſ.* 705.
Furorem & dein amentiam.	Cerebrum exſuccum & flavum. *pars* III. *obſ.* 79.
Melancholicus gladio ſe confodit, ſanatur; ſed demum oborto vomitu enecatur.	Cor marcidum, aqua citrina in pericardio. *pars* III. *obſ.* 454.
Semetipſe ſuſpendit clavo feneſtræ.	Lien putridus. *pars* I. *obſ.* 963.
Poſt uſum fructuum horrariorum moritur.	Pancreas calculoſum. *pars* I. *obſ.* 1045.
Queritur de ſummo capitis dolore.	Sanguine nigro turgent venæ encephali, aqua ſtagnat in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 384.

Noſtal-

MELANCHOLIA.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Noſtalgia ſibi adjungit convulſiones cum pulſu exili & ſomnolentia.	Vaſa cerebri ſanguine infarcta. Ventriculi cerebri laterales aqua turgidi. *pars* III. *obſ.* 375.
Noſtalgia abit in carum.	Ventriculi cerebri ſanguine polypoſo turgent. *pars* II. *obſ.* 487.

A M E N T I A.

AMENTIA.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Amentia delirium furioſum excipit.	Concretio gelatinoſa in cerebro. *pars* III. *obſ.* 475.
In catalepſiam degenerans ſequitur febrem poſt orta animi pathemata.	Cerebrum exſuccum. *pars* III. *obſ.* 778.
	Exſuccum cerebrum colore flavo tinctum. *pars* II. *obſ.* 80.

M A N I A.

MANIA.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Mania lochiis ſuppreſſis oritur, & poſt ſeptennium oborta hemorrhagia uteri ſedatur, qua tamen, nimis perdurante, moritur ægra.	Uterus paſſim ſcirrhoſus & paſſim cartilagineus. *pars* I. *obſ.* 1369.
Succedit cephalalgiæ & animi perturbationibus, & poſt ſe trahit ſyncopem lethalem.	Hepar exiguum, vaſa encephali ſanguine turgentia, meninges oſſeæ, plexus choroides hydatidoſus, & aqua in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 36.
Poſt ſtudium intenſum.	Cerebrum ingens, compactum; vaſa ejus ſanguine turgida. *pars* III. *obſ.* 87.

Extiſpicia.

Meninges oſſificatæ, & aqua in ventriculis cerebri. *pars* II. *obſ.* 37. Aqua in ventriculis cerebri, plexus cheroides ſcirrhoſus. *pars* III. *obſ.* 173. Cerebrum perdurum. *pars*

MANIA. ——— *pars* III. *obſ.* 98. Cranii oſſa ſolito multo majora. *pars* II. *obſ.* 7. Cerebrum durum, & tantillum aquæ ſub dura meninge. *pars.* III. *obſ.* 94. Cerebrum durum, exceptis fornice & glandula pineali. *pars* III. *obſ.* 93. Vermes in naribus. *pars* II. *obſ.* 49.

P H R E N I T I S.

PHRENITIS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Phrenitis inter febrem malignam ingruit.	Pia meninx inflammata. *pars* III. *obſ.* 12.
Succedanea doloribus capitis.	Aqua turgent ventriculi encephali. *pars* III. *obſ.* 388.
Item.	Cerebrum putridum. *pars* III. *obſ.* 152.
Item.	Meninges inflammatæ & vaſa capitis ſanguine turgida. *pars* III. *obſ.* 8.
Inflammationi pectoris cum vomitu bilioſo.	Pulmones inflammati, vaſa cerebri ſanguine turgida & pus in baſi cranii ſtagnans. *pars* II. *obſ.* 68.
Ab aſſumpto veneno.	Membrana exterior ventriculi exeſa. *pars* III. *obſ.* 132.

Extiſpicia.

Ventriculi cerebri turgent aqua ſubcærulea. Diaphragma & hepar inflammata. *pars* II. *obſ.* 774. (*a*) Pus in baſi cranii ſtagnat. *pars* III. *obſ.* 22. Vermes ſub cranio deliteſcunt, meninges eroſæ occurrunt. *pars* III. *obſ.* 545. Cerebrum putre. *pars* III. *obſ.* 162. Meninges inflammatæ. *pars* III. *obſ.* 10

Paraphrenitis. Cum cephalalgia quam ſubſequitur lethalis ſopor.	Veſicula fellis bile turgida. *pars* I. *obſ.* 235.

C O N V U L S I O N E S.

CONVULSIONES.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Convulſiones artuum ſuperiorum cum paralyſi cruris ſiniſtri excipiunt iſchuriam cum tumore circa cartilaginem enſiformem.	Aqua in abdomine & pericardio & cerebro. *pars* III. *obſ.* 405.
Apoplexiam ſubitaneam & lethalem ſibi accerſunt.	Venæ encephali flatu turgidæ, aqua & ſanguis in ventriculis, &c. *p.* III. *obſ.* 264.

Arthri-

CONVULSIONES.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Arthriticum moleſtant, & in apoplexiam degenerant.	Sanguis concretus in cerebro. *pars* III. *obſ.* 273.
Invadunt melancholicum de dolore circa ſcapulam querulum.	Tumores ſcirrhoſi in cerebro, vaſa ſanguinea turgida, plexus choroides tuberculoſus, aqua in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 210.
Convulſiones cum capitis dolore gravativo, apoplexiam poſt ſe trahunt, & prægnantem enecant.	Vaſa cerebri ſanguine turgida, aqua intus & extra cerebrum. *pars* III. *obſ.* 403.
Phthiſicum prehendunt quoties ſupinus decumbit.	Ventriculi cerebri humore flaveſcente turgidi. *pars* III. *obſ.* 394.
Cum delirio in febre.	Aqua in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 426.
Excipiunt dolores capitis inter febrem ſævientes.	Gelatina in cranio. *pars* III. *obſ.* 478.
Melancholicum dolore capitis laborantem invadunt.	Pus in cerebro ſtagnat. *pars* III. *obſ.* 530.
Ingruunt in febre bilioſa cui ſuccedit aſcites.	Hepar ſcirrhoſum, cor dilatatum & lapideſcens. *pars* II. *obſ.* 565.
Cum ſpirandi difficultate ſeſe adjungunt cordis palpitationi.	Cor mire dilatatum. *pars* I. *obſ.* 405.
Quas prehendunt ventris tormina lethalia.	Pancreas exulceratum. *pars* I. *obſ.* 1054.
Univerſales cum doloribus atrocibus, mente remanente ſana in apoplexiam abeunt.	Aqua in cerebro, plexus choroides putris. *pars* III. *obſ.* 175.
Univerſales ptyaliſma totius corporis poſt ſe trahunt.	Tumor vertebris lumbaribus adnatus; glandulæ meſenterii ſteatomatoſæ.
Chloroticam cum ſpirandi difficultate cruciant.	Pia meninx varicoſa, gelatina in cerebro. *pars* III. *obſ.* 428
Succedaneæ Hemorrhagiæ narium.	Meninges oſſeæ. *pars* III. *obſ.* 40.
Spirandi difficultati cum dolore pectoris.	Latex albicans in thorace, & pulmones pure exeſi. *pars* II. *obſ.* 368.
Poſt vulnus inflictum occipiti.	Pus inter pixidem oſſeam & cerebri involucra. *pars* III. *obſ.* 506.
Item.	Abſceſſus in cerebri latere. *pars* III. *obſ.* 507.
	Item.

CONVULSIONES.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Item.	Pus in cerebro. *pars* III. *obſ.* 526.
Animi perturbationibus & interea difficilis trahitur ſpiritus.	Pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 418.
Poſt caſum ab alto ebrium invadunt, & delirium furioſum ſibi adjungunt, donec recurrentes ægrum jugulent.	Cranium illæſum, ſanguis effuſus inter hæmiſpherium dextrum cerebri & duram matrem. *pars* III. *obſ.* 225.
Convulſiones. Convulſio oriens in brachio ſiniſtro brevi totum corpus invadit; aderat faucium dolor cum febre.	Serum in ſiniſtro cerebri ventriculo & in thorace, pulmones putridi; & aqua in pericardio. *pars* II. *obſ.* 629.
Variolis prægreſſis, fluunt aures & ſæviunt capitis dolores lethales.	Abſceſſus in cerebro juxta oſſa petroſa carie affecta. *pars* III. *obſ.* 113.
Capitis dolori ſuccedunt, & poſt ſe ſoporem trahunt.	Glandula pinealis ingens, aqua in pericardio, pulmones tuberculoſi. *pars* III. *obſ.* 176.
Preſſo pede cum viſus & olfactus abolitione ſequuntur ictum capitis.	Tumores ſteatomatoſi in cerebro; oſſa ethmoides & frontis carioſa. *pars* III. *obſ.* 201.
Adveniunt in colica Saturnina.	Omentum exeſum, colon contractum, cœcum dilatatum. *pars* I. *obſ.* 450.
Emetico propinato aſthmaticum invadunt.	Pulmones pure exeſi. *pars* II. *obſ.* 388.
Excipiunt ſputa purulenta abſque ullo dolore pectoris.	Pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 344.
Convulſio dextri lateris & paralyſis ſiniſtri ſibi febrem lethalem adjungunt.	Pia meninx purulenta in parte ſiniſtra, & vaſa ejuſdem lateris ſanguine turgida. *pars* III. *obſ.* 117.
Dolores capitis prehendit.	Plexus choroides hydatidibus exaſperatus; aqua in cerebro. *pars* III. *obſ.* 168.
Inſolationem.	Cerebri durities. *pars* III. *obſ.* 34.
Cum cæcitate ſuccedunt doloribus atrociſſimis.	Abſceſſus cerebri prope ventriculos. *pars* III. *obſ.* 133.
Cum delirio poſt capitis vulnus.	Inteſtina contracta, cerebrum putridum. *pars* III. *obſ.* 149.
Pleuriticum torminibus ventris laborantem invadunt.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 499.
Tetanos. Juvenem lithiaſi laborantem corripit quoties decumbere tentat.	Calculus in veſica deliteſcens. *pars* I. *obſ.* 1277.

Succe-

CONVULSIONES.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Succedit delirio poſt capitis contuſionem orto.	Aqua in ventriculis & juxta baſim cerebri, meninges putridæ. *pars* III. *obſ.* 19.
Ebrium invadit.	Gelatina in cerebro. *pars* III. *obſ.* 485.
Convulſiones vomitum cephalalgiæ ſuccedaneum excipiunt.	Viſcera putrida. *pars* I. *obſ.* 1591.
Aſſiduo recurrentes dyſuriam accerſunt.	Calculum recondit ren ſiniſter. *pars* I. *obſ.* 1176.
Ingruunt in febre maligna epidemica ſtipata cardialgiis & doloribus.	Ventriculus, inteſtina & meſenterium putrida; liquamen in abdomine. *pars* I. *obſ.* 162.
In diarrhæa bilioſa cum animi deliquiis frequenter recurrentibus.	Hepar ingens & inflammatum, cyſtis fellea inanis; inteſtina flatulenta, liquamen in abdomine. *pars* I. *obſ.* 438.
Seſe adjungunt buboni peſtilentiali.	Cor ſanguine turgens, pulmones inflammati; hepar ingens, & cyſtis fellea bile turgida. *pars* I. *obſ.* 604.
Ventris torminibus.	Inteſtina flatulenta & paſſim gangrænoſa. *pars* I. *obſ.* 426.
Affectui ſoporoſo.	Lien magnus, & quaſi oſſeus; aqua in cerebro, & gelatina juxta tractum vaſorum meningis. *pars* III. *obſ.* 277.
Hydrophobiæ.	Pulmones ſanguine concreto infarcti. *pars* II. *obſ.* 39.
Iſchuriæ.	Renes calculis aut pure infarcti. *pars* I. *obſ.* 1139.
Febri tertianæ.	Cor marcidum. *pars* III. *obſ.* 451.
Doloribus veſicæ.	Calculus in veſica. *pars* I. *obſ.* 1283.
Capitis gravedini.	Aqua in cerebro. *pars* III. *obſ.* 473.
Convulſiones apoplexiæ comites mortem afferunt ſubitaneam.	Vertebrales & carotides arteriæ diſruptæ. *pars* III. *obſ.* 229.
Convulſio ſuccedanea apoplexiæ.	Meninges oſſeæ. *pars* III. *obſ.* 41.
Animi commotioni.	Cerebrum putridum. *pars* III. *obſ.* 144.
Vomitioni ſanguinis inter febrem quartanam exorienti.	Aqua in thorace & cerebri ventriculis. *pars* III. *obſ.* 371.

CONVULSIONES.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Poſt labores immodicos quemdam corripiunt.	Sanguis in vaſis cerebri ſtagnat. *pars* III. *obſ.* 62.
Convulſiones inter dolorem & tumorem abdominis.	Meſenterium hydatidibus infarctum. *pars* III. *obſ.* 549.
Poſt febrem lentam.	Medulla oblongata colluvie flaveſcente inquinata, &c. *pars* III. *obſ.* 3.

Extiſpicia.

Ventriculus & inteſtina conſtricta, bilis effuſa in ventriculo. *pars* I. *obſ.* 466. Ventriculi cerebri turgent aqua ſubcærulea. Diaphragma & hepar inflammata. *pars* II. *obſ.* 1774. Pus in baſi cranii ſtagnat. *pars* III. *obſ.* 22. Vermes ſub cranio deliteſcunt; meninges eroſæ occurrunt. *pars* III. *obſ.* 545. Cerebrum putre. *pars* III. *obſ.* 162. Meninges inflammatæ. *pars* III. *obſ.* 10. Pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 368. Gelatina in cerebro. *pars* III. *obſ.* 92. Lumbrici in inteſtinis. *pars* I. *obſ.* 304. Inteſtina contorta. *pars* III. *obſ.* 466. Renes ſuccenturiati perquam tumidi. *pars* I. *obſ.* 1117. Pia meninx inflammata cerebro inculpato. *pars* III. *obſ.* 15.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Tetanos. Sævit operatione caſtrationis peracta.	Peritoneum inflammatum. *pars* I. *obſ.* 5.
Opiſthotonos. In Ebrium ſolo decumbentem.	Gelatina in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 487.

E P I L E P S I A.

EPILEPSIA.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Epilepſia cum inſultu hyſterico interdum recurrente.	Pancreas putridum. *pars* I. *obſ.* 1053.
Sibi mutuo ſuccedunt cum ſyncope.	Pulmones inflammati. *pars* III. *obſ.* 118.
Leucophlegmaticum prehendit.	Aqua in cerebro; plexus choroides hydatidoſus. *pars* III. *obſ.* 166.
Cum tuſſi continua & vomitu frequenti.	Ductus biliaris calculo obturatus. *pars* I. *obſ.* 89.
Epilepſia excipit æſtum maximum plantarum pedis, & pulſationem in abdomine.	Anevriſma abdominis. *pars* I. *obſ.* 1627.

Dege-

EPILEPSIA.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Degenerat in paſſionem iliacam, qua ceſſante, excernuntur vermes per anum.	Inteſtina complicata & contorta. *pars* I. *obſ.* 461.
Epileptica gummata venerea in fronte gerit, & inter hydrargiroſim, orto ſopore, enecatur.	Cranium carioſum, cerebrum juxta gummata excavatum recondit ſaniem. *pars* II. *obſ.* 27.
Pluries ſibi dolorem in latere dextro capitis adjungit, hæmorrhoidali fluxu non ſedatur, & lethalem accerſit ſoporem.	Abſceſſus cerebri in ſede doloris. *pars* III. *obſ.* 214. (*a*).
Cum convulſionibus inter quas franguntur oſſa humeri & cruris.	Oſſa fracta medulla carent. *pars* I. *obſ.* 214.
In apoplexiam lethalem abit.	Cerebrum quaſi inflammatum, ventriculi ſanguine concreto turgentes. *pars* I. *obſ.* 282.
Cachecticum ingenio tardo & quaſi hebetem corripit.	Gelatina in cerebro. *pars* III. *obſ.* 476.
Succedanea aſthmati.	Pulmones calculoſi, & aqua in thorace. *pars* III. *obſ.* 266.
Dolori ſincipitis curato.	Duræ matri hæret cerebrum & ſanguis effuſus ſtagnat in cranio. *pars* III. *obſ.* 301.
Diarrhææ & vomitui.	Hepar ſcirrhoſum, cyſtis fellea bile turgens, ventriculus inflammatus, & aqua in cerebro. *pars* I. *obſ.* 160.
Hemophthiſi diuturnæ.	Pulmones ſani; aqua & gelatina in cerebro; vaſa ejus ſanguine infarcta. *pars* III. *obſ.* 481.
Delirio furioſo.	Vaſa cerebri ſanguine turgida, plexus choroides ſcirrhoſus. *pars* III. *obſ.* 173.
Catalepſiæ.	Sanguis effuſus inter cerebri anfractus; vaſa ejus turgent, & ſanguis ſtagnat in baſi cranii. *pars* III. *obſ.* 243.
Poſt capitis contuſionem.	Exoſtoſis cranio adnata, cerebrum deprimit. *pars* II. *obſ.* 19.

EPILE-PSIA.

Extiſpicia.

Abſceſſus in cerebro. *pars* III. *obſ.* 528. Oſſicula echinata inter lamillas ſinus longitudinalis. *pars* I. *obſ.* 48. Cerebrum putre exceptis ventriculis. *pars* III. *obſ.* 534. Materia viſcida inſtar adipis, ventriculos cerebri inquinat. *pars* III. *obſ.* 491. Tumor fungoſus in ventriculo cerebri. *pars* III. *obſ.* 209. Sanguis effuſus inter cerebellum & thecam oſſeam. *pars* III. *obſ.* 235. Hepar ingens, inteſtina flatu diſtenta, ventriculi laterales cerebri & ramuli venæ jugularis ſanguine concreto diſtenti. *pars* III. *obſ.* 272. Cranii prava conformatio. *pars* II. *obſ.* 4. Tumores ſteatomatoſi in cerebro. *pars* III. *obſ.* 22. In corpore ſtriato. *pars* III. *obſ.* 220. Medulla oblongata putrida. *pars* III. *obſ.* 160. Ventriculi cerebri laterales colluvie ſeroſa diſtenti. *pars* III. *obſ.* 399. Sanguine turgentes. *pars* III. *obſ.* 280. Aqua in ventriculis & hydatides in cerebro. *pars* III. *obſ.* 454. Lien ſcirrhoſus. *pars* I. *obſ.* 492. Meninges puſtuloſæ. *pars* III. *obſ.* 8. Tubercula duo in ſupremo vertice encephali, materia gelatinoſa in cerebro. *pars* III. *obſ.* 480. Caput illæſum, lapides in renibus. *pars* III. *obſ.* 1173.

LIQUORUM STAGNATIO IN CRANIO.

LIQUORUM STAGNATIO &c.

AQUA effuſa in cranium, cranii volumen adauget, oſſa a contactu disjungendo. *pars* III. *obſ.* 315. Partum difficilem imo impoſſibilem reddit. *pars* III. *obſ.* 321. Paralyſim creat. *pars* III. *obſ.* 320. Apoplexiam. *pars* III. *obſ.* 323, 341, &c. Convulſivos motus. *pars* III. *obſ.* 323, 324, 328, 418, 419, &c. Lethargum. 352, 352 (*a*). Vertiginem cum balbutie. *pars* III. *obſ.* 344. Iſchuriam. *pars* III. *obſ.* 343. Dolores capitis. 348, 349, 351. Epilepſiam 363. Delirium 407. Cæcitatem. *pars* II. *obſ.* 365, 416. Cæterum vide ſuo loco.

Hydrocephalos. *pars* III. *obſ.* 315. Aqua extra cerebrum. 343. In cerebri ventriculis. 367. Intus & extus. 403. Sanguis effuſus extra cerebrum. *pars* II. *obſ.* 225. Intus & extus. 249. In ventriculos. 261. Intra ſubſtantiam cerebri. 294. In cerebellum 313. Humor mucoſus in ambitu cerebri. *pars* III. 466. In cerebro. 480. Purulentus. 493. Colluvies ſanioſa. 529. Nigra & putris. 532.

SECTIO TERTIA.

DE MORBIS INTERNIS PECTORIS.

TUSSIS.

TUSSIS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Tuſſis. CUM empyematis ſignis, ſolo opio diu ſedatur.	PECTUS purulentia turgens, *pars* II. *obſ.* 849.
Cum reſpiratione difficili opportunis remediis miteſcit; ſed denuo recrudeſcit.	Pulmones plevræ annexi & undique purulentia conſpurcati. *pars* I. *obſ.* 1167.
Cum febre, deglutiendi difficultate & orthopnæa.	Pus concretum in bronchiis. *pars* II. *obſ.* 4.
Tuſſis cum ſpuitione purulenta, dolore violentiſſimo pectoris, ventris intumeſcentia, & tandem tabe cui ſe adjungit aſcites.	Pulmo pure exeſus. *pars* I. *obſ.* 373.
Delirio & pectoris dolore ſtipatur.	Pulmones putridi plevræ & diaphragmati accreti. *pars* II. *obſ.* 116.
Interea ſævit ſpirandi difficultas, quam preſſo pede ſequitur febris maligna.	Pulmones præduri & ſcirrhoſi, ventriculus contractus. *pars* II. *obſ.* 212.
Cum dolore ſtomachi, ſpuitione calculorum, cui ſe adjungit artuum & abdominis œdema.	Pulmones putridi & lapillis ſcatentes. *pars* II. *obſ.* 253.
Tuſſis ſicca cum anguſtia pectoris, pulſatione carotidis ſiniſtræ, pulſu duro & inæquali, ſpirandi difficultate, & tandem abdominis intumeſcentia maciem præcedente.	Aqua in ventre & pericardio, cor ſanguine turgens, omentum putridum. *pars* II. *obſ.* 613.
Poſt violentam tuſſim exoritur cephalea cum ſenſu interno pulſationis.	Anevriſma arteriarum meningis & caries oſſium cranii. *pars* III. *obſ.* 54.
Aſſidua cum febre lenta.	Pectus inculpatum, ventriculus & inteſtina contracta, pancreas & glandulæ meſenterii ſcirrhoſæ. *pars* II. *obſ.* 944 (*a*).
Purulenta, ægro difficile ſpirante, febrem lentam ſibi accerſit.	Pulmones putridi.

Con-

TUSSIS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Continua cum vomitu frequenti concomitans inſultum epilepticum.	Ductus biliaris calculo obturatus. *pars* II. *obſ.* 899.
Cum febre acuta, ſpirandi difficultate, tuſſi & tumore in hypochondrio dextro.	Hepar tumidum & inflammatum, inteſtina phlogoſi correpta, materies ſordida in abdomine. *pars* III. *obſ.* 597.
Vomitu ſtipatur, & aſciti ſeſe adjungit.	Hydrops cyſticus. *pars* I. *obſ.* 1693.
Tuſſis ſicca cum ſpiritu difficili & cibi faſtidio in peripneumoniam lethalem abit.	Tuberculum parti poſticæ ventriculi adnatum. *pars* I. *obſ.* 101.
Tuſſis gangrænæ pedis ſocia, qua miteſcente, altera minus ſævit; tuſſis tamen paucis elapſis diebus, denuo recurrit & ægrotum tandem de medio tollit.	Pulmonum emphyſema. *pars* II. *obſ.* 35.
Cum ſpirandi difficultate, ſputo cruento, alvi fluxu & febre.	Hepar ingens, pulmoneſque pure abſumpti. *pars* I. *obſ.* 362.
Tuſſis nulla in phthiſi.	Pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 391.
In pleuritide.	Pulmones indurati, & concretiones ſanguineæ in thalamis cordis. *pars* II. *obſ.* 205.
In tabe.	Pulmonum ulcus. *pars* II. *obſ.* 207.
Cum ſputo cruento, ſpirandi difficultate, concomitatur cordis palpitationem.	Cor ſanguine turgidum. *pars* I. *obſ.* 544.
Improviſo excandeſcit, & puellam ſubito enecat.	Tracheæ infarctus pituitoſus. *pars* II. *obſ.* 70.
Quolibet anno inter hyemem occurrit, & tandem in pleuritidem degenerat.	Pulmo & hepar ſcirrhoſa. *pars* II. *obſ.* 87.
Febrem & motus convulſivos ſibi acceſſit.	Vaſa meningis ſanguine obruta, ventriculi aqua infarcti. *pars* III. *obſ.* 377.
Interdum recurrit cum ſpuitione purulenta.	Pulmones illæſi, ſinus frontales pure conſpurcati. *pars* II. *obſ.* 48.
Tuſſis catarrhalis ſibi adjungit vehementem febrem cum dolore lateris dextri, pectoris & abdominis intumeſcentia ſuccedanea.	Pulmo purulentus, & cor ſanguine concreto infarctum. *pars* II. *obſ.* 152.
Abit in aſthma convulſivum artuum intumeſcentia ſtipatum.	Aqua in pericardio, pancreas & meſenterium ſcirrhoſa. *pars* II. *obſ.* 622.

Tuſſi-

TUSSIS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Tuſſicula febrem tertianam concomitatur.	Pulmones pure conſpurcati. *pars* II. *obſ.* 386.
Cum dolore obſcuro circa tracheam arteriam, inter quem corpus membranaceum dejicitur.	Trachea pure ſcatens. *pars* II. *obſ.* 71.
Tuſſicula. Tuſſiculoſus morbus.	Pulmonum tubercula. *pars* II. *obſ.* 228.
Tuſſicula a morbillis fovetur, & febre acuta cum vocis clangore & ſpirandi difficultate ſtipatur.	Materies purulenta in bronchiis. *pars* II. *obſ.* 4.
Tuſſis cum pectoris dolore in febrem lentam degenerans oritur lochiis ſuppreſſis.	Pulmonum putredo. *pars* II. *obſ.* 339.
In phthiſim abit.	Pulmones purulenti, ſtomachus e ſede dimotus, hepar ingens. *pars* II. *obſ.* 362.
Degenerat in eundem morbum, & capilli defluunt.	Pulmones pure exeſi. *pars* II. *obſ.* 374.
Tuſſicula poſt uſum ſpiritus vini per intervalla recurrit, & tumorem abdominis ſibi adjungit.	Viſcera abdominalia ſcirrhoſa. *pars* I. *obſ.* 1578.
Sæviente tuſſi œdematoſus corporis tumor diſcutitur.	*Pars* I. *obſ.* 856.
Tuſſim ſequuntur lypothimiæ cum ventris dolore poſt exercitium immodicum.	Pulmones coſtis adhærentes. *pars* I. *obſ.* 26.
Concomitatur pectoris inflammationem.	Pulmones infarcti. *pars* I. *obſ.* 336.
Curata peripneumonia excandeſcit cum difficultate cubandi in ſiniſtrum latus.	Pulmones feroſo latice turgent, cor cruſta obductum. *pars* II. *obſ.* 681.
Rheuma cum febre, & dein dolore lumborum, & pulſu debili.	Aqua in cranio, thorace, & præcipue in pericardio. *pars* II. *obſ.* 637.
In icterum abit.	Pulmones & hepar putrida; veſica fellea calculis fœta. *pars* I. *obſ.* 741.
Stertor. Cum dolore faciei puellam enecat.	Bilis in ventriculo, pulmones inflammati, *pars* II. *obſ.* 126.

T U M O R E S.

	Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
TUMORES.	*Tumores* glandularum thyroidearum cum cephalalgia, ſuccedente tumore pone aurem & in cervice cum febre hectica.	Scirrhoſæ glandulæ corporis. *pars* I. *obſ.* 528.
	Circa jugulum cum valida pulſatione, difficultate ſpirandi, & tuſſi quam prehendit ſpuitio ſanguinea.	Aorta anevriſmatica diſrupta tracheæ proſpiciebat. *pars* II. *obſ.* 802.
	In parte dextra & ſuperiore pectoris, cum pulſatione manifeſta & ſpirandi difficultate, mortem ſubitaneam ſibi accerſit.	Anevriſma in arcu aortæ. *pars* II. *obſ.* 797.
	Pulſans ſub clavicula dextra cum tuſſi, reſpiratione difficili, & pulſu debili.	Anevriſma aortæ. *pars* II. *obſ.* 796.
	Circa ſcapulas.	Pectus pure turgidum. *pars* II. *obſ.* 939.

D O L O R E S.

	Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
DOLORES.	*Dolor pectoris.* Cum ſpirandi difficultate.	Pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 1169.
	Diffuſus cum pondere in abdomine, & vomitu.	*Pars* I. *obſ.* 948.
	Inter conatum exoritur cum tumore in hypochondrio dextro.	Hepar purulentia conſpurcatum. *pars* I. *obſ.* 703.
	Dolor pectoris cui ſuccedit fluxus hemorrhoidalis dolore punctivo in hypochondrio ſiniſtro ſtipatus.	Lien tumens cum appendicibus. *pars* I. *obſ.* 948.
	Cum gravitate in ſiniſtro latere.	Sanguis concretus in ſiniſtro latere. *pars* II. *obſ.* 473.
	Invadunt quemdam ſtrumis & lue venerea laborantem.	Pulmones infarcti, & cruſta obducti. *pars* II. *obſ.* 69.
	Diuturnus, inter quem erumpit effloreſcentia cum calore & pruritu, qua repulſa, ſubito moritur æger.	Hepar mole majus, pus in veſica fellea, cor ingens. *pars* I. *obſ.* 854.
	Cum tuſſi, pectoris oppreſſionibus & ſpirandi difficultate.	Cor tumidum & ſerum ſtagnans in cavo pectoris. *pars* II. *obſ.* 418.

DOLORES.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Dolor pectoris cum tuſſi, delirio, & convulſionibus.	Pulmones putridi, diaphragmati & plevræ adhærentes. *pars* II. *obſ.* 115.
Exoritur & ad aurem uſque ſiniſtram propagatur herpete repulſo.	Mediaſtinum craſſum ſanguine turgens. *pars* II. *obſ.* 756.
Cum vomitu diuturnam colicam excipiente.	Lapides in veſica fellea. *pars* I. *obſ.* 865.
Nullus adeſt.	Pulmones pure conſumpti, plevræ undique accreti. *pars* II. *obſ.* 210, 372, 375, 383.
Pungens denuo difficilem reddit ſpiritum.	Offificatio in pulmonibus, aqua in pericardio & in thorace. *pars* II. *obſ.* 278.
Succedaneus hæmorrhoidibus & diarrhæa biloſa ſuppreſſis.	Pulmones plevræ accreti, cor tumidum, & aqua in cerebro & medulla ſpinali. *pars* I. *obſ.* 18.
Cum tuſſi & ſputo abundanti dolores abdominis prehendit.	Pulmones tumidi, duri, inflammati & plevræ adhærentes. *pars* I. *obſ.* 119.
Cum reſpiratione difficili poſt animi pathema.	Pulmones cruſta obducti. *pars* II. *obſ.* 54.
Dolor pungens in ſiniſtro latere cum ſputo cruento & orthopnæa, ſævit poſt ſcabiem retropulſam & ulceris cruris ſubſidentiam.	Pulmones inflammatione notati. *pars* II. *obſ.* 66.
Scandeſcit poſt vomitum ſanguinis.	Lien putridus. *pars* I. *obſ.* 956.
Diuturnæ immorationi in ſolo humido.	Ventriculi inflammatio. *pars* I. *obſ.* 68.
Circumſcriptus. Dolor lateris ſibi cordis palpitationes cum deliquiis animi frequentioribus adjungit.	Pulmones inflammati & cor purulentia defœdatum. *pars* II. *obſ.* 517.
Circa ſternum cum tuſſi, ſputo flavo, & reſpiratione difficili.	Pulmones præduri & purulentia tacti. *pars* II. *obſ.* 217.
In pectoris antica parte cum reſpiratione difficili.	Pulmones inflammati. *pars* II. *obſ.* 81.
Dolor cordis ſibi accerſit ſyncopem.	Cordis ulcus. *pars* II. *obſ.* 529.
Dolor pectoris circumſcriptus vires frangit.	Cor tuberculis obſitum. *pars* II. *obſ.* 547.
Ingraveſcens mulierem enecat.	Excreſcentia carnea in corde. *pars* II. *obſ.* 551.

DOLORES.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Lateris ſiniſtri cum tuſſi ſicca & ſpirandi difficultate, &c.	Pulmones cruſta obducti. *pars* II. *obſ.* 30.
Spiritum reddit difficilem; urina parce fluit; pedes intumeſcunt, & efflorescentia media nocte erumpit.	Hepar mole majus, veſicula fellea pure turgens, cor prægrande fovens ſanguinem concretum. *pars* I. *obſ.* 854.
Circa regionem cordis, cum ſpirandi difficultate quolibet corporis motu exacerbatur, palpitationibus cordis interdum recurrentibus, facili tamen decubitu.	Pericardii hydrops. *pars* II. *obſ.* 634.

Extiſpicia.

Pulmones inflammati. *pars* II. *obſ.* 73, 74, 76. Pulmones tumidi veſiculis ſero turgidis infarcti, cor marcidum. *pars* II. *obſ.* 453. Pulmonum purulentia. *pars* II. *obſ.* 336.

PECTORIS INFLAMMATIO.

PECTORIS INFLAMMATIO.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Inflammatio pectoris cum vomitu bilioſo, phrenitide ſubſultu tendinum ſtipata.	Pulmones cruſta obducti. *pars* I. *obſ.* 68.
Cum ſputo cruento invadit quoſdam eryſipelate laborantes.	Abſceſſus pulmonis. *pars* I. *obſ.* 141, 146.
Stipatur dolore lateris.	Pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 336.
Seſe adjungit febri putridæ & maciem accerſit.	Pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 334.
Succedit diuturnæ ſpuitioni materiæ catarrhalis.	Pulmonum ulcus. *pars* I. *obſ.* 201.

Extiſpicia.

Pulmones inflammati ac cruſta viſcida obducti. *pars* II. *obſ.* 58. Pulmones duri plevræ annexi, & cor purulentia tactum. *pars* II. *obſ.* 110. Vermes in inteſtinis. *pars* I. *obſ.* 306.

PLEU-

P L E U R I T I S.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Pleuritis cum cephalalgia exacerbatur accedente diarrhæa.	Pulmones inflammati & pericardium aqua plenum. *pars* I. *obſ.* 84.
Cum delirio.	Pulmones inflammati, ſanguis concretus in thalamis cordis & in plexu choroideo. *pars* II. *obſ.* 119.
Cum comate ſoporoſo, cui delirium & convulſiones ſuccedunt.	Pulmones inflammati plevræ inhærent, & cor ſanguine concreto turget. *pars* II. *obſ.* 85.
Dolor ſternum occupat.	Cor mole maximum, pulmones inflammati, hepar durum, & omentum putridum. *pars* II. *obſ.* 93.
Pus expuit pleuriticus & poſtea empyemate pectoris laborat.	Pulmones purulenti. *pars* II. *obſ.* 194.
Cum pauco ſputo.	Pulmones inflammati & ſanie infarcti. *pars* II. *obſ.* 114.
Cum febre duplici tertiana.	Pulmones cruſta obducti & vermes in inteſtinis. *pars* II. *obſ.* 61.
Cum delirio ac demum comate.	Pulmones putridi, & cor cruſta gelatinoſa obductum. *pars* II. *obſ.* 149.
Pleuriticus in partem doloroſam cubat.	Pulmones plevræ adhærentes, pericardium ſero turgidum, & cor ſanguine infarctum. *pars* II. *obſ.* 100.
Qui materiem albam, denſam, ramoſam expuit. Sexto morbi die moritur.	Materies purulenta in bronchiis. *pars* II. *obſ.* 5.
Sputis ſufflaminatis miteſcit morbus, ſed denuo recrudeſcens ægrum jugulat.	Pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 744.
Falſo incuſatur.	*Pars* I. *obſ.* 768.
Pleuriticus excipitur caro.	Pulmones inflammati, cor ſanguine turgens, vaſa cerebri infarcta. *pars* II. *obſ.* 96.
Pleuritis poſt frigus gravidam invadit.	*Pars* II. *obſ.* 67.
Septimo die ægrum enecat.	Pulmonum ulcus & pectoris hydrops. *pars* II. *obſ.* 211.

PLEURITIS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Pleuritidi ſuccedit macies cum febre lenta & pedibus œdematoſis.	Pulmonum purulentia. *pars* II. *obſ.* 203.
Spirandi difficultas cum ſputo cruento & diarrhæa in febrem lentam degenerans.	Pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 156.
Inordinatum cordis motum cum ſpirandi difficultate poſt ſe trahit.	Cor pericardio adhærens. *pars* II. *obſ.* 703.
Phrenitidem.	Aqua in thorace, plevra & pulmones inflammata. *pars* II. *obſ.* 741.
Abit in febrem lentam.	Pulmones pure exeſi. *pars* II. *obſ.* 378.
Abſque ullo ſputo.	Plevra gangrænoſa. *pars* II. *obſ.* 742.
Bilioſa.	Pulmones cruſta crocea obducti. *pars* II. *obſ.* 63, 64.

Extiſpicia.

Diaphragma inflammatum, inteſtina & cutis flavedine tincta; lien ingens & induratus; pulmo ſiniſter nonnihil inflammatus. *pars* I. *obſ.* 601. Pulmones putridi & aqua ſtagnans in thorace & abdomine. *pars* I. *obſ.* 192, 194, 206. Thorax pure prægnans. *pars* II. *obſ.* 176. Pulmones putridi & plevræ adhærentes. *pars* II. *obſ.* 79, 80, 81, 83, 84, 85, 87, 88, 89, 92, 95, 96, 101, 102, 103, 104, 105. Plevra putrida ab axillis ad diaphragma uſque. *pars* II. *obſ.* 737. Pulmones cruſta obducti; pericardium concretionibus inſtar pilorum ſcatet. *pars* I. *obſ.* 729. Plevra inflammata, pulmones intacti. *pars* II. *obſ.* 745. Cor ſanguine concreto turget. *pars* II. *obſ.* 498. Pulmones indurati, & concretiones in thalamis cordis. *pars* II. *obſ.* 205. Pulmonum abſceſſus. *pars* I. *obſ.* 180, 181. Pulmones inflammati & plevræ adhærentes. *pars* II. *obſ.* 120, 122, 139.

P E R I P N E U M O N I A.

PERIPNEUMONIA.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Peripneumonia cum phrenitide.	Pulmones inflammati, & vaſa cerebri ſanguine turgida. *pars* II. *obſ.* 137.
Cum pulſu inæquali.	Pulmones & hepar indurata, pericardium aqua turgidum. *pars* II. *obſ.* 130.
Cum ſputo ſolito copioſiori.	Pulmo purulentus, & cruſta obductus. *pars* II. *obſ.* 57.

Cum

PERIPNEUMONIA.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum pulſu molli, parvo & celeri in orthopnæam degenerat.	Pulmo alioquin ſanus ſanguine infarctus. *pars* II. *obſ.* 87.
Subito lethalis poſt paſtum liberaliorem.	Plevræ tumor oſſeus. *pars* II. *obſ.* 449.
Dolorem capitis ſibi adjungit.	Abſceſſus in encephalo. *pars* III. *obſ.* 527.
In febrem hecticam abit, cum thoracis intumeſcentia; fame.	Pulmones ſcirrhoſi, & hydrops chyloſus. *pars* II. *obſ.* 942.
Viginti duabus venæ ſectionibus aggreſſa & ſyncopem lethalem accerſit.	Cerebrum exangue. *pars* III. *obſ.* 74.
Curata recrudeſcit cum impotentia cubandi in ſiniſtrum latus.	Pericardium ſero turgens, cor cruſta obductum. *pars* II. *obſ.* 681.
Pure copioſo ſputis dejecto recrudeſcit.	Pulmo inflammatus & purulentia tactus. *pars* II. *obſ.* 192.
Cum fame canina mulierem gravidam enecat.	Hepar mole maximum. *pars* I. *obſ.* 595.
Sanata apparens abit in febrem hecticam.	Pulmones pure exeſi. *pars* II. *obſ.* 376.
Cum ſpirandi difficultate abit in phthiſim cum dolore profundo in latere dextro.	Pur ab hepate per foramen diaphragmatis in thorace depluit. *pars* I. *obſ.* 780.

Extiſpicia.

Inflammati pulmones. Hepar ingens & lien obſtructus. *pars* II. *obſ.* 125. Pulmones cruſta obducti. *pars* II. *obſ.* 662. Pulmones accreti. *pars* III. Pulmones phlogoſi, tumidi, & cor ingens. *pars* II. *obſ.* 436. Pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 355. Cum pericardio purulento. *pars* II. *obſ.* 639. Pulmones inflammati, hepar ingens & lien obſtructus. *pars* II. *obſ.* 125. Plevræ purulentia. *pars* II. *obſ.* 736. Pulmones phlogoſi, tumidi, & cor ingens. *pars* II. *obſ.* 436. Pulmones ſanguine turgidi. *pars* II. *obſ.* 129. Pulmones cruſta obducti, & inteſtina phlogoſi tacta. *pars* II. *obſ.* 61.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Pleuro-peripneumonia. Inter pleuro-peripneumoniam oritur tumor thoracis cum pectoris oppreſſione, extremorum frigore, pulſu obliterato.	Colluvies purulenta in thorace. *pars* II. *obſ.* 931.
Ponderis ſenſatio in pectore abſque ulla ſpirandi difficultate cum febre acuta ſubſequenti.	Lapis tunicatus diaphragmati incumbit. *pars* II. *obſ.* 846.
In latere dextro pectoris aſthma concomitatur.	Pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 286.

SPIRANDI DIFFICULTAS.

SPIRANDI DIFFICULTAS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Dyſpnœa cum tuſſi & cordis anxietate antecedente.	Hepar tuberculoſum. *pars* I. *obſ.* 678.
Hypochondrio dextro tumido.	Item. *pars* I. *obſ.* 678.
Siniſtro.	Lien ingens. *pars* I. *obſ.* 914, 915.
Poſt lapſum ab alto.	Item. *pars* I. *obſ.* 317.
Cum tuſſi ſicca & abdomine tumido.	Lien putridus. *pars* I. *obſ.* 957.
Cum tumore in hypogaſtrio.	Ovarium dextrum cartilaginoſum ſolito majus, ſanguis in bronchiis. *pars* II. *obſ.* 1.
Cum tuſſi & tabe ſubſequenti.	Lapides in pulmonibus. *pars* II. *obſ.* 260.
Cum dolore lateris ſiniſtri.	Pulmones cruſta obducti. *pars* II. *obſ.* 60.
Cum tuſſi lethargiam antecedente.	Omentum abſumptum, meſenterium ſcirrhoſum, hepar tuberculoſum, pulmones indurati, pericardium craſſum. *pars* II. *obſ.* 222.
Cum capitis gravitate.	Cerebrum intactum; pulmo ichore inſtructus. *pars* II. *obſ.* 41.
Dyſpnœa cum dolore lateris intenſiſſimo.	Fellis veſica bile turgens, lien major, pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 307.
Cum tuſſicula & ſputis nonnihil purulentis.	Materies purulenta in bronchiis. *pars* I. *obſ.* 4.
Ventre tumido.	Ingens ovarium dextrum. *pars* I. *obſ.* 1506.
Cum pondere circa cordis ſcrobiculum.	Cor pericardio accretum, & cruſta adipoſa obductum. *pars* I. *obſ.* 470.
Stipatur cordis palpitationibus, quibus ſeſe adjungit intumeſcentia totius corporis.	Cor dilatatum; valvulis ejus oſſeis. *pars* II. *obſ.* 575.
Cum pectoris dolore ſubito oritur a repulſo diurno herpete.	Mediaſtinum craſſum, ſanguine turgens. *pars* I. *obſ.* 556.
Cum tuſſi, pectoris gravitate, cordis palpitatione, & tandem leypothymia.	Aqua in thorace; cor duplo majus; aorta oſſea, & hepar ſcirrhoſum. *pars* II. *obſ.* 580.
Cum cordis dolore.	Membrana oſſea cor tegens. *pars* II. *obſ.* 562.

In-

SPIRANDI DIFFICULTAS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Interea ſævit tuſſis, vomitu & febre lenta ſtipata.	Omentum, pulmones & thymus paſſim putrida & ſcirrhoſa. *pars* II. *obſ.* 761.
Cum dolore pungente in pectore invadit ſtrumoſum ſyphilide laborantem.	Pulmones infarcti, & cruſta obducti. *pars* II. *obſ.* 71.
Cum tuſſi, præcordiorum anguſtia & decubitu difficili in ſiniſtrum latus, & pedum œdemate.	Aqua ſtagnans in abdomine, & pulmo plevræ hærens. *pars* II. *obſ.* 19.
Cum pondere in thorace.	Pulmones calculoſi. *pars* II. *obſ.* 258.
Cum iſchuria.	Tumor abdominis ſteatomatoſus. *pars* I. *obſ.* 165.
Cum præcordiorum anguſtia & cordis palpitatione leucophlegmatiam ſibi adjungit.	Aqua in abdomine, cor diforme, & valvulæ oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 57.
Cum tuſſi & ſputo cruento.	Cor ſanguine concreto turgidum, &c. *pars* II. *obſ.* 544.
Cum vehementi cordis palpitatione, ſiti &c.	Cor illæſum, pulmo plevræ adhærens; lumbrici in inteſtinis. *pars* II. *obſ.* 611.
Diſpnæa cum tuſſi & febre lenta pediſſequa.	Pulmones & thymus lividi & ſcirrhoſi, cor marcidum. *pars* II. *obſ.* 448.
Cum cordis palpitatione, tuſſicula ſicca, & pectoris oppreſſione.	Purulentia cordis & pulmonis. *pars* II. *obſ.* 519.
Stipatur tuſſi ſicca, ſiti, & pedum œdemate.	Aqua in pericardio. *pars* II. *obſ.* 110.
Cum tuſſi ſicca & cordis palpitationibus nautas ex Indiis orientalibus reduces invadit.	Pulmones putriditate affecti. *pars* II. *obſ.* 47.
Simul difficile deglutit æger, laborans tumore circa laryngen.	Tumor cartinomatoſus œſophagum & tracheam comprimit. *pars* IV. *obſ.* 94.
Cum febre & tuſſi puellam ſex menſium corripit.	Pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 185.
Cum febre, tuſſi, ſputo cruento, ſenſatione ponderis in medio thoracis, cordis palpitationibus, &c.	Hydrops mediaſtini. *pars* I. *obſ.* 757.
Reſpiratio ſana.	Pulmones lapillis ſcatent. *pars* II. *obſ.* 257.
Item.	Pulmones coſtis adhærent. *p* II. *obſ.* 14, 26.
Item.	Pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 956.

Cum

SPIRANDI DIFFICULTAS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum tuſſi, ſputo craſſo, ventris intumeſcentia, pectoris anguſtia, pulſu celeri, duro & parvo.	Aqua in pericardio, concretiones in corde. *pars* II. *obſ.* 618.
Cum pondere circa regionem cordis præcedenti crebras lypothymias.	Aqua in pericardio, & cor inane. *pars* II. *obſ.* 645
Cum pulſu parvo, facie pallida, &c.	Aqua in pericardio. *pars* II. *obſ.* 1646.
Cum pulſu debili.	Cor majus & aqua in pericardio. *pars* II. *obſ.* 638.
Cum cordis palpitationibus.	Aorta oſſea. *pars* II. *obſ.* 772.
Item.	Aorta tuberculoſa, & aqua ſtagnans inter ejus laminas. *pars* II. *obſ.* 772.
Item.	Cor tumidum, & valvulæ ſigmoideæ petrefactæ aut oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 405, 406.
Dyſpnæa cum tumore duro in hypogaſtrio, & abdominis intumeſcentia.	Renes ingentes. *pars* I. *obſ.* 1065.
Cum dolore, anguſtia pectoris, & hæmophthiſi.	Cor ingens. *pars* I. *obſ.* 405.
Cum impotentia cubandi ſupra dorſum, & cordis palpitatione.	Pulmones putridi, & cor ingens. *pars* II. *obſ.* 406.
Cum punctorio dolore in hypochondrio dextro, ſudore ubertim profluente, & loquela ſuppreſſa.	Cor & plevra adipe obruta. *pars* II. *obſ.* 465.
Cum anxietatibus, tuſſi ſicca, lypothymiis interdum recurrentibus, & tandem macie.	Hydrops pectoris & aqua in pericardio. *pars* II. *obſ.* 648.
Cum cordis palpitatione, nulla tamen agripnia.	Pulmones gangrænoſi. *pars* II. *obſ.* 299.
Cum tuſſi & abſceſſu in axilla, quo clauſo, mors ſubitanea.	Plevra putrida. *pars* I. *obſ.* 738.
Moleſtiori evadente; paralyſis dextri lateris, & dein apoplexia ſæviunt.	Pulmones aridi & tuberculoſi, aqua in pericardio. *pars* II. *obſ.* 628.
Cum œdemate artuum, nulla concomitante ſpirandi difficultate.	Aqua in cavitate thoracis, & in pericardii cavo ſtagnans. *pars* II. *obſ.* 632.
Vertiginoſum ingruit.	Sanguis concretus in cordis thalamis. *pars* II. *obſ.* 477.

Cum

SPIRANDI DIFFICULTAS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum tuſſi & dolore pungente febrem concomitantibus.	Pulmo putredine affectus. *pars* II. *obſ.* 301.
Item.	Meſenterium ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 521.
Cum cordis palpitationibus interdum recurrentibus.	Cor dilatatum concreto ſanguine turgens, aorta oſſea. *pars* II. *obſ.* 433.
Item.	Sanguis concretus in auriculis. *pars* II. *obſ.* 604.
Cum ſiti ingenti.	Aqua ſalſa in thorace, & pulmonum adhærentia. *pars* I. *obſ.* 21.
Cum febre abſque ullo pectoris dolore.	Materies purulenta in bronchiis, *pars* II. *obſ.* 4.
Diſpnæa cum dolore infra mammam, & ſono in aſpera arteria quaſi *bullientis aquæ.*	Pulmones inflammati, & aqua in pericardio. *pars* II.
Cum delirio variolas concomitans.	Puſtulæ in bronchiis. *pars* II.
Cum maraſmo, & veſicæ calculo.	Cor pericardio accretum, ren dexter putridus, ſiniſter aqua diſtentus, lapis in veſica urinaria. *pars* I. *obſ.* 134.
Cum pruritu totius corporis.	Aqua in pectore & pulmones cruſta obducti. *pars* II. *obſ.* 55.
Cum dolore in pectore tumido, fluctuatione, & phlogoſi in pede ſiniſtro, maciem accerſit.	Pulmones eroſi, aqua in pericardio, & concretiones in corde tecto cruſta adipoſa. *pars* I. *obſ.* 623.
Cum ſputo cruento ſequitur febrem continuam.	Oſſificatio in pulmonibus, renum lythiaſis & ſanguis in bronchiis. *pars* II. *obſ.* 280.
Chronica cum ſputis purulentis, & pulſu in carpo obliterato.	Cor & aorta ſanguine polypoſo turgida. *pars* II. *obſ.* 427.
Quam prehendit mors ſubitanea.	Pulmones aere turgentes, gelatina & aqua in cerebro. *pars* III. *obſ.* 470.
Comes febris acutæ.	Pulmones exſucci & aridi, inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 288.
Cordis palpitationem cum convulſionibus concomitatur.	Cor ingens. *pars* II. *obſ.* 405.
Febris epidemicæ ſocia.	Pulmones infarcti. *pars* II. *obſ.* 37.

SPIRANDI DIFFICULTAS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Seſe adjungit febri ſuccedaneæ, ſanguinis ſpuitioni, & dolori hypochondrii dextri.	Pulmones infarcti. *pars* II. *obſ.* 37.
Dolor pectoris aſciticum moleſtat.	Aqua in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1477.
Invadit quemdam tumore cancroſo in calcaneo obſitum.	Pulmonum ulcus. *pars* II. *obſ.* 199.
Viget cum diſſenteria chronica, ſenſu ponderis in ſcrobiculo cordis, & tandem morte ſubſequente, poſt ſeceſſum ſanguinis ejuſmodi copioſiſſimum.	Aqua in abdomine, pancreas, hepar & appendix vermicularis infarcta, pulmo dexter gangrænoſus. *pars* II. *obſ.* 612.
Diſpnæa febris hecticæ eſt ſocia.	Pulmonum tubercula. *pars* II. *obſ.* 236.
Cum tuſſi & pedum œdemate.	Pectus purulentum. *pars* II. *obſ.* 939.
Cum pulſu parvo & debili, impotentia ſeſe movendi pleuritide prægreſſa.	Aqua in pericardio. *pars* I. *obſ.* 647.
Cum tuſſi, febricula & ſopore.	Pulmones flaccidi & cor putridum. *pars* II. *obſ.* 527.
Cum dolore pectoris.	Pulmones inflammati. *pars* II. *obſ.* 72, 73, 74.
Item.	Pulmones tuberculis ſcatent, ad jugula retrahuntur, & cum plevra adhærent. *pars* II. *obſ.* 247.
Cum dolore ſupra umbilicum, & ſubitanea abdominis intumeſcentia.	Pulmo ſanus, hepar purulentum diaphragmate eroſo in thoracis cavum effuderat, lapides in veſica fellea, lien ſolito major erat. *pars* II. *obſ.* 710.
Sibi adjungit tumorem hypochondrij dextri.	Hepar purulentum. *pars* I. *obſ.* 706.
Falſo hydropi pectoris adſcribitur.	Hydatides in hepate. *pars* I. *obſ.* 699.
Cum calore volæ manuum.	Pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 25.
Cum dolore infimi ventris.	*Pars* I. *obſ.* 163.
Cum crebris animi deliquiis.	Valvulæ cordis. *pars* II. *obſ.* 584.
Cum febre maligna ſtipata tumore in regione epigaſtrica.	*Pars* I. *obſ.* 62.
Cum cardialgia.	Pus ſtagnans inter tunicas ventriculi. *pars* I. *obſ.* 25.

Cum

SPIRANDI DIFFICULTAS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum tumore epigaſtrii, vomitu & febre acuta.	Ventriculus æruginoſa colluvie turget. *pars* I. *obſ.* 74.
Cum dolore ſtomachi, & vomitu, hydropicum moleſtat.	Epiploon ſcirrhoſum, hepar exiguum, ventriculus inflammatus. *pars* I. *obſ.* 231.
Cum febre & dolore circa umbilicum.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 329.
Cum tuſſi & inflammatione hepatis.	Hepar pure conſpurcatum. *pars* I. *obſ.* 597.
Cum tumore & dolore hypochondrii dextri.	Hepar & inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 597.
Diſpnæa cum dolore ſiniſtri lateris.	Lien lapideus. *pars* I. *obſ.* 993.
Aſcitem ſibi adjungit cum dolore circa ſcrobiculum cordis ubi tumor perſentitur durus.	Pancreas ſcirrhoſus, *pars* I. *obſ.* 1013.
Cum ſiti moleſta, æſtu maximo.	Pericardium cordi adnatum. *pars* II. *obſ.* 706.
Febris peſtilentialis comes.	*Pars* I. *obſ.* 844.
Difficile ſpiritum trahunt metallurgici.	Pulmones exſucci, aridi, & attenuati. *pars* II. *obſ.* 291.
Cum doloribus hypochondrii dextri, vomitu bilioſo, cardialgia & diarrhæa.	Vomica in hepate. *pars* I. *obſ.* 728.
Antecedit palpitationes cordis, & ſibi adjungit tumorem in epigaſtrio, anaſarcam, &c.	Cor tumidum. *pars* II. *obſ.* 407.
Cum tuſſi & anguſtia cordis ſeſe adjungit doloribus thoracis.	Cor ſanguine turgidum, & aqua in thorace. *pars* II. *obſ.* 418.
Cum dolore pectoris, tuſſi, pulſatione in ſcrobiculo cordis, & œdemate crurum.	Stomachus flatu diſtentus, cor pericardio adhærens. *pars* II. *obſ.* 701.
Abſque tuſſi, & ullo inflammationis ſigno.	Tumor tunicatus e vertebris lumbaribus ſuperioribus prorumpens. *pars* II. *obſ.* 782.
Juvenem accerſit.	Pulmones ſani, cor ſanguine turgens. *pars* II. *obſ.* 447.
Cum dolore circa mucronatam cartilaginem, medicos in varias ſententias adducit.	Cor maximum, pulmones exigui. *pars* II. *obſ.* 419.

SPIRANDI DIFFICULTAS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum ſputo ichoroſo, maculis corpus deſœdantibus, agripnia, &c.	Omentum putridum, pulmo cruſta obductus & putridus, aqua in pericardio, & ſanguis diſſolutus & putridus in vaſis ſtagnans. *pars* II.
Cum tabe.	Pulmones ſicci, & non putridi. *pars* II. *obſ.* 296.
Febrem putridam antecedit.	Pulmonum purulentia. *pars* II. *obſ.* 244.
Cum pulſu duro & difficili decubitu.	Aqua in pectore, cor ingens, aorta dilatata, oſſea, pulmo ſemi-putridus. *pars* II. *obſ.* 420.
Dyſpnœa cum dolore ſtomachi, & crurum œdemate.	Pancreas, meſenterium, orificium ſtomachi ſyderata, hepar marcidum, & plures calculi in veſica fellea. *pars* I. *obſ.* 783.
Cum pondere in regione cordis, quemdam immediate poſt prandium jugulat.	Pulmones ſanguine infarcti, & ventriculus ingens. *pars* II. *obſ.* 40.
Cum pectoris doloribus, ſuppreſſis hæmorrhoidibus & diarrhœa biliosa.	Pulmones coſtis adhærentes, cor tumidum, & aqua in cerebro & medulla ſpinali. *pars* II. *obſ.* 18.
Anguſtia pectoris cum pondere in epigaſtrio & vomitu ſubſequenti.	Pancreas ſcirrhoſum tredecim libras ponderat. *pars* I. *obſ.* 1013.
Cum pulſu perquam duro, & difficili decubitu.	Aqua in pectore, cor ingens, aorta dilatata & oſſea, pulmo ſemi-putridus. *pars* II. *obſ.* 420.
Cum pulſatione circa cartilaginem enſiformem & artuum inferiorum intumeſcentia.	Cor ſanguine concreto infarctum. *pars* II. *obſ.* 411.
A tumoribus ortis circa claviculas poſt vomitum ſanguinis & ventriculi dolores.	Hepar putridum, ventriculus e ſede depulſus. *pars* II. *obſ.* 156.
Menſibus ſufflaminatis.	*Pars* II. *obſ.* 175.
Alvo profluente, ſubito lethalis.	Aqua in pericardio, adeps circa cor. *pars* II. *obſ.* 22.
Seſe adjungit tumori cancroſo in calcaneo.	Pulmonum ulcus. *pars* II. *obſ.* 199.
Succedanea cordis palpitationi.	Cor pericardio adhærens. *pars* I. *obſ.* 698.
Pectoris anguſtiæ cum cordis palpitatione.	Pulmonum adhærentia, cor ingens. *pars* II. *obſ.* 409.

Dolori

SPIRANDI DIFFICULTAS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Dolori obſcuro pectoris, & ſibi ſputum cruentum adjungit.	Pulmones ſcirrhoſi, & cor putridum. *pars* II. *obſ.* 522, 523.
Catarrho.	Pulmones partibus vicinis annexi. *pars* II. *obſ.* 20.
Item.	Lien maximus. *pars* I. *obſ.* 936.
Exercitio immodico, & ſævit cum tuſſi & ſputis purulentis.	Aqua in pericardio & mediaſtinum adipe obrutum. *pars* II. *obſ.* 626.
Faciei intumeſcentiæ, & cordis palpitatione ſtipatur.	Aqua in thoracis cavo, pericardium craſſum cordi accretum. *pars* II. *obſ.* 709.
Dyſpnœa ſuccedanea dolori & tumori in hypochondrio dextro, & morte ſubitanea deſinit.	Aqua in pericardio, & cor maximum ſanguine polypoſo infarctum. *pars* II. *obſ.* 615.
Dolori pectoris ſævienti poſt terrorem.	Pulmones cruſta obducti. *pars* II. *obſ.* 53, 54.
Longo uſui decocti lignorum ſudorificorum.	Pulmones exſucci & aridi. *pars* II. *obſ.* 287.
Cordis palpitationibus cum ventris torminibus.	Pancreas ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 1014.
Inſolationi, & ſibi alvi fluxum adjungit.	Pulmones purulenti. *pars* II. *obſ.* 162.
Fluxui purulento, diuturno per ſedes.	Lien & pancreas ſcirrhoſa & ingentia. *pars* I. *obſ.* 928.
Capitis dolori.	Lien ingens. *pars* I. *obſ.* 929.
Menſium ſuppreſſioni, anxietates ſecum advehit.	Cor cruſta obductum, aqua in thorace. *pars* I. *obſ.* 460.
Dolori pectoris diuturno.	Oſſificatio in pulmonibus, aqua in pericardio & in thoracis cavitate. *pars* II. *obſ.* 279.
Inappetentiæ.	Pulmones ſcirrhoſi. *pars* II. *obſ.* 227.
Ictero.	Cor ingens. *pars* II. *obſ.* 518.
Vomitui cruento.	Hepar putridum. *pars* I. *obſ.* 784.
Viget poſt exſiccatam fontanellam.	Abſceſſus in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1685, 1687.
Poſt caſum ab alto.	Pulmones inflammati. *pars* II. *obſ.* 121, 124.

Poſt

SPIRANDI DIFFICULTAS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Poſt longum urinæ fœtidæ & purulentæ mictum.	Aqua in pectore, pulmones infarcti, ſanguis concretus in corde, &c. *pars* I. *obſ.* 1084.
Poſt dyſſenteriam male curatam.	Hepar ingens & purulentum. *pars* I. *obſ.* 711.
Poſt ictum hypochondrio dextro inflictum, febre lenta ſubſequente.	Hepar purulentum; veſicula fellis continet octo libras fellis, & tumor lieni adhæret. *pars* I. *obſ.* 855.
Poſt inunctiones mercuriales.	Viſcera putrida. *pars* I. *obſ.* 1591.
Anguſtia pectoris cum vomitu poſt colicam diuturnam.	Lapides in veſica fellea. *pars* I. *obſ.* 865.
Sævit pluribus diebus a deglutita caſtanea quæ in œſophago immorata fuerat.	Caſtanea œſophagum recondit juxta tracheam arteriam pure conſpurcatam. *pars* II. *obſ.* 80.
Diſpnæa. Aſthmaticus febre acuta cum dolore ſiniſtri lateris, nauſeis urgentibus, &c. prehenſus, emetico propinato enecatur.	Pulmones pure exeſi. *pars* II. *obſ.* 388.

Extiſpicia.

Meſentericæ glandulæ ſteatomatoſæ. Pulmones ſcirrhoſi. *pars* II. *obſ.* 218. Mediaſtinum adipe obrutum. *pars* II. *obſ.* 753. Ren dexter ingens abſceſſum recondens, pulmones inculpati. *pars* I. *obſ.* 1107. Sanguis concretus in ventriculis cordis. *pars* II. *obſ.* 501. Tracheæ arteriæ infarctus pituitoſus. *pars* II. *obſ.* 69. Meſenterium ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 535. Glandula thyroidea ingens & hydatidibus fœta, trachea ſubtus carioſa & hydatidibus a glandula pendentibus obturata. Cyſtis fellea ingens. *pars* II. *obſ.* 79. Bile turgida ventriculus diſtentus, inteſtina & pulmo inflammata. *pars* I. *obſ.* 844. Diaphragma extra ſedem. *pars* II. *obſ.* 790. Materies ſordida & purulenta in bronchiis. *pars* II. *obſ.* 4, 4 (*a*), 4 (*b*), 4 (*c*), 4 (*d*), 4 (*e*), 4 (*f*), 5, 5 (*a*), 5 (*b*), 6. Pulmones plevræ accreti. *pars* II. Bronchia ſanguine turgida. *pars* II. *obſ.* 1, 2, 3. Cor diſtentum ſanguine concreto, valvula auricularis dextra oſſea. *pars* II. *obſ.* 579. Plevræ hydrops. *pars* II. *obſ.* 751. Hepar adhærens coſtis ſpuriis cum diaphragmate. *pars* I. *obſ.* 84. Pulmones cruſta obducti. *pars* II. *obſ.* 54.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Aſthma cum cordis palpitationibus & tandem ſyncope lethali.	Cor & aorta ſanguine polypoſo infarcta. *pars* II. *obſ.* 490.
Cum cordis palpitationibus quas excipit tabes.	Pulmonum ulcus, concretiones ſanguineæ in cordis thalamis, ventriculus & inteſtina inflammata. *pars* II.

Cum

SPIRANDI DIFFICULTAS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum cubandi in latus ſiniſtrum difficultate.	Pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 157.
Pulſu formicante, & morte ſubitanea terminatum.	Pericardium aqua repletum. *pars* II. *obſ.* 370.
Tumoribus ſcrophuloſis in pede dextro ſtipatur.	Pulmones pure conſpurcati, & materia gypſea infarcti. *pars* II. *obſ.* 392.
Aſthma cum pulſu exiliſſimo, quem acceſſit lypothymia lethalis.	Aqua in pectore, valvulæ cordis ſemilunares oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 577.
Cum dolore obtuſo capitis, & morte ſubitanea ſubſequente.	Vaſa cerebri turgida; corpus fibroſum in ventriculo ſiniſtro, & pulmones abſumpti. *pars* II. *obſ.* 367.
Cum dolore aſſiduo lateris ſiniſtri cui ſuccedit febris lenta.	Pulmones pure abſumpti. *pars* II. *obſ.* 38.
Cum tuſſi & ſputo purulento poſt ſe trahit febrem lentam & faciei œdema.	Aqua in abdomine & thorace, præcipue in pericardio. *pars* II. *obſ.* 633.
Cum tuſſi in febrem lentam abit.	Pulmones putridi, & lapillis ſcatentes. *pars* II. *obſ.* 233.
Præcedit icterum, & febrem lentam ſequitur.	Pulmonum tubercula, & hepar durum. *pars* II. *obſ.* 254.
Aſthma pertinax, cui ſuccedit icterus cum alvo adſtricta.	Puſtulæ & tubercula in bronchiis. *pars* II. *obſ.* 8.
Poſt exſiccatum fonticulum cum ſiti immani, agripnia, ſputis ſalſis, & tandem febre lenta.	Hydatides in pulmonibus. *pars* II. *obſ.* 843.
Præcedit epilepſiam.	Pulmo dexter calculoſus, & aqua in thorace.
Tabem.	Pulmonum lithiaſis. *pars* II. *obſ.* 267.
Aſcitem.	Pericardium cordi accretum, pancreas ſcirrhoſum, pulmones coſtis affixi. *pars* II. *obſ.* 697, 701.
Cum pondere in hypogaſtrio & difficultate mingendi.	Omentum adipe obrutum, hepar ingens, lien durus, veſica adipe compreſſa; mola oſſea. *pars* I. *obſ.* 227, 1444.
Aſthmaticus de quodam impedimento in trachea arteria queritur & ſuffocatione ſubitanea enecatur.	Polypus variis radicibus hæret tracheæ arteriæ. *pars* II. *obſ.* 63.

Cum

SPIRANDI DIFFICULTAS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum tuſſi, pedum œdematia ad pectus uſque progerminante.	Valvulæ cordis oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 575.
Syphiliticum moleſtat.	Pulmones infarcti materia nigerrima & perquam dura. *pars* II. *obſ.* 4.
Aſthma nephritide laborantem enecat.	Pulmonum & renum lithiaſis. *pars* II. *obſ.* 261.
Corripit juvenem qui diu in officinis gypſi manſerat.	Bronchia obſtructa gypſo concreto. *pars* I. *obſ.* 10.
Varios lapidarios invadit.	Item. *pars* II. *obſ.* 11.
Cum ventris intumeſcentia.	Ventriculus & inteſtina flatu turgida; calculus biliaris maximus in cyſtide fellea, & pulmones inculpati. *pars* II. *obſ.* 273.
Cum agripnia, ſiti, pulſu frequenti, & dolore in hypochondrio.	Aqua in pericardio, cor ſolito majus recondens concretiones lymphatico-ſanguineas. *pars* II. *obſ.* 631.
Cum ſputo purulento.	Pulmones folliculis pure turgidis ſcatent. *pars* II. *obſ.* 165.
Quod excipit tumor in regione epigaſtrica, &c.	Ventriculus flatulentus. *pars* I. *obſ.* 15.
Cum tuſſi, vomitu pertinaciſſimo, & tumore in hypochondrio dextro.	Hepar durum & contractum, e quo tumor cyſticus duodenum comprimens emergebat. *pars* I. *obſ.* 183.
Cum pondere in pectoris latere dextro.	Aqua in prædicto latere, & oſſificatio in pulmonibus pure conſpurcatis. *pars* II. *obſ.* 281.
Mulierem inter ſaltandum ſubito enecat.	Pulmones coſtis affixi. *pars* II. *obſ.* 32.
Abſque cauſa manifeſta, ſubito lethalis.	Item. *pars* II. *obſ.* 26.
Mors inter paroxyſmum.	Pulmonum abſceſſus circa tracheam. *pars* I. *obſ.* 626. *pars* II. *obſ.* 137.
Cum ictero, & abdominis intumeſcentia.	Aqua in abdomine, hepar durum & flavum, veſicula fellis bile turgens. *pars* I. *obſ.* 626.
A nativitate.	Defectus diaphragmatis & mediaſtini (figmentum redolet). *pars* II. *obſ.* 792.
Succedaneum ſuppreſſioni menſium.	Pulmones purulenti, inteſtina inflammata, & glandulæ ventriculi tumidæ. *pars* II. *obſ.* 153.

Diu-

SPIRANDI DIFFICULTAS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Diuturno & immoderato tabaci uſui.	Pulmones nigri, exſucci, & hic & illic ulcerati. *pars* II. *obſ.* 286.
Aſthma ſuccedaneum commotioni cerebri poſt caſum ab alto.	Pulmo infarctus. *pars* II. *obſ.* 48.
Peripneumoniæ.	Pulmones putridi, aqua in pericardio. *pars* II. *obſ.* 624.

Extiſpicia.

Plevra oſſium naturam referens. *pars* II. *obſ.* 748. Cor ſanguine turgens, valvula auricularis ſiniſtra craſſa, & quaſi cartilaginea. *pars* II. *obſ.* 583. Cruſta hærens diaphragmati. *pars* II. *obſ.* 788. Tumor ſteatomatoſus ſupra diaphragma. *pars* II. *obſ.* 784. Pulmonum tubercula. *pars* II. *obſ.* 251. Cor ſanguine concreto turgidum. *pars* II. *obſ.* 480, 481. Pulmones putridi & calculoſi. *pars* II. *obſ.* 255, 256, 262, 263, 264, 268, 271, 272. Pulmones exſucci & duri. *pars* II. *obſ.* 296. Fragiles inſtar vitri. *pars* II. *obſ.* 229. Quaſi lapideſcentes. *pars* II. *obſ.* 130. Plevræ annexi. *pars* II. *obſ.* 28, 33. Pulmonum tubercula. *pars* I. *obſ.* 248. Vena pulmonaris lapideſcens. *pars* I. *obſ.* 265. Laryngis ulcus. *pars* II. *obſ.* 67. Aqua acris in thorace viſcera erodens. *pars* II. *obſ.* 777. Glandulæ bronchiales obſtructæ, pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 305. Humore pituitoſo infarcti. *pars* II. *obſ.* 45, 52. Pulmonum empyema. *pars* II. *obſ.* 169. Hepar ingens, diaphragma ſurſum pellit. *pars* I. *obſ.* 724. Oſſificatio in pulmonibus. *pars* II. *obſ.* 234. Inteſtinum colon flatu turgidum diaphragma ſurſum pellit. *pars* I. *obſ.* 777.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Ortopnœa ſubito lethalis.	Bronchia ſanguine obruta. *pars* I. *obſ.* 586.
Cum diarrhæa cui ſuccedit tumor abdominis.	Aqua in abdomine, hepar contractum, pulmones ſolito majores. *pars* I. *obſ.* 622.
Cancer a labiis ad pulmones ſe propagat.	Materies purulenta in bronchiis. *pars* II. *obſ.* 4.
Aſciticum invadit.	Hydrops cyſticus in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1697.
Febrem catarrhalem ſequitur.	Pulmones infarcti & cruſta ſebacea obducti. *pars* II. *obſ.* 59.
A ſubmerſione.	Aqua in bronchiis & ductu alimentario. *pars* II. *obſ.* 1.
A vapore muſti.	Cor & auriculæ dilatatæ, pulmones phlogoſi tacti. *pars* II. *obſ.* 431.
Ortopnœa ſuccedanea aſciti peracta paracenteſi.	Aqua in abdomine, hepar durum & exiguum, calculus in cyſtide fellea. *pars* I. *obſ.* 574.

	Symptomata.	*Extiſpicia.*
SPIRANDI DIFFICULTAS.	Sævit poſt paſtum, & poſtea mulierem derepente tollit de medio.	Hepar & ſplen ingentia. *pars* I. *obſ.* 585.
	Nimiæ corporis intumeſcentiæ.	Colluvies purulenta in abdomine, &c. *pars* I. *obſ.* 1770.
	Suppreſſioni fluxus hemorrhoidalis, & dolori hypochondrii ſiniſtri.	Lien ingens, vaſa meſenterii ſanguine infarcta, hydatides in rene dextro. *pars* I. *obſ.* 1079.
	A deglutitis claviculis, ſævit cum tuſſi ſæviſſima.	Claviculi deglutiti, bronchiis pure infarctis hærent. *pars* II. *obſ.* 9.
	Sequitur ſpirandi difficultatem cum febre continua.	Oſſificatio in pulmonibus, renum lithiaſis, & ſanguis in bronchiis. *pars* II. *obſ.* 280.
	Anno elapſo a febre peſtilentiali, viget & ſibi accerſit febrem lentam cum ſpirandi difficultate.	Pulmonum tubercula. *pars* II. *obſ.* 237.
	Sanguinis ſputum, cui ſuccedit febris lenta, & dein phthiſis, animi perturbationes prehendit.	Vaſa cordis & pulmonis ſanguine concreto infarcta, & pulmones cruſta obducti. *pars* II. *obſ.* 56.
	Poſt niſum maximum oritur cum lumborum dolore, pruritu pectoris, & reſpiratione anxioſa.	Pulmonum tubercula. *pars* II. *obſ.* 238.

Extiſpicia.

Pulmones plevræ adnati. *pars* II. *obſ.* 27, 29. Pulmones ſcirrhoſi & purulenti. *pars* II. *obſ.* 221. Tumor ſteatomatoſus; jugulum, pulmones & hepar inflammata. *pars* II. *obſ.* 322. Aqua in ventriculis cerebri, in plexu choroide, hydatides, cor adipe obrutum. *pars* II. *obſ.* 466. Cor ſanguine diſtentum, valvulæ ſemilunares oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 578. Pulmones infarcti humore viſcido. *pars* II. *obſ.* 49, 50. Trachea arteria fruſtulo linguæ bubulæ obturata. *pars* II. *obſ.* 66. Lapidibus juxta ejus tractum incumbentibus. *pars* II. *obſ.* 77. Faba deglutita in larynge hærente. *pars* II. *obſ.* 76. Lumbricis convolutis. *pars* II. *obſ.* 78. Claviculis pure conſpurcatis oſſe triangulari. *pars* II. *obſ.* 71.

HÆMOPHTHISIS.

	Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
HÆMOPHTHISIS.	*Hæmophthiſis* cum tuſſi vehementi, hypochondrii dextri dolore, febre & ſpirandi difficultate.	Pulmones infarcti. *pars* II. *obſ.* 38.

Diu-

HÆMOPHTHISIS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Diuturna epilepſiam lethalem accerſit.	Pulmones ſani, vaſa encephali ſanguine infarcta. *pars* III. *obſ.* 482.
Cum dyſenteria.	Inteſtina eroſa & exulcerata. *pars* I. *obſ.* 393.
Sanguinis & puris ſputum.	Pulmones purulenti. *pars* II. *obſ.* 340.
Febrem lentam ſibi adjungit.	Bronchia ſanguine obruta. *pars* II. *obſ.* 2.
Sanguis e faucibus fluit quoties ægra doloribus, & duritie lateris affecta ſupina jacet, & demum vomitus ingens exoritur.	Nodi in inteſtino ileo, hepar maculatum ſolito majus. *pars* I. *obſ.* 621.
Præcurſor phthiſeos ab eroſione gingivarum.	Pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 665.
Cum alvo pertinaciter adſtricta.	Hepar tuberculoſum.
Nullam præcedit aut concomitatur phthiſim.	Ulcus pulmonum. *pars* II. *obſ.* 208.
Succedanea cum ſyncope, cordis palpitationibus.	Cor dilatatum & ſanguine turgens. *pars* I. *obſ.* 442.
Dolore pectoris juvenem crapulæ deditum moleſtante, cui nullus in carpo perſentiri poterat pulſus.	Cor ſanguine turgens. *pars* II. *obſ.* 4051.
Doloribus circa ventriculi regionem ſævientibus.	Hepar albicans & ſemiputre, appendix xiphoides infra protenſa. *pars* I. *obſ.* 785.
Succedit cordis palpitationi & lypothymiæ, eaſque ſedat; ſed denuo recrudeſcens lypothymiam ſibi accerſit lethalem.	Cor ſanguine concreto diſtentum. *pars* I. *obſ.* 326.
Cum febre circa veſperam recrudeſcente.	Pulmones purulentia defœdati. *pars* II. *obſ.* 161.
Poſt tuſſim nocturnam juvenem vino deditum aggreditur.	*Pars* II. *obſ.* 602.
Poſt ſe trahit phthiſim.	Pulmonum tubercula. *pars* II. *obſ.* 238.
Febrem lentam.	Item. *pars* II. *obſ.* 239.
Tuſſim cum febre violenta.	Auriculæ cordis dilatatæ. *pars* II. *obſ.* 602.
Menſibus ſufflaminatis in tabem abit.	Pulmones pure exeſi, aqua in thorace & pericardio. *pars* II. *obſ.* 393.

HÆMOPHTHISIS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Scandeſcit cum tuſſi & febre lenta, & in aſcitem degenerat.	Pulmonum tubercula. *pars* II. *obſ.* 245.
Cum pectoris oppreſſione, aſcitem ſibi acceſſit.	Meſenterium ſcirrhoſum, pancreas perquam tumidum, tumor; ulcus diaphragmati adnatum; pericardium ſero turgens, aqua in abdomine, &c. *pars* I. *obſ.* 1044.
	Pulmones inflammati & ſanguine turgentes a diſruptis vaſis ſanguineis. *pars* II. *obſ.* 321.

P H T H I S I S.

PHTHISIS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Phthiſis cum aſcite.	Hydrops veſicularis in abdomine, & pulmo purulentus. *pars* I. *obſ.* 1715. *pars* II. *obſ.* 1136.
Cum diabete.	Ureter dexter diſtortus. *pars* I. *obſ.* 1136.
Cum tuſſi, ſpirandi difficultate, ſputo cruento, febre hectica, & alvi fluxu.	Hepar ingens, pulmones pure abſumpti. *pars* II. *obſ.* 362.
Cum hydrope & fluore alvi teterrimo.	Pulmones pure exeſi, ovaria ingentia, uterus putridus. *pars* II. *obſ.* 363.
Raucedine diuturna ſtipatur.	Ulcus laryngis. *pars* II. *obſ.* 68.
Phthiſicus conqueritur de dolore ſummo circa ſynciput.	Abſceſſus cerebri & pulmones pure conſpurcati. *pars* III. *obſ.* 105.
Phthiſica deglutiendi difficultate laborans ſubito ſuffocatur.	Pulmones putridi, & œſophagus compreſſus glandula thyroidea ſcirrhoſa. *pars* IV. *obſ.* 93.
Cum ſudore copioſiſſimo & fœtido, alvo ad mortem uſque remanente ſicca, appetitu languente, tumoribus exortis circa regionem epigaſtricam & vomitu exoriente copioſiſſimo.	Pulmo & inteſtina putrida, ventriculus contractus & quaſi cartilagineus, ſanguis in vaſis diſſolutus. *pars* I. *obſ.* 26.
Morte ſubitanea tollitur.	Laryngi hæret polypus. *pars* II. *obſ.* 64.
Item.	Fruſtulum pulmonis. *pars* II. *obſ.* 78.
Cum colica hepatica.	Pulmones pure infarcti, & cyſtis fellea calculis turgens. *pars* I. *obſ.* 867.

Curata

PHTHISIS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Curata videtur, & alio morbo poſtea enecatur æger.	Pulmones cicatrices offerunt. *pars* II. *obſ.* 344.
Cum ſputo purulento.	Pulmones exſucci & aridi. *pars* II. *obſ.* 229.
Phthiſicus per alvum & urinas materiam purulentam excernit.	Pulmonum ulcus. *pars* II. *obſ.* 208.
Cum hydrope & fluxu uteri.	Pulmones purulenti, omentum putridum, & partes genitales gangrænoſæ. *pars* II. *obſ.* 363.
Sibi leucophlegmatiam adjungit.	Pulmo dexter purulentus, ſiniſter ſanus. *pars* II. *obſ.* 165.
Hæreditaria.	Pulmonum putredo. *pars* II. *obſ.* 353.
Abſque tuſſi, & nulla ſpuitione.	Pulmones pure exeſi. *pars* II. *obſ.* 379, 391.
Capite & femoribus continuo dolentibus.	Lympha & gelatina in cerebro. *pars* III. *obſ.* 474.
Abſque ullo dolore pectoris.	Pulmonum ulcus. *pars* II. *obſ.* 210.
Morte ſubitanea tollitur phthiſica.	Item. *pars* II. *obſ.* 390.
Phthiſicus nequit caput reclinare aut ſupinum jacere.	Pulmones paſſim ſcirrhoſi, & paſſim putridi, & aqua in ventriculis cerebri. *pars* I. *obſ.* 1446.
Phthiſis falſo incuſatur.	Pulmones ſani, ovaria ſcirrhoſa. *pars* I. *obſ.* 1496.
Item.	Pancreas & glandulæ meſenterii ſcirrhoſæ. *pars* II. *obſ.* 404.
Nulla ſanguinis prægreſſa ſpuitione.	Ulcus pulmonum. *pars* II. *obſ.* 208.
Aquæ non innatantia ſputa non ſunt ſigna certa phthiſeos.	Pulmones integri. *pars* II. *obſ.* 404.
Hemicrania phthiſicus laborat, & derepente moritur.	Pulmones ſani, ſanguine turgere videntur. *pars* III. *obſ.* 421.
Phthiſicum convulſiones prehendunt quoties ſupinus decumbere tentat.	Cerebri ventriculi ſero flavo & ſubſalſo ſcatent. *pars* III. *obſ.* 394.
Succedanea hæmophthiſi.	Pulmones purulenti. *pars* II. *obſ.* 9.
Item.	Pulmonum tubercula, *pars* I. *obſ.* 238.

Cor-

PHTHISIS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cordis palpitationi.	Hepar ingens, portentoſum; aqua in thorace & abdomine. *pars* II. *obſ.* 422.
Tuſſi chronicæ.	Pulmones purulenti, ſtomachus a ſede pulſus, hepate ingente. *pars* II. *obſ.* 362.
Cum dolore profundo lateris dextri, ſuccedit peripneumoniæ.	Pus ex hepate in thoracem defluit. *pars* II. *obſ.* 780.
Aphonia ſequitur, & tumorem circa pharyngem deglutitionem ſolidorum impedientem ſibi adjungit.	Pulmones hærentes plevræ, aqua in pericardio, omentum conſumptum, nullum tumoris veſtigium in cervice. *pars* II. *obſ.* 144.
Cachexiam cum tuſſi & dyſpnæa, morbo acuto pectoris ſuccedaneo prehendit.	Pulmones pure abſumpti. *pars* II. *obſ.* 371.

Extiſpicia.

Pulmones purulenti. *Pars* II. *obſ.* 135, 155, 158, 159, 173, 308, 377, 381, 389, 400, 402, 403. Pulmonum tubercula. *pars* II. *obſ.* 184, 193, 194, 242, 246, 249, 250, 252, &c. Bronchia obruta materia tenaci & viſcida. *pars* II. *obſ.* 6. Pulmonum tubercula, & ſanguis concretus in vaſis. *pars* II. *obſ.* 244. Mediaſtinum abſumptum, pulmones tuberculoſi. *pars* II. *obſ.* 759. Pulmonum purulentia & lithiaſis. *pars* I. *obſ.* 275. Præter ſtrages ſolitas, thimus putris. *pars* II. *obſ.* 767. Flatibus & pure conſpurcati pulmones. *pars* II. *obſ.* 149. Aqua in thorace, cor ingens, lien & pancreas ſcirrhoſa. *pars* II. *obſ.* 446. Cor marcidum. *pars* II. *obſ.* 450. Pulmones calculoſi. *pars* II. *obſ.* 276. Purulenta colluvies in thorace & abdomine. *pars* II. *obſ.* 396. Pulmones putridi, pericardium aqua diſtentum. *pars* II. *obſ.* 341. Valvulæ auriculares ventriculi cordis ſiniſtri invicem adglutinatæ, aditum ſanguinis ad cor denegantes, hinc ſanguis in auricula ſtagnans. *pars* I. *obſ.* 606. Mediaſtinum putridum, pulmones & hepar tuberculoſi, aqua in pericardio, & inteſtina inflammata. *pars* II. *obſ.* 760. Pulmonum purulentia & ſanguis concretus in vaſis. *pars* II. *obſ.* 479. Pericardium cordi accretum. *pars* II. *obſ.* 716. Pulmones & cor putrida. *pars* II. *obſ.* 528. Concretiones adipoſæ in variis corporis partibus, & cor adipe obrutum. *pars* II. *obſ.* 466.

E M P Y E M A.

EMPYEMA.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Empyema Pectoris nullo dolore prægreſſo.	Pulmones abſceſſum recondentes. *pars* II. 365.
Falſo incuſatur.	Ulcus in hepate ſub diaphragmate, & coſtis ſpuriis lateris dextri. *pars* II. *obſ.* 261.

Poſt

Symptomata.	*Extiſpicia.*	
Poſt lapſum a ſcala, ſævit tuſſis perpetua, ſputa fiunt purulenta, exoritur febris hectica.	Pulmones pure exeſi. Plevra pertumida, & purulentia affecta. *pars* II. *obſ.* 364.	EMPYEMA.
Succedit pleuritidi, & febrem lentam cum ſpirandi difficultate & ſputo purulento ſibi adjungit.	Pulmo ſiniſter undique plevræ annexus & intus putridus. Dexter recondit plures vomicas. *pars* II. *obſ.* 156.	
Pleuritidem excipit cum tuſſicula & fluctuatione in thorace.	Pulmo inflammatus & ſcirrhoſus. *pars* I. *obſ.* 224.	
Empyematicus urinas purulentas excernit, & interdum ſublevatur, recrudeſcente tamen morbo e vivis diſcedit.	Pulmones purulentia conſpurcati, renibus & veſica inculpatis. *pars* II. *obſ.* 940.	

CORDIS PALPITATIO.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*	
Cordis palpitatio. Cum anguſtia præcordiorum, ſpiritu difficili, animi deliquiis frequentibus, pulſu intermittente, & tandem hydrope.	Hepar volumine nativo ſolito majus, pancreas induratum, cor pericardio deſtitutum. *pars* II. *obſ.* 724.	CORDIS PALPITATIO.
Cum dolore in latere ſiniſtro & poſtico pectoris, febre, anxietatibus, &c.	Pulmones putridi, & anevriſma aortæ. *pars* II. *obſ.* 793.	
Cum dyſpnæa, interdum ſedatur rejectione ſanguinis per os, ſed denuo recrudeſcens, lypothymias lethales ſibi adjungit.	Cor ſanguine concreto infarctum, volumine ingenti præditum. *pars* II. *obſ.* 326.	
Quolibet motu fovetur, & ſudores frigidi ubertim profluunt.	Cor maximum, valvulæ ejus oſſeæ. *pars* I. *obſ.* 581.	
Palpitationibus quidam obnoxius derepente moritur.	Cor ingens, infarctum ſanguine. *pars* II. *obſ.* 435.	
Cum lypothymiis frequentibus & atrophia ſubſequenti.	Tumor in pericardio materiam purulentam recondens. *pars* II. *obſ.* 718.	
Doloribus pectoris & abdominis ſtipatur, lypothymias ſibi accerſit, & morte ſubitanea ceſſat.	Tumore anevriſmatico dilatata arteria aorta. *pars* II. *obſ.* 718.	
Interdum recurrit cum ſpirandi ſumma difficultate.	Cor ſanguine polypoſo infarctum, aorta oſſea. *pars* II. *obſ.* 434.	

	Symptomata.	*Extiſpicia.*
CORDIS PALPITATIO.	Cum ſpirandi difficultate, tuſſi, & ſputo cruento.	Cor ſanguine concreto turgidum. *pars* II. *obſ.* 544.
	Dolores capitis & abdominis concomitatur in gravida muliere, & dein poſt paſtum ſibi adſcribit dolorem lateris ſiniſtri cum ventris intumeſcentia, lypothymia, & ſpirandi difficultate.	Quantitas maxima humoris ſubflavi inter laminas peritonei, *pars* I. *obſ.* 1728.
	Cum difficili ſpiritu.	Meſenterium ſcirrhoſum, & aqua in pericardio. *pars* I. *obſ.* 521.
	Cum doloribus in ſiniſtra thoracis parte, & ſpirandi difficultate, &c.	Anevriſma pectoris. *pars* I. *obſ.* 800.
	Juvenem ſubito extinguit.	Pericardio cor accretum, valvulæ lapideæ. *pars* II. *obſ.* 575.
	Cum ſpiritu difficili, nauſeis ſæpe accedentibus.	Lapides in thalamis cordis. *pars* II.
	Cum ſenſu eroſionis in thorace & dyſphagia.	Hepar durum, & aqua in ventriculo. *pars* II. *obſ.* 946.
	Cum ſyncope frequenter recurrente.	Sanguis concretus in corde, pro verme habetur. *pars* II. *obſ.* 574.
	Melancholicum hemorrhagiæ narium obnoxium & difficultate ſpirandi laborantem cruciat.	Lien & hepar ingentia. Siniſter pulmonum lobus inſtar hepatis, denſus, & tabe ſquallens. *pars* I. *obſ.* 915.
	Cum ſenſu aquæ in thorace, abſque ſiti, pulſu molli, reſpiratione frequente, oculis concavis.	Aqua in thoracis cavo & pericardio. *pars* II. *obſ.* 641.
	Ægrum palpitationibus cordis infeſtatum, mors ſubitanea tollit.	Cor ſanguine concreto diſtentum, valvulæ oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 539.
	Interdum recurrit, ſed tandem continua evadit.	Cor ſanguine repletum. *pars* II. *obſ.* 410.
	Spiritum difficile trahit, palpitatione cordis laborans.	Pericardium aqua turget. *pars* II. *obſ.* 654.
	Cum dolore pectoris & dyſphagia ſeſe adjungit vomitum continuum.	Tumor ſteatomatoſus œſophagum comprimit. *pars* II. *obſ.* 838.
	Extra ſedem coſtam protrudit, & aſphyxiam creat.	Venæ pulmonis cartilagineam redolentes ſubſtantiam. *pars* II. *obſ.* 556.
	Cum tuſſi concomitatur dolorem continuum capitis ad ſcapulam uſque protenſum.	Pericardium purulentum, hepar ſcirrhoſum, lien obſtructus, & pectus ſero lymphatico turgens. *pars* II. *obſ.* 675.

Subi-

CORDIS PALPITATIO.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Subito lethalis de medio tollit lethargicum.	Aqua & ſanguis in ventriculis cerebri, cor & vena cava vi dilatata. *pars* III. *obſ.* 267.
Cum ſpiritu difficili & abdominis extremitatumque œdematia.	Aqua in pericardio, cor dilatatum. *pars* II. *obſ.* 945.
Coſtas carie exeſas frangit.	Auriculæ ſanguine turgidæ, admodum dilatantur. *pars* I. *obſ.* 661.
Narium oboriente hemorrhagia miteſcunt cordis palpitationes; ſed denuo recrudeſcentes, mortem accerſunt.	Pulmo putriditate affectus. *pars* II. *obſ.* 661.
Cum tuſſi, & aſthmate in tabem degenerante.	Pulmonum ulcus, concretiones in cordis thalamis, lien durus, & inteſtina inflammata. *pars* II. *obſ.* 200.
Adſtantium auditu diſtinguitur.	Cor dilatatum & lapideſcens. *pars* II. *obſ.* 566.
Cum ſpirandi difficultate, artuum œdematia, tuſſi & ſputo purulento.	Cor tumidum & ſanguine atro infarctum. *pars* II. *obſ.* 412.
Cum animi commotionibus vehementioribus quas excipit mors ſubitanea.	Cor ingens ſanguine obrutum, & valvulæ quaſi lapideæ. *pars* II. *obſ.* 582.
Cordis palpitatio cum hydrope.	Pancreas & meſenterium ſcirrhoſa, latex in pectus, valvulæ cordis oſſeæ, & cor turgens ſanguine. *pars* I. *obſ.* 587.
Aſthmaticus cordis palpitationibus laborans, de ſummo pondere in hypochondrio dextro queritur, dein colica & lypothymiis cruciatur.	Pulmones cum nonnullis hærentiis putriditate affecti; inteſtinum colon flatulentia diſtentum diaphragma ſurſum pellens, hepar putridum, & abſceſſus circa jecur. *pars* II. *obſ.* 777.
Lypothymias ſibi frequenter adjungit.	Cor purulentia affectum. *pars* II. *obſ.* 513.
Item.	Pericardium ſero turgidum, & cor ſanguine diſtentum. *pars* II. *obſ.* 620.
Cum ſpirandi difficultate concomitatur febrem acutam pertinaci gonorrheæ ſuccedaneam.	Abſceſſus in regione hypogaſtrica & in apice cordis. *pars* II. *obſ.* 510.
Invadit leucophlegmatia laborantem, affectum ſoporoſum acceſſit.	Aqua inter laminas omenti ſtagnat; ventriculus cerebri & pericardium aqua turgent; pulmones undique plevræ adnectuntur. *pars* III. *obſ.* 371.

Cordis palpitatio.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Periodica ſonum edit ingentem, & ſumma ſpirandi difficultate ſtipatur.	Pulmones putriditate affecti, & cor ingens. *pars* II. *obſ.* 4.
Cum corporis totius intumeſcentia ſeſe adjungit ſpirandi difficultati.	Cor portentoſum, valvulæ oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 575.
Cum anhelitu, anxietate, tuſſi, &c.	Cor illæſum, pulmones vix inflammati, lumbrici tres in inteſtino ileo. *pars* II. *obſ.* 611.
Cum ſpirandi difficultate, animi deliquiis & agripnia, & tandem morte ſubitanea.	Anevriſma pectoris. *pars* II. *obſ.* 801.
Cordis palpitatione laborantem invadunt lypothymiæ ſubito lethales.	Maſſam adipoſam uterque cordis ventriculus fovet. *pars* II. *obſ.* 503.
Item.	Cor tumidum unico thalamo conflari videtur. *pars* II. *obſ.* 414.
Cum ſpirandi difficultate, animi crebris deliquiis, agripnia, & tandem morte ſubitanea.	Anevriſma pectoris. *pars* II. *obſ.* 801.
Scabie defœdatum cruciat & hydropem ſibi adjungit.	Omnia viſcera ſana, excepto corde ulceroſo. *pars* II. *obſ.* 533.
Hypochondriacum laceſſunt, & in hydropem degenerant.	Cor tumidum & ſanguine infarctum, *pars* II. *obſ.* 413.
Cordis palpitatio, & tandem ſyncopes lethifer aſthmaticum moleſtant.	Arteria aorta ſanguine concreto turget. *pars* II. *obſ.* 502.
Palpitationes cordis, & dein ſyncopes chloroticam invadunt.	Cor diſtentum, & valvulæ oſſeæ, hepar induratum. *pars* II. *obſ.* 597.
Cum pertinaci ſpirandi difficultate.	Aorta oſſea. *pars* II. *obſ.* 772.
Cum pulſu inordinato & perquam debili.	Valvulæ cordis oſſeæ, & cor dilatatum. *pars* II. *obſ.* 575.
Cum anxietate & ſpirandi difficultate.	Aqua in pectore, valvulæ quaſi oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 591.
Nullæ.	Cor lapideſcens; pericardium aqua turget. *pars* II. *obſ.* 558, 651.
Seſe adjungit tumori ventris.	Hydrops cyſticus. *pars* I. *obſ.* 1695.
Chloroticam invadit & lypothymiam lethalem ſibi adjungit.	Cor ingens & ſanguine obrutum, valvulæ oſſeæ, *pars* II, *obſ.* 588,

Subito

CORDIS PALPITATIO.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Subito ingraveſcit, & plura graviſſima ſymptomata accerſit.	Cor ſanguine infarctum, ad maximam molem protenditur. *pars* II. *obſ.* 405.
Cum torminibus ventris, ad quem accedit dyſpnæa, & brachii ſyderatio.	Pancreas ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 104.
Cordis palpitationi obnoxia erratica febre prehenditur. Urget denuo cordis palpitatio & convulſiones ſibi accerſit.	Cordis ſubſtantia tactui flaccida, ſanguine diſtentum meſenterium. *pars* II. *obſ.* 407.
Cum præcordiorum anguſtia & ſpirandi difficultate, leucophlegmatiam ſibi adjungit.	Aqua in abdomine, cor difforme, valvulæ ejus oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 57.
Poſt ſe trahit phthiſim.	Hepar ingens; cor portentoſum; pectus & abdomen ſero turgent. *pars* II. *obſ.* 422.
Hemophthiſim & dein ſyncopem.	Cor ſanguine diſtentum. *pars* II. *obſ.* 442.
Succedanea. Palpitationes cordis cum crurum & pedum œdemate oriuntur poſt animi pathemata.	Cor dilatatum & ſanguine infarctum. *pars* II. *obſ.* 423.
Poſt citiſſimas equitationes ſævit.	Cor pericardio accretum. *pars* II. *obſ.* 708.
Anginæ ſuccedit.	Cor tumidum. *pars* II. *obſ.* 408.
Poſt ſummum exercitium ſeſe adjungit ſpirandi difficultati.	Cor ſanguiue coacervato diſtentum. *pars* II. *obſ.* 430.
Animi pathemata prehendit cordis palpitatio, & ſibi adjungit ſpirandi difficultatem cum artuum œdemate.	Cor ſanguine polypoſo diſtentum. *pars* II. *obſ.* 423.
Spirandi difficultatem ſequitur nulla accedente cubandi difficultate.	Aqua in pericardio ſtagnans. *pars* II. *obſ.* 634.
Auditu & viſu ſenſibilis difficultate ſumma ſpirandi ſtipata poſt contuſionem pectoris.	Cor volumine majori quam par erat præditum. *pars* II. *obſ.* 405.
Viget cum dyſpnæa & ſummo dolore ſtomachi, pulſu duro ſuperſtite poſt pectoris inflammationem.	Aqua pericardii laminas a ſe invicem diducit. *pars* II. *obſ.* 636.
Succedit vomitioni cum pulſatione in fundo ventriculi.	Pancreas ſcirrhoſum tredecim libras ponderans. *pars* I. *obſ.* 1013.
Cordis palpitationes ſuccedunt lypothymiis.	Cor dilatatum & lapideſcens. *pars* II. *obſ.* 566.

CORDIS PALPITATIO.

Symptomata.

Cum pulſu validiore poſt vehementiora animi pathemata; interea tumet regio hypochondriaca; ingruunt convulſiones, & urget ſumma ſpirandi difficultas & extremorum frigus intenſiſſimum.

Extiſpicia.

Cor ingens & mire diſtentum. *pars* II. *obſ.* 405.

Extiſpicia.

Aorta tuberculoſa & aqua turgida. *pars* II. *obſ.* 772. Pericardium flatu diſtentum. *pars* II. *obſ.* 691, 692. Cordi ſarcoma adnatum. *pars* II. *obſ.* 554. Cordis ſinus dexter ſquammoſus, & adipe infarctus. *pars* II. *obſ.* 522. Abſceſſus in vena arterioſa. *pars* II. *obſ.* 514. Maſſa adipoſa cordis thalamos ad volumen maximum diſtendit. *pars* II. *obſ.* 504. Cor pure conſpurcatum. *pars* II. *obſ.* 516. Sanguine concreto bronchia infarcta. *pars* II. *obſ.* 476. Hydatides juxta cor. *pars* II. *obſ.* 555. Pulmones & arteria pulmonalis dilatata, coſtæ mendoſæ in latere ſiniſtro fœtæ. *pars* II. *obſ.* 432. Pericardium aqua turget. *pars* II. *obſ.* 658. Arteriæ coronariæ oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 563. Aorta oſſea circa cor. *pars* II. *obſ.* 563. Cor lapideſcens. *pars* II. *obſ.* 560. Sanguis concretus in cordis ventriculis pro verme habetur. *pars* II. *obſ.* 572. Sanguine infarcti cordis thalami, auriculæ cordis ſanguine infarctæ. *pars* II. *obſ.* 604. Abſceſſum recondit pericardium. *pars* II. *obſ.* 688.

ANNOTANDA IN PULSU.

ANNOTANDA IN PULSU.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Pulſus intermittens in febre ardente, cardialgia ſtipata.	Cor lapideſcens & hepar ſcirrhoſum. *pars* II. *obſ.* 565.
Sanguinem per os excernit juvenis longioribus pulſationibus deditus, & de ſummo pectoris dolore, anguſtia & pondere laborat, & nullus in carpo perſentiri poteſt pulſus.	Cor ſanguine infarctum, perquam tumidum apparet. *pars* II. *obſ.* 565.
Pulſus inordinatus & nonnunquam debiliſſimus inter cordis palpitationem.	Cor dilatatum; valvulæ ſygmoideæ ventriculi ſiniſtri oſſeæ.
Pulſus inſenſibilis in aſthmatico lypothymiis obnoxio qui tandem morte ſubitanea tollitur.	Aqua in pectore, cor deforme, & valvulæ ejus oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 577.
Pulſus rarus, durus & vehemens in ſpirandi difficultate cum cordis anxietatibus, & pectoris ſummo dolore.	Cor ſanguine infarctum ad volumen maximum expanditur. *pars* II. *obſ.* 418.

Pulſus

ANNOTANDA IN PULSU.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Pulſus debilis & inæqualis, &c. cum orthopnæa, ventris doloribus acerbis & animi deliquiis crebrioribus.	Anevriſma arteriæ aortæ ſitum inter arterias iliacas & emulgentes, meſenterium inflammatum. *pars* I. *obſ.* 1624.
Pulſus frequens in aſthmate cum agripnia, tuſſi, & dolore in hypochondriis tumidis.	Aqua in pericardio, cor ſolito majus recondens concretiones ſanguineo-lymphaticas. *pars* II. *obſ.* 631.
Valde rarus & intermittens micat in febre maligna cui ſucceſſerunt virium frequentes exolutiones cum levi ſpirandi difficultate, abſque ullo pectoris dolore.	Pericardium aquæ quantitatem maximam recondit. *pars* II. *obſ.* 612.
Parvus & convulſivus in affectione hypochondriaca cum dolore in abdomine tumido, difficultate ſpirandi, convulſionibus, & tandem morte ſubitanea.	*Pars* II. *obſ.* 795.
Pulſus obliteratur in carpo mulieris jam dudum aſthmate laborantis.	Cor cum aorta ſanguine polypoſo ſcatet. *pars* II. *obſ.* 427.
Inæqualis in palpitationibus cordis.	Cor tumidum. *pars* II. *obſ.* 405.
Explorari nequit in aſthmatico.	Aqua in pectore, valvulæ cordis ſemilunares oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 577.
Convulſivus evadit in inflammatione pulmonum.	Pulmonum purulentia. *pars* II. *obſ.* 336.
Durus & frequens in febre acuta cum dolore & labore pectoris, animi deliquiis, & tandem morte triduo adventante.	Pericardium inflammatione tactum. *pars* I. *obſ.* 669, 670.
Formicans in aſthmatico.	Pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 157.
Abeſt integro die ante mortem.	Cor obſtructum duobus corporibus adipoſis turundæ inſtar. *pars* II. *obſ.* 499.
Durus & inæqualis cum appetitu languido, micat in tuſſi ſicca cum pectoris anguſtia quam ſequitur abdominis intumeſcentia, & tandem macies.	Aqua in pericardio & abdomine, cor ſanguine diſtentum, & omentum putridum. *pars* II. *obſ.* 613.
Intermittens cum cordis doloribus in lypothymiis.	Concretiones ſanguineæ in cordis thalamis. *pars* I. *obſ.* 491.
Inflammatio pectoris cum dolore lateris ſiniſtri, tuſſi, ſpirandi difficultate, & *pulſu convulſo*.	Concretiones ſanguineæ in cordis thalamis. *pars* I. *obſ.* 492.
Pulſus durus cum cordis palpitationibus, ſpirandi difficultate, & dolore circa ſtomachum poſt pectoris inflammationem.	Aqua in pericardio ſtagnat. *pars* II. *obſ.* 636.

ANNOTANDA IN PULSU.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Debilis in rheumate quem ſequitur lumborum dolor.	Aqua in thorace, capite & pericardio. *pars* II. *obſ.* 637.
Formicans in aſthmate.	Aqua in pericardio, & pulmones pure exeſi. *pars* II. *obſ.* 370.
Mollis cum ſenſu aquæ in thorace, reſpiratione difficili, & oculis concavis.	Aqua in pulmonibus & pericardio. *pars* II. *obſ.* 642.
Pulſus debilis cum anguſtia pectoris.	Aqua in pericardio, & cor ſolito majus. *pars* II. *obſ.* 638.
Pulſum exilem habet melancholicus ſomnolentia detentus.	*Pars* II. *obſ.* 640.
Nec intermittens, nec inæqualis in ictero, cum ſpirandi difficultate.	Vaſa cerebri ſanguine infarcta, & ejus ventriculi laterales ſero turgidi. *pars* III. *obſ.* 375.
Pulſatio circa cartilaginem enſiformem cum pulſu inæquali, cruribus œdematoſis, & tandem lypothymiis lethalibus.	Auriculæ cordis, & vena cava inferior portentoſæ, pulmones corrugati. *pars* II. *obſ.* 407.
Cum dolore circa dorſum, quam prehendit ſanguinis fluxus uberrimus cum morte ſubitanea.	Anevriſma aortæ. *pars* II. *obſ.* 799.
Thoracis cum difficili reſpiratione & artuum œdemate.	Cor & aorta ſanguine concreto tument. *pars* II. *obſ.* 416.
Ad fundum ventriculi cum vomitionibus.	Pancreas ſcirrhoſum & ingens. *pars* I. *obſ.* 236.
In latere dextro pectoris cum inflammatione ejuſdem falſo anevriſmati adſcribitur.	Cor ſitum in latere dextro, & abſceſſus in latere ſiniſtro pectoris. *pars* II. *obſ.* 610.
In abdomine cum animi deliquiis poſt contuſionem.	Anevriſma abdominis. *pars* I. *obſ.* 624.
Supra umbilicum.	Anevriſma aortæ. *pars* I. *obſ.* 631.

MORS SUBITANEA.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Mors ſubitanea. Poſt cœnam quemdam febre quartana laborantem de medio tollit.	Lien fiſſus & diſruptus. *pars* I. *obſ.* 977.
Poſt percuſſionem.	Lien diſruptus. *pars* I. *obſ.* 982.
Preſſo pede ſequitur dolores rheumatiſmi cum pectoris anguſtia ſævientibus poſt exſiccata crurum antiqua ulcera.	Sanguis concretus in pericardio. *pars* II. *obſ.* 664.
Poſt crapulam.	Valvulæ cordis ſemilunares oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 594.
Inter corporis niſum.	Pericardium diſtentum ſanguine effuſo ex aorta. *pars* II. *obſ.* 664.
Item.	Ex aorta ulcerata ſanguis in pericardium fluit. *pars* II. *obſ.* 665.
Poſt cordis palpitationem & ſyncopem ſequitur.	Concretiones in pericardio inſtar vermis. *pars* II. *obſ.* 720.
Aſthmaticum tollit.	Cor ſanguine concreto dilatatum, valvula auricularis ſiniſtra cartilaginea. *pars* II. *obſ.* 575.
Item.	Cor ingens. *pars* II. *obſ.* 434.
Tollit virginem bubone peſtilentiali laborantem in utroque inguine.	Cor gangrænoſum, hepar maximum, cyſtis fellea bile turgens. *pars* II. *obſ.* 540.
Corripit hypochondriacum cum doloribus in abdomine tumido, pulſu exiguo & convulſo, ſpirandi difficultate & convulſionibus.	Anevriſma aortæ diſruptum in thorace. *pars* II. *obſ.* 795.
Prægreſſis vertigine & ſtertore.	Cor pertuſum, & pericardium ſanguine turgens. *pars* II. *obſ.* 660.
Inter animi pathemata.	Sanguis in pericardio, aortæ abſceſſus. *pars* II. *obſ.* 667.
Scorbuticum tollit.	Pericardium pure abſumptum, & cor ulcere defœdatum. *pars* II. *obſ.* 534.
Pleroſque eodem fere tempore corripit.	Excreſcentiæ carneæ inter ventriculum cordis dextrum. *pars* II. *obſ.* 497.
Cum veneni ſuſpicione.	Polypus in parietibus cordis hæret. *pars* II. *obſ.* 506.

	Symptomata.	*Extiſpicia.*
MORS SUBITANEA.	E vivis eripit puellam febre quartana laborantem abſque dolore pectoris, tuſſi, aut etiam ſpuitione.	Pulmones pure conſpurcati. *pars* II. *obſ.* 391.
	A ſubmerſione in aqua.	Aqua in trachea arteria & bronchiis. *pars* II. *obſ.* 460.
	Poſt animi pathemata cum cordis palpitationibus.	Cor ingens ſanguine obrutum, valvulæ quaſi lapideæ. *pars* II. *obſ.* 582.
	Tollit aſthmaticum cruciatum decubitu in latere ſiniſtro cum pulſu formicante.	Aqua in latere dextro, pulmones pure exeſi, & aqua in pericardio. *pars* I. *obſ.* 370.
	Eripit quemdam doloribus capitis & aſthmati obnoxium.	Sanguis in vaſis cerebri, corpus fibroſum in ſiniſtro cordis ventriculo, pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 367.
	Phthiſicam conſtitutionem morboſam non ægre ferentem.	Pulmones pure exeſi. *pars* II. *obſ.* 390.
	Poſt ſincopem & convulſionem iteratam.	Pericardium denſum, durum & tuberculoſum. *pars* II. *obſ.* 693.
	Intra quadrantem exorto immani vomitu cum ſumma ſpirandi difficultate.	Ventriculus in foramine morboſo diaphragmatis.
	Rheumatiſmi doloribus laborantem tollit.	Propulſus. *pars* II. *obſ.* 779.
	Paulo poſt animi deliquium cum dolore ſtomachi juvenem ſubripit.	Lien ingens, cor valde dilatatum cum aqua in thorace. *pars* II.
	Iſchuria laborantem corripit.	Anevriſma aortæ circa arterias emulgentes. *pars* I. *obſ.* 1632.
	Ab ictu circa temporale dextrum.	Sanguis & ſerum ſtagnat in ventriculis cerebri. *pars* III. *obſ.* 259, 267.
	Quemdam a pueritia convulſionibus obnoxium tollit.	Sanguis effuſus in cerebrum. *pars* III. *obſ.* 256.
	Aſthmaticum opprimit.	Sanguis concretus in thalamis cerebri, pulmones coſtis affixi. *pars* III. *obſ.* 283.
	Virum defœdatum tumore circa aurem.	Aqua in cranio & theca ſpinali, & plexus choroides hydatidibus conſpurcatus. *pars* III. *obſ.* 165.
	Capite contuſo.	Sanguis effuſus infra & ſupra cerebri involucrum. *pars* III. *obſ.* 240.

Inter

MORS SUBITANEA.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Inter jentaculum quidam apepſia laborans e vivis diſcedit.	Aqua in ventriculis cerebri, vaſa cerebri ſanguine turgida. *pars* II. *obſ.* 56.
Poſt lapſum.	Sanguis effuſus inter cerebrum & duram matrem. *pars* III. *obſ.* 225.
Poſt arduum laborem.	Pectus ſanguine turgens, vena cava diſrupta, *pars* II. *obſ.* 928.
Gibboſum vino deditum tollit.	Aqua in ambitu & cavo cerebri plexu, choroides hydatidibus infarctus. *pars* III. *obſ.* 171.
Inter amplexus venereos.	Sanguis effuſus in dextrum pectoris cavum, vena cava diſrupta. *pars* II. *obſ.* 929.
A fulmine.	Tegumenta uſta abſque partium ſub cute ſtantium læſione, ſerum in cerebri ventriculis, cor exiguum, flatulentia inteſtinorum. *pars* II. *obſ.* 458.
Derepente moritur cachectica ad animi deliquia proclivis.	Pericardium ſero turgens, ſuperficies ejus interna cum cordis ſuperficie eroſa. *pars* II. *obſ.* 687.
Valetudinarium paulo poſt prandium, de medio tollit.	Anevriſma abdominis diſruptum. *pars* I. *obſ.* 1628.
Poſt hepatis diuturnos dolores.	Abſceſſus hepatis. *pars* I. *obſ.* 775.
A vaporibus vini.	Pulmones tantum ſolito majores. *pars* I. *obſ.* 42.
Virum ambulantem de gremio vivorum eripit.	Pulmones ſanguine infarcti, & lien flaccidum. *pars* II. *obſ.* 46.
Puellam febre de more tertianarum laborantem, corripit.	Abſceſſus in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1686.
Summum mœrorem excipit.	Vaſa pulmonis & cor ſanguine infarctum. *pars* I. *obſ.* 444, 445.
Sequitur cordis palpitationes.	Cor ſanguine infarctum, ingens annotatur. *pars* II. *obſ.* 435.
Item.	Cor diſtentum ſanguine concreto, valvulæ cordis oſſeæ. *pars* II. *obſ.* 599.
Seſe adjungit leucophlegmatiæ abſque ullo pectoris prægreſſo dolore.	Pulmones pure exeſi. *pars* II. *obſ.* 384.

MORS SUBITANEA.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
A nimio fumigationis uſu.	Trachea arteria & inteſtina nigricantia cum pulmonibus exſuccis & tabidis. *pars* II. *obſ.* 284.
Immediate poſt partum, mulierem inter pectoris ſuffocationes ſubripit.	Pulmones ſanguine infarcti, ventriculus ingeſtis turgens. *pars* II. *obſ.* 40.
Poſt percuſſionem.	Sanguinea colluvies in abdomine ſtagnat. *pars* I. *obſ.* 1758.
A vapore muſti.	Cor & auriculæ dilatatæ, pulmones phlogoſi tacti. *pars* II. *obſ.* 431.
Succedit difficultati ſpirandi, cum tumore pulſatili circa partem thoracis ſuperiorem.	Anevriſma aortæ diſruptum & ſanguis in thorace effuſus. *pars* II. *obſ.* 797.
Spirandi ſummæ difficultati, cum pertinaci agrypnia.	Cor & mediaſtinum adipe obruta. *pars* II. *obſ.* 464.
Fluxui puris e femore ſiniſtro.	Pulmonum purulentia. *pars* II. *obſ.* 337.
Effloreſcentia frigore repercuſſa, mors ſubitanea tollit quemdam dolore pectoris cum ſpirandi difficultate, jamdiu tentatum.	Hepar ſolito majus, veſicula fellea pure turgida, cor & auriculæ prægrandia, ſerum in ventriculis cerebri. *pars* I. *obſ.* 854.
Mulier anxietates & ſpirandi difficultatem poſt paſtum patiens, derepente obiit.	Jecur & ſplen volumine majora, ventriculus compreſſus, vaſa inania. *pars* I. *obſ.* 585.
Subito enecatur vir valde obeſus.	Cor adipe obrutum. *pars* II. *obſ.* 464.
Mors a nimio frigore.	Sanguis fluidiſſimus, aqua in cerebro. *pars* III. *obſ.* 432.

Extiſpicia.

Concretiones in pericardio vermis inſtar. *pars* II. *obſ.* 721. Vomica in pulmonibus diſrupta. *pars* II. *obſ.* 198. Bilis effuſa canalem inteſtinorum inquinat. *pars* I. *obſ.* 912. Aqua in pericardio, abſceſſus prope auriculam ſiniſtram. *pars* II. *obſ.* 512, 515. Aqua in pericardio. *pars* II. *obſ.* 55. Ventriculus ſanguine infarctus. *pars* I. *obſ.* 45. Pulmones in tota ſubſtantia putridi. *pars* II. *obſ.* 347. Encephali & pulmonis vaſa ſanguine turgida, pulmones plevræ annexi. *pars* II. *obſ.* 44. Aorta ſanguine concreto turgens. *pars* II. *obſ.* 833. Pulmones adipe infarcti & polypus in ſiniſtri cordis ventriculi parietibus hærens. *pars* II. *obſ.* 505. Maſſa adipoſa cor obrutum. *pars* II. *obſ.* 509. Corpus carnoſum cordi adnatum. *pars* II. *obſ.* 552. Cor putridum. *pars* II. *obſ.* 541. Ovarium dextrum pilorum glomeramine turgidum. *pars* I. *obſ.* 1490. Sanguine turgent vaſa ce-

rebri.

rebri. *pars* III. *obſ.* 61. Pericardium ſanguine obrutum; aorta dilatata hiabat in pericardio. *pars* II. *obſ.* 834, 835, 836. Mors subitanea.

S I N G U L T U S.

Singultus.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Singultus ſeſe adjungit doloribus in regione hepatis cum dejectionibus nigris.	Ren dexter duplo major, hepar, lien & ren dexter inflammata, inteſtina colore livido diffuſa, ventriculus collapſus, cor flaccidum & lapis in veſica. *pars* I. *obſ.* 806.
Interdum ſcandeſcit in febre acuta, cum dolore in imo ventre, anxietatibus & ſpirandi difficultate.	Peritoneum & diaphragma & inteſtina inflammata, epiploon peritoneo adglutinatum. *pars* I. *obſ.* 3.
Cum vomitu invadit rachiticam doloribus ventris laborantem.	Hepar ingens & inflammatum, cyſtis fellea bile turgida, ren dexter purulentus, inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 441.
Dolores in imo ventre concomitatur, & tandem ægrum jugulat.	Aqua in abdomine, epiploon craſſum, ventriculus deorſum deprimit. *pars* I. *obſ.* 209.
Seſe adjungit ventri intumeſcentiæ cum cruribus œdematoſis.	Inteſtina & diaphragma circa œſophagum inflammata, ovarii ſiniſtri hydrops, aqua in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1522.
Socius inflammationis renum.	Ren ſiniſter putridus, bilis ſtagnans in ventriculo; cætera viſcera leviter inflammata. *pars* I. *obſ.* 1568.
Iſchuriæ.	Ovarii ſiniſtri hydrops. *pars* I. *obſ.* 1509.
Item.	Renes & ureteres lapillis infarcti. *pars* I. *obſ.* 1127.
Ejuſdem morbi comes lypothymiis ſtipatur.	Veſica diſrupta, calculi in rene dextro, ureteres urina & calculo diſtenti. *pars* I. *obſ.* 1224.
Seſe adjungit doloribus nephriticis.	Ren ſiniſter putris, cætera viſcera leviter inflammata. *pars* I. *obſ.* 1115.
Febri acutæ cum dolore pectoris.	Pulmo ſcirrhoſus; ventriculus inflammatus. *pars* I. *obſ.* 68.
A ſuppreſſa diarrhæa ſævit cum ardore per totum abdomen.	Inteſtina inflammata cum turbine ventorum. *pars* I. *obſ.* 70.

SINGULTUS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Succedaneus poſt vomitum ingentem, delirium cum tremore, brachii dextri convulſionem.	Ventriculus inflammatus, cyſtis fellea flatu turgens. *pars* I. *obſ.* 69.
Aſſumpto intus arſenico, ſingultus excipit faucium & ventriculi ardorem, & dein poſt ſe trahit ſitim ingentem, conſtrictionem pectoris, & vomitum eſcharræ, priapiſmum, febrem & convulſiones.	Via alimentaris ad inteſtina uſque eroſa, inteſtina inflammata, &c. *pars* I. *obſ.* 158.
Ventris intumeſcentiæ cum doloribus, ſequitur macies.	Scirrhoſum meſenterium, pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 540.
Poſt uſum mercurii.	Pylorus anguſtus & non exulceratus. *pars* I. *obſ.* 192.
Cereviſiæ, cum cardialgia & vomitu interdum recurrente.	Ventriculus e ſede depulſus, &c. *pars* I. *obſ.* 208.

Extiſpicia.

Hepar inflammatum. *pars* I. *obſ.* 609. Omentum ſcirrhoſum ventriculum deorſum deprimit. *pars* I. *obſ.* 243.

HYDROPS PECTORIS.

HYDROPS PECTORIS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Hydrops pectoris falſo incuſatur.	Hepar hydatidibus infarctum. *pars* I. *obſ.* 669.

Extiſpicia.

Pulmones tuberculoſi, &c. *pars* II. *obſ.* 847. Humor lacteus in thorace, & ductus thoracicus perforatus. *pars* I. *obſ.* 943. Tumores ſteatomatoſi undique pectus obſidentes. *pars* I. *obſ.* 54. Cæterum in ſepulchreto, *vide* Hydrops pectoris. *pars* II. *obſ.* 847.

SECTIO QUARTA.

TUMORES ABDOMINIS.

INTUMESCENTIA ABDOMINIS.

INTUMESCENTIA ABDOMINIS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Intumeſcentia abdominis. CUM dolore in regione epigaſtrica, & febre ardenti.	LIEN tuberculoſum, *pars* I. *obſ.* 347.
Cum difficultate ſpirandi, & tuſſi ſicca.	Lien putridum. *pars* I. *obſ.* 957.
Cum cardialgia, febre intermittente, & abdominis protuberantia.	Hepar putridum, viſcera pleraque imbuta colore luteo. *pars* I. *obſ.* 740.
Cum aſthmate & ictero.	Hepar ſcirrhoſum, aqua in abdomine, cyſtis fellea bile & calculis turgens, vomica in pulmone. *pars* I. *obſ.* 1261.
Cum ventris dolore & vomitu.	Inteſtinum colon ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 379.
Subito intumeſcit abdomen & inflammatione corripitur.	Inflammata inteſtina. *pars* I. *obſ.* 379.
Tumens remanet poſt partum, & plura ſymptomata eveniunt.	Hydrops ovarii ſiniſtri. *pars* I. *obſ.* 1508.
Cum alvo pertinaciter adſtricta.	Inteſtina fæcibus infarcta. *pars* I. *obſ.* 291.
Cum doloribus in toto abdomine diffuſis.	Inteſtina pituita turgent. *pars* I. *obſ.* 298.
Cum alvi fluxu, & febre lenta.	Glandulæ meſenterii infarctæ. *pars* I. *obſ.* 529.
Cum febre lenta paulo poſt percuſſionem abdominis exoritur.	Scirrhoſæ glandulæ meſenterii. *pars* I. *obſ.* 523.
Cum dolore in toto abdomine diffuſo, urinis purulentis, & diarrhæa colliquativa ſubſequente.	Omentum & meſenterium putrida, hepar ingens, pancreas putridum, renes purulenti. *pars* I. *obſ.* 249.
Cum febre ardente, & dolore abdominis.	Inteſtina, renes, veſica, & ureteres inflammata, pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 444.

Cum

INTUMESCENTIA ABDOMINIS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum crurum inflammatione & difficili ſpiritu.	Lien centum libras ponderans. *pars* I. *obſ.* 923.
Cum alvo adſtricta, & doloribus colicis.	Meſenterium ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 536.
Cum pondere, cui ſuccedit febris lenta lethalis.	Scirrhoſa pleraque abdominis viſcera. *pars* I. *obſ.* 523.
Lotium interea ſupprimitur.	Centum aquæ libræ ſtagnant in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1424.
Cum dolore continuo & effluxu puris per umbilicum ſedatur, ſed tandem febrem lentam accerſit.	Viſcera putrida excepto corde. *pars* I. *obſ.* 1571.
Cum pondere moleſto.	Mola veſicularis. *pars* I. *obſ.* 1429.
Melancholicum hemorrhagiæ narium & cordis palpitationibus obnoxium infeſtat.	Lien & hepar maxima, pulmo compreſſus & e ſede dimotus, lobus ſiniſter pulmonis induratus. *pars* I. *obſ.* 915.
Cum fluctuatione & febre lenta.	Ovaria aqua turgida. *pars* I. *obſ.* 1475.
Cum ſiti, anorexia, macie, & difficili reſpiratione, gravidationem mentitur.	Hydrops peritonæi. *pars* I. *obſ.* 173.
Cum ſpirandi difficultate & pedum œdemate.	Sarcoma in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1550.
Cum urinæ fluxu imminuto, & contra, alvo ſoluta.	Tumor ſteatomatoſus in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1158.
Cum tenſione maxima, medicos in plures partes trahit.	Tumores purulenti in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1652.
Cum doloribus in hypogaſtrio.	Ovarium dextrum variis concretionibus infarctum. *pars* I. *obſ.* 1485.
Cum dolore dorſi, dyſuria, macie, & pedum œdematia.	Tumor circa meſenterium inteſtina undique comprimens. *pars* I. *obſ.* 1643.
Cum moleſto pondere, dyſuriæ ſeſe adjungit.	Hepar ingens, renes infarcti, omentum diſruptum. *pars* I. *obſ.* 1205, 1206.
Cum menſium fluxu imminuto, artubus œdematoſis, abſque ulla urinæ ſuppreſſione.	Hydrops cyſticus. *pars* I. *obſ.* 1692.
Cum ſenſu ponderis, menſium ſufflaminatione, ſibi adjungit febrem intermittentem cui ſuccedit ſpirandi difficultas cum pedum œdemate.	Ichore & flatu abdomen turgens, omentum putridum, inteſtina invicem accreta, hepar putridum, &c. &c. *pars* I. *obſ.* 1656.

Tu-

INTUMESCENTIA ABDOMINIS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Tumeſcit, & duritiem quaſi lapideam induit.	Veſica calculum recondit. *pars* I. *obſ.* 1312.
Cum menſium ſuppreſſione & ſpirandi difficultate.	Pulmones putridi & ovaria ingentia. *pars* I. *obſ.* 1656.
Tumor ventris abſque ulla functionum læſione, in fluctuationem abit.	Hydrops peritonæi. *pars* I. *obſ.* 1724.
Aſcitem mentitur.	Scirrhus ponderat ſexaginta ſex libras. *pars* I. *obſ.* 1641.
Cum febre mali moris.	Tumor purulentus in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1767.
Fluctuans abdomen cum pondere moleſtiſſimo & ſpirandi difficultate.	Hydrops peritonæi. *pars* II. *obſ.* 60.
Cum dolore maximo.	Hydrops peritonæi & tumores ſteatomatoſi in abdomine. *pars* I. *obſ.* 267.
Cum macie totius corporis.	Tumor ſteatomatoſus. *pars* I. *obſ.* 1665.
Cum dolore atroci & difficili reſpiratione.	Hydrops cyſticus. *pars* I. *obſ.* 1738.
Cum alvo pertinaciter adſtricta.	Ut nulla obvia cauſa. *pars* I. *obſ.* 1690.
Cum ſuffocationibus, lochiis ſuppreſſis.	Hydrops uteri. *pars* I. *obſ.* 1420.
Cum dolore ſtomachi graviditatem mentiens.	Lapides in ventriculo. *pars* I. *obſ.* 56.
Cum pondere nimio, partum infelicem antecedit.	Uterus, tubæ Fallopianæ, ovaria & cor ingentia. *pars* I. *obſ.* 405.
Cum duritie, & doloribus immanibus falſo pro gravidatione habetur.	Colluvies ſanguinea in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1754.
Seſe adjungit ſpirandi difficultati.	Aqua turget abdomen. *pars* I. *obſ.* 1691.
Cum dolore coxæ, ſpirandi difficultate, fluxu menſium non imminuto.	Hydrops peritonæi. *pars* I. *obſ.* 1727.
Cum febre lenta, quam excipiunt diarrhæa, œdema crurum, cum reſpiratione anheloſa.	Hydrops ovariorum. *pars* I. *obſ.* 1513.
Cum dolore & iſchuria lethali.	Tumor ſacciformis veſicæ fundo adnatus & inteſtino recto adhærens. *obſ.* 1676.

Cum

INTUMESCENTIA ABDOMINIS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum duritie abdominis, ad quam accedunt generalis œdematia, dolor in hypochondrio ſiniſtro, diarrhæa cruenta, & vomitus ſanguinolentus febrem acutam excipiens.	Viſcera adipe obruta. *pars* I. *obſ.* 377.
Succedanea dolori dorſi.	Viſcera adipe obruta. *pars* I. *obſ.* 1046, 1554.
Dolori in inguine dextro.	Sanguinea colluvies in abdomine. *pars* I. *obſ.* 144, 1387, 1754.
In lumbis.	Ulcus uteri. *pars* I. *obſ.* 1431, 1433.
Poſt caſum ab alto exortus tumor.	Aqua in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1608.
Poſt ictum in hypogaſtrio.	Uterus ingens & infarctus. *pars* I. *obſ.* 1366.
Menſium ſuppreſſioni.	Moles carnea triginta quatuor libras ponderans. *pars* I. *obſ.* 1344.
Item.	Ex utero prorumpens. *pars* I. *obſ.* 767, 1642.
Ictero cum dolore ventriculi.	Veſicula fellis calculis obruta. *pars* I. *obſ.* 874.
Cum alvo pertinaciter adſtricta, poſt vulnus inflictum verſus regionem hepatis.	Bilis effuſa in abdomen. *pars* I. *obſ.* 1762.
Dolori ſub veris coſtis.	Hepar putridum, veſicula fellea inanis, inteſtina tincta colore flavo, gangrænoſa. *pars* I. *obſ.* 782.
Tumori ventris exiguo.	Hydrops peritonæi, cum tumore ipſi innato. *pars* I. *obſ.* 1333.
Poſt partum exoritur.	Colluvies ſordida in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1768.
Diuturnæ alvi adſtrictioni.	Inteſtina fæcibus infarcta. *pars* I. *obſ.* 291.
Poſt abdominis contuſionem.	Glandulæ meſenterii ſcirrhoſæ. *pars* I. *obſ.* 527.
Vetuſto pedum œdemati.	Inteſtina flatu turgida, hepar ingens, meſenterium ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 275.
Menſium ſuppreſſioni quæ in aſcitem abit.	Uterus molem recondit, *pars* I. *obſ.* 1604.

Cum

INTUMESCENTIA ABDOMINIS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum doloribus circa umbilicum, paracenteſim excipit.	Omentum ſcirrhoſum & ſteatomatoſum. *pars* I. *obſ.* 230.
Poſt menſium ſuppreſſionem, mulierem ſuffocat.	Tumor circa cervicem uteri. *pars* I. *obſ.* 1419.
Cathetere nihil extranei in veſica reperitur.	Scirrhus ingens. *pars* I. *obſ.* 1300.
Item.	Lapides tunicati. *pars* I. *obſ.* 1343.
Falſo incuſatur.	Hernia veſicæ. *pars* IV. *obſ.* 138.
Inter ejus uſum febris ardens ſcandeſcit.	Lapis echinatus in veſica. *pars* I. *obſ.* 1315.
Calculus trium unciarum lithotomia extrahitur, in qua tamen ceſſant ſymptomata.	Veſicæ excreſcentiæ fungoſæ.
Falſo lapides in veſica calculi dolori in epigaſtrio adſcribuntur.	Scirrhus veſicæ adnatus. *pars* I. *obſ.* 1300, 1302.
Lithontripticon erodit calculos.	*Pars* I. *obſ.* 1353, 1354, 1355, 1356.
Incaſſum celebratur lithotomiæ operatio.	Lapides tunicati latent in veſicæ plicis. *pars* I. *obſ.* 337, 1339, 1340, 1341, 1345.
Cyſtotomiæ peracta operatione ingruit ſpirandi difficultas.	Veſica craſſa & calloſa, ren ſiniſter purulens. *pars* I. *obſ.* 1099.
Dolores calculi, & hæmorrhoidum dyſentericum cruciant.	Lien mole ingens, cyſtis fellea bile turgida, inteſtinum rectum ſphacelo tactum. *pars* I. *obſ.* 6440.
Nulla functionum læſio.	Lapides in latebris veſicæ. *pars* I. *obſ.* 1357.
Cum renum immani dolore, & lypothymiis accedentibus.	Renes eroſi & purulenti. *pars* I. *obſ.* 1092.

CALCULUS VESICÆ.

CALCULUS VESICÆ.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum enterocele, cui ſeſe adjungit dolor nephriticus cum lotio purulento.	Lapides in veſica, & renes putridi. *pars* I. *obſ.* 1110.
Dolores veſicæ falſo lithiaſi adſcribuntur.	Ulcus veſicæ. *pars* I. *obſ.* 1272.

VARIA CIRCA CATHETERISMUM.

VARIA CIRCA CATHETERISMUM.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Catheter exilis introduci nequit dum facile craſſus.	Inteſtino recto ſcirrhus adnaſcitur. *pars* I. *obſ.* 1286.

Extiſpicia.

Caruncula calloſa obturat meatum urinarium. *pars* I. *obſ.* 1287. Bini tuberculi orificio urethrali veſicæ adnati. *pars* I. *obſ.* 1288. Uvula veſicæ tumida. *pars* I. *obſ.* 1289, 1290, 1292, 1293. Appendicula calloſa veſicæ orificium obturat. *pars* I. *obſ.* 1291. Proſtata tumida.

DOLORES IN REGIONE INGUINALI.

DOLORES IN REGIONE INGUINALI.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Dolores in regione inguinali. Dolores in abdomine, & circa inguen ſubito cruciant mulierem & deinde continuo per quatuor annos febre quartana ſæviunt.	Pubis tumens, veſica quaſi corrupta & calculum recondens. Lapide obturata urethra. *pars* I. *obſ.* 1311.
Cum menſium ſuppreſſione, quam preſſo pede ſequitur uteri hæmorrhagia.	Uterus eroſus ulcere pure conſpurcabatur. *pars* I. *obſ.* 1386.
Vomitu & dyſuria ſtipantur.	Hepar ingens, diaphragma & inteſtina e ſede deprimit. *pars* I. *obſ.* 581.
Quos excipit ſumma abdominis intumeſcentia.	Uterus ulceratus, veſica perforata. *pars* I. *obſ.* 1282.
Cum vomitu interdum recurrente, alvo pertinaciter ſicca remanente.	Inteſtinum cæcum ingens & gangrænoſum, inter tunicas caro excreverat. *pars* I. *obſ.* 412.

Cum

DOLORES IN REGIONE INGUINALI.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum tumore fluctuante, poſt peculiarem febrem oriuntur.	Puris quantitas maxima inter peritoneum & os innominatum. *pars* I. *obſ.* 4.
	Ren inſtar lapidis durus. *pars* I. *obſ.* 2208.
Dolores abdominis in regione lumbari cum urinæ difficultate, & tumore circa umbilicum, vomitum materierum citrini coloris, poſt ſe trahente.	Hepar ingens ventriculum dextrum deprimit; pylorus & pancreas ſcirrhoſa, ren ſiniſter exulceratus. *pars* I. *obſ.* 183.
Urinas interdum craſſiſſimas mingit æger, & diarrhæa laborat.	Bini lapides in rene dextro. *pars* I. *obſ.* 1155.
Dolor & gravitas in lumbis iſchiadicum dolorem mentiuntur, quem excipit abſceſſus in parte poſtica femoris ſiniſtri.	Pulmonum purulentia & ſplen marcidus. *pars* II. *obſ.* 337.
Sibi adjungunt vomitum nigrarum materierum.	Pulmones corrupti, œſophagus ulcere perforatus, & ventriculus pure turgidus. *pars* II. *obſ.* 354.
Abdominis intumeſcentiam.	Sanguis effuſus in abdomen. *pars* I. *obſ.* 1754.
Cum mictu purulento.	Ren dexter pure exeſus, ſiniſter inter ſordes purulentas, calculum recondit. *pars* I. *obſ.* 1096.
Continuo circa lumbos ſæviunt.	Lien ſcirrhoſus & e ſede depulſus. *pars* I. *obſ.* 1801.
Cum urinæ ſuppreſſione accerſunt convulſiones, & dein affectum ſoporoſum.	Ren ſiniſter calculis & aqua turgidus. *pars* I. *obſ.* 1158.
Morte ſubitanea ceſſant.	Cor putridum & vertebra prima lumbaris carie læſa. *pars* I. *obſ.* 542.
Cum ſenſatione moleſtiſſima ponderis in hypogaſtrio.	Lapis in utero. *pars* I. *obſ.* 145.
Cum febre & lotio ſuppreſſo.	Renes inflammati. *pars* I. *obſ.* 1070.
Inſigniuntur tumore circa umbilicum, & dyſuria.	Tumor ſteatomatoſus meſenterio adhæret. *pars* I. *obſ.* 1666.
Cum mingendi difficultate.	Lapis in urethra. *pars* I. *obſ.* 1446.
Inſigniuntur dolore colico, vomitu & dyſuria cum ſpirandi difficultate.	Scirrhus glandularum abdominis & thoracis. *pars* I. *obſ.* 1636.

Cum

DOLORES IN REGIONE INGUINALI.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum perpetuo dejiciendi conatu.	Ren ſiniſter pure exeſus, & gerens tumorem ſteatomatoſum, carcinoma inter veſicam & inteſtinum rectum. *pars* I. *obſ.* 1084.
Per triennium ſæviunt, menſes ſufflaminantur, venter maxime protuberat, & œdema artus inferiores occupat.	Hydrops cyſticus. *pars* I. *obſ.* 1698.
Abſque ullis ſignis lythiaſeos.	Calculis turgent renes. *pars* I. *obſ.* 1184.
Ad ſpinam dorſi pertinaces, pro ſigno luis venereæ falso habentur.	Anevriſma aortæ. *pars* I. *obſ.* 1630.
Cum febre continua ſeſe adjungunt abdominis intumeſcentiæ, & poſt ſe trahunt iſchuriam & alvi adſtrictionem.	Tumor in meſenterio adnatus. *pars* I. *obſ.* 1638.
Cum iſchuria, vomitum pertinacem acceſſunt.	Renes ſolito majores & inflammati, ureteres calculis infarcti. *pars* I. *obſ.* 1155.
Succedanei cum pulſatione excipiunt lapſum ab alto.	Anevriſma aortæ. *pars* I. *obſ.* 1629.
Poſt operationem caſtrationis ſæviunt.	Ren ſiniſter ſcirrhoſus. *pars* I. *obſ.* 1074.
Dolores in regione dorſali cum tumore interno ventris, dyſuria, macie, & pedum œdematia.	Tumor circa meſenterium inteſtina undique comprimens. *pars* I. *obſ.* 1643.
Quibus ſuccedit fluxus hæmorrhoidalis totius corporis accedente tremore.	Pulmones putridi, cerebrum, & medulla ſpinalis aqua turgent, pancreas purulentia conſpurcatur. *pars* I. *obſ.* 1046.
Poſt ſe trahunt hydropem.	Lien lapideſcens. *pars* I. *obſ.* 96.
Febre pertinaciſſima ſtipantur.	Pancreas purulentum. *pars* I. *obſ.* 1050.
Stranguriam accerſunt.	Renes ingentes nigricantes cruſta obducti, & lapillis infarcti, ureteres pure turgidi. *pars* I. *obſ.* 1090.
Succedanei poſt caſum ab alto, ſibi adjungunt tuſſiculam cum dyſpnea, torpore & œdemate brachii dextri ſtipata, & quæ dein in aſcitem degenerat.	Abdomen colluvie turgidum, tumores ſteatomatoſi in meſenterio; pulmones pure abſumpti, & thorax liquamine purulento turgidum. *pars* I. *obſ.* 357.
Operatione caſtrationis peracta ſæviunt.	Pancreas purulentum. *pars* I. *obſ.* 1047.
Poſt lapſum ab equo per biennium excandeſcunt.	Tumor ingens circa menſenterium. *pars* I. *obſ.* 1670.

N. A. U.

N A U S E A.

Nauſea.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Nauſeæ ſæpe recurrunt inter ſpirandi difficultatem & cordis palpitationes.	Cor lapideſcens. *pars* II. *obſ.* 557.
Cum torminibus ventris icterum acceſſunt.	Veſicula fellis bile turgida. *pars* I. *obſ.* 1618.
In febre acuta nauſea & ſingultus conſortiuntur.	Ventriculus inflammatus. *pars* I. *obſ.* 363.
Per tres menſes durant & vomitum lethalem poſtea ad ſe trahunt.	Hepar ingens. *pars* I. *obſ.* 181.

V O M I T U S.

Vomitus.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Vomitus cum alvi profluvio, quod excipit atrophia.	Hepar magnum & nonnihil ſcirrhoſum & gangrænoſum, meſenterium induratum, pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 598.
Inſignitur dolore acerbiſſimo in regione ventriculi.	Pancreas ſcirrhoſum, &c. *pars* I. *obſ.* 1030.
Præcipue ſævit in peſte.	Ventriculus inſtar carbunculi nigricans circa orificium ſuperius. *pars* I. *obſ.* 177.
Cum dejectionibus nigricantium materierum.	Pancreas ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 138.
Stipatur dolore in regione epigaſtrica & febre lenta.	Epiploon & meſenterium marcida; ſtomachus turgens, pylorus ſcirrhoſus, pancreas partibus vicinis annexus, & artus flexilitatem nativam ſervabant. *pars* I. *obſ.* 178.
Quotidie immediate recurrit, & poſtea atrophiam ſibi adjungit.	Pancreas ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 139.
Sævit cum dolore ſtomachi & interdum durefcit regio epigaſtrica.	Ventriculus eroſus, pylorus craſſus, hepar & lien arida. *pars* I. *obſ.* 182.
Cum alvo ſicca mulierem deditam potui ſpiritus vini corripit.	Ventriculus ingens, pylorus cartilagineus, hepar ſiccum & aridum, lien parvus in pelvi deliteſcens, inteſtina contracta. *pars* I. *obſ.* 180.

Ac-

VOMITUS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Accedit cum cachexia poſt eruptionem tumoris infra cartilaginem enſiformem.	Hepar ſolito majus putridum, pulmones etiam pure conſpurcati. *pars* I. *obſ.* 666.
Virum ictero laborantem aggreditur.	Calculi in veſica fellea, *pars* I. *obſ.* 870.
Vomitu laborans queritur de corpore in ductum inteſtinalem repente.	Vermes in inteſtinis nidulati. *pars* I. *obſ.* 277.
Cum eruptione flatuum, & hypochondrii dolore ſubſequente.	Omentum diſruptum, lien ſolito major, ſanguis concretus in inteſtinis. *pars* I. *obſ.* 290.
Excrementa vomitu rejiciuntur.	Tumor cancroſus in inteſtinis. *pars* I. *obſ.* 385.
Accerſit ventris tormina & convulſiones, magnaque eſt ſuſpicio de veneno aſſumpto.	Æris flores & hydrargirus in inteſtinis, ventriculus inflammatus, inteſtina tenuia invaginata, veſica contracta. *pars* I. *obſ.* 464.
Febrem continuam poſt ſe trahit.	Concretio in renibus cochleæ inſtar. *pars* I. *obſ.* 1211.
Cum moleſta ſenſatione ponderis in ventriculo.	Superior hepatis pars putrida & diaphragmati accreta. *pars* I. *obſ.* 798.
Materiæ ſubnigræ alvo pertinaciter ſicca remanente, oritur poſt longam diarrhæam.	Pulmones gangrænoſi, & viſcera abdominis inflammata. *pars* I. *obſ.* 300.
A pulmone vomitu excernuntur materiæ nigricantes.	Œſophagus ulcere perforatus, & pulmones putridi. *pars* II. *obſ.* 434.
Enormis cum difficultate ſpirandi intra horæ quadrantem, hominem rheumaticis doloribus obnoxium jugulat.	Ventriculus per foramen diaphragmatis morboſum protenſus. *pars* II. *obſ.* 777.
Cum ſtranguria ſeſe adjungunt doloribus veſicæ & renis ſiniſtri.	Veſica & ren ſiniſter putrida. *pars* I. *obſ.* 1098.
Comes dolorum nephriticorum.	Pancreas exulceratum, ventriculus & inteſtina gangrænoſa, corpus teſtaceum in rene. *pars* I. *obſ.* 1052.
Item.	Calculi in renibus. *pars* I. *obſ.* 1166.
Cum febre & dolore ſub nothis coſtis.	Colluvies ſeroſa in abdomine, ventriculus & inteſtina flatu turgida, renes ingentes, ſiniſter etiam purulens, aqua turget pericardium. *pars* I. *obſ.* 1093.

Cum

VOMITUS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum tumore in cordis ſcrobiculo.	Pancreas ſcirrhoſum, &c. *pars* I. *obſ.* 1013.
Sævit duabus horis poſt paſtum, & viginti quatuor annos perdurat; alvo pertinaciter ſicca.	Pancreas ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 1017.
Hypochondriacum cruciat.	Puris collectio inter duas meſenterii tunicas, hepar putridum. *pars* I. *obſ.* 552.
Inter febrem peſtilentialem.	Pupulæ gangrænoſæ in abdomine & thorace. *pars* I. *obſ.* 1683.
In febre hectica ſupervenit.	Pulmones gangrænoſi, plevræ annexi, pericardium induratum cordi hæret, hepar & epiploon putrida. *pars* I. *obſ.* 780.
Cum tuſſi ſeſe adjungit aſciti.	Hydrops cyſticus. *pars* I. *obſ.* 1693.
Cum capitis & uteri dolore.	Tumor ſteatomatoſus in parte poſtica uteri ſitus. *pars* I. *obſ.* 38.
Seſe adjungit obſtructioni alvi, & poſt ſe trahit diarrhæam.	Steatoma volumine ovi columbini in abdomine. *pars* I. *obſ.* 2668.
Interea dureſcit hypochondrium dextrum, & ſcandeſcit febris.	Hepar ingens & ſcirrhoſum, lapides in cyſtide fellea, lien & pancreas marcida, ventriculus inflammatus. *pars* I. *obſ.* 617.
Vomitus chronicus accerſit febrem erraticam, quam ſequuntur ardor lumborum, tumor epigaſtrii, & hypochondrii dextri, & icterus.	Viſcera putrida. *pars* I. *obſ.* 1594.
Quem excipiunt convulſiones lethales & cephalalgia.	Item. *pars* I. *obſ.* 1591.
Iſchuriæ ſeſe adjungit.	Obſtructi ureteres. *pars* I. *obſ.* 1221, 1222, 1223, 1224, 1226, 1229, 1253, 1262.
Cum alvi fluxu, febris comite, maculis purpureis ſtipato, & in ſomnolentiam degenerante.	Vaſa encephali ſanguine turgent, hepar & ventriculus inflammata. *pars* I. *obſ.* 602.
Excrementa vomitu ejiciuntur.	Inteſtina contorta & invicem agglutinana. *pars* I. *obſ.* 496.
Singultu prægreſſo, oritur vomitus excrementorum.	Inteſtinorum parietes coalitu adnatæ. *pars* I. *obſ.* 502.

VOMITUS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum ventris torminibus herniæ inguinali, ſeſe complicat, & ventris intumeſcentiam accerſit.	Liquamen fœtidum in abdomine, inteſtina inflammata, & flatu turgida, portio ilei in ſcrotum prolapſa. *pars* I. *obſ.* 416.
Vomens mulier clamat inteſtina crepaſſe.	Inteſtina diſrupta. *pars* I. *obſ.* 423.
Colluviei amareſcentis cum ſummo ſtomachi dolore.	Stomachus contractus cum pyloro tumido & indurato. *pars* I. *obſ.* 190.
Cum dolore ſtomachi maciem accerſit.	Pylorus induratus & ſumme conſtrictus. *pars* I. *obſ.* 189.
Oppreſſione cordis & alvi ſiccitate ſtipatur, abſque ulla febre ſuccedente.	Ventriculus putridus & totum corpus tumidum. *pars* I. *obſ.* 157.
Symptomatibus nephriticis implicatur.	Ventriculus & pancreas putrida, cor flaccidum; macie pulmones corrugati, & plevræ annexi. *pars* I. *obſ.* 129.
Mulierem phthiſicam invadit, alvo ſemper ſicca, & in regione epigaſtrica bini tumores occurrunt.	Pulmo putridus, ventriculus contractus quaſi cartilagineus, inteſtina putrida & convoluta. *pars* I. *obſ.* 26.
Materiei inſtar aquæ fuligine impregnatæ.	Colluvies putrida in abdomine, tumor cancroſus juxta pylorum. *pars* I. *obſ.* 111.
Cum dolore ſtomachi & ſanguinolenta dejectione.	Ventriculus pure exeſus, & pure conſpurcatus. *pars* I. *obſ.* 117.
Inter cætera ſymptomata, ſæpe recurrit in febre tertiana, dein accedit delirium, quod prehendunt convulſiones, & dein ſingultus.	Ventriculus inflammatione correptus, veſicula fellis flatu turgida. *pars* I. *obſ.* 70.
Cum ventris torminibus, & ejus intumeſcentia.	Stomachus contractus, inteſtina inflammata, meſenterium ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 26.
Vomendi conamen inane cum doloribus ſupra umbilicum ſævientibus.	Ventriculus eroſus; flatu turget abdomen. *pars* I. *obſ.* 143, 146.
Languore & inappetentia ſtipatur abſque ulla febre, cum abſceſſu in regione epigaſtrica.	Stomachus paſſim ſcirrhoſus, & paſſim putridus. *pars* I. *obſ.* 190.
Cum dolore ſtomachi & animi perturbationibus.	Scirrhoſus tumor in fundo ventriculi, & aqua nigricans in ejus cavo. *pars* I. *obſ.* 95.
Stipatur tumore in hypochondrio dextro, & ſumma difficultate egerendi.	Hepar putridum; ſcirrhus in fundo ventriculi. *pars* I. *obſ.* 97.

VOMITUS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Arthriticum invadit cum ructibus & ardore ingenti ſtomachi.	Liquamen ſordidum in ventriculo, hepar partim ſcirrhoſum, cyſtis fellea inanis, & ductus choledocus ventriculo proſpicit. *pars* I. *obſ.* 38.
Contumax cum ſiccitate alvi, ac demum cholera morbo.	Ductus choledocus ventriculo proſpiciens. *pars* I. *obſ.* 39.
Materierum nigrarum, ſtipatur dolore in epigaſtrio.	Ventriculus putris, pylorus & pancreas ſcirrhoſa, inteſtina flatu turgida. *pars* I. *obſ.* 159.
Cum ſingultu & dolore hypochondrii.	Tumor ventriculo adnatus. *pars* II. *obſ.* 128.
In febre maligna exoritur, & lypothimias frequentes ſibi adjungit.	Hepar & ventriculus inflammata. *pars* II. *obſ.* 165.
Febris peſtilentialis comes.	Ventriculus eroſus. *pars* I. *obſ.* 168.
Intra triduum lethifer.	Ventriculus bile turgens & inflammatus; abdomen occurrit tumidum, & veſica fellea bile diſtenditur. *pars* I. *obſ.* 70.
Cum diarrhæa in epilepſiam degenerat.	Ventriculus inflammatus, hepar ſcirrhoſum, & cyſtis fellea bile turgens. *pars* I. *obſ.* 160.
Cum alvo adſtricta, & hypochondrii dextri tumore.	Tumor ſcirrhoſus pyloro adnatus viam alimentis præcludit. *pars* I. *obſ.* 183.
Cum tuſſi, aſthmate, & tumore in hypochondrio.	Hepar durum & exiguum cum tumore ipſi adnato; ventriculus conſtrictus, & pylorus ſcirrhoſus. *pars* I. *obſ.* 183.
Stipatur ardore ſummo ventriculi, & dein macie.	Aqua in abdomine, pylorus ſcirrhoſus & contractus. *pars* I. *obſ.* 183.
Cum cardialgia cacheéticum invadit.	Pylorus tumidus & obturatus. *pars* I. *obſ.* 197.
Cum dolore ventris, & comate ſomnolento ſubſequenti.	Pylorus tumidus, ſerum in cranio ſtagnat. *pars* I. *obſ.* 187.
Cum tumore ſupra umbilicum icterum poſt ſe trahit.	Hepar ingens, pylorus & pancreas ſcirrhoſa, ren ſiniſter exulceratum. *pars* I. *obſ.* 183.
Rachiticam jam diu de doloribus ventris querulam in vadit.	Hepar grandius maculis lividis notatum, cyſtis fellea bile turgida; ren dexter purulens. *pars* I. *obſ.* 441.

VOMITUS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Immanis febrem malignam concomitatur.	Omentum putridum, ileum & colon inflammata. *pars* I. *obſ.* 437.
A multis annis, brevi poſt prandium recrudeſcit.	Pylorus craſſus & cartilagineus. *pars* I. *obſ.* 184.
Stercoraceus cum febre & doloribus in abdomine.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 331.
Item.	Vermium glomeramen inteſtinorum cavum replet. *pars* I. *obſ.* 303.
Cum febre, ardore ventriculi, & pulſatione in eadem regione.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 332.
Cum anxietatibus & alvo adſtricta, potatorem torquet.	Meſenterium ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 371.
A nimia cibi ingurgitatione.	Hepar ventriculo accretum. *pars* I. *obſ.* 778.
Sævit cum alvi adſtrictione, & tympanitide.	Inteſtina inflammata & flatu turgida, flatus etiam nidulabatur in abdomine. *pars* I. *obſ.* 270.
Concomitatur dolores univerſales a ſuppreſſione menſium.	Aqua effuſa in abdomen, omentum exeſum, hepar partibus vicinis accretum. *pars* I. *obſ.* 268.
Cum febre, ventris dolore, & tumore in hypochondrio dextro.	Inteſtinum colon quaſi ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 379.
Adjunctus diarrhææ hydropicam enecat.	Aqua in abdomine ſtagnat, hepar tuberculoſum. *pars* I. *obſ.* 58.
Contumax ictericum de medio tollit.	Hepar ingens & veſica fellea bile turgida. *pars* I. *obſ.* 646.
Cum febre lenta & hypochondrio dextro tumido.	Hepar ingens & ſteatomatoſus. *pars* I. *obſ.* 638.
In febre peſtilenti ſævit.	Cyſtis fellea bile turget. *pars* I. *obſ.* 844.
Helluonem aquæ vitæ invadit.	Meſenterium ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 530.
Hydropicum cruciat.	Inteſtina invicem implicata. *pars* I. *obſ.* 458.
Niger & acidus diutius protractus, hypochondriacum enecat.	Lien duplex & inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 1006.

Cum

VOMITUS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum anguſtia pectoris, cordis palpitatione, animi deliquiis, pulſatione ad fundum ventriculi.	Tumor ſcirrhoſus fundo ventriculi adnatus; pancreas ingens tredecim libras pendens. *pars* I. *obſ.* 1526.
Cum ſiti immani, hypochondrio dextro tumido & dolente.	Viſcera ſcirrhoſa. *pars* I. *obſ.* 1572.
Matronam gravidam cruciat.	Inteſtinum colon inflammatum. *pars* I. *obſ.* 449.
Imminuunt tumorem aſciticum, qui denuo recrudeſcens, lethalis evadit.	Tumor adnatus inteſtinis. *pars* I. *obſ.* 1689.
Medicamentum emeticum, irritum vomendi patrat conatum; &, inter ſummas anguſtias, mortem, intra ſeptem horas, accerſit.	Ventriculus in dextra parte thoracis ſitus, ſero turgidus. *pars* I. *obſ.* 213.
Succedaneus poſt aſſumptum venenum, ad mortem uſque ſævit.	Ventriculus pure eroſus. *pars* I. *obſ.* 163.
Fluxui fiſtulæ ani ſuppreſſo.	Item. *Pars* I. *obſ.* 163.
Dolori ſtomachi.	Ventriculus turget materia ſubnigricante, & paſſim inflammatus occurrit. *pars* I. *obſ.* 417.
Circa umbilicum ſævienti.	Omentum pure conſumptum, ileum & colon reni annexa & inflammata. *pars* I. *obſ.* 419.
Cum animi deliquio, ſequuntur dolores in abdomine acerbiſſimos.	Sanguinea colluvies in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1757.
Cum cardialgia & ſingultu, ſævit poſt hauſtum cereviſiæ.	Ventriculus inflammatus. *pars* I. *obſ.* 200.
A capite percuſſo.	Fractura cranii, abſceſſus in hepatis ſubſtantia. *pars* I. *obſ.* 723.
Excipit moleſtam ſenſationem in epigaſtrio.	Omentum ſcirrhoſum & ſteatomatoſum. *pars* I. *obſ.* 230.
Poſt uſum mercurialium, ſævit.	Pylorus anguſtus, & nonnihil exulceratus. *pars* I. *obſ.* 192.
Fructuum horreorum.	Pancreas calculoſum. *pars* I. *obſ.* 1045.
Poſt colicam.	Pylorus & pancreas ſcirrhoſa.
Poſt ventriculi languorem.	Ventriculus & omentum protruſa in thoracis cavitatem dextram. *pars* I. *obſ.* 212.

VOMITUS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Poſt ventriculi ardorem.	Pylorus ſcirrhoſus. *pars* I. *obſ.* 183.
Poſt aſſumptam argillam, ſævit.	Ventriculus inflammatus, *pars* I. *obſ.* 130.
Poſt lapſum ab alto, & ſibi adjungit abdominis tumorem, cum manifeſta fluctuatione.	Hydrops lacteus.
Succedit ſummis doloribus ventris.	Inteſtina flatu turgida, ſteatomatoſus tumor in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1657.
Caſui ex alto.	Tumor in parte læſa. *pars* I. *obſ.* 855.
Doloribus renis.	Omentum putridum, renes & pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 1132.
Febri lentæ cum dolore in regione hepatis.	Hepar tuberculoſum. *pars* I. *obſ.* 681.
Cum dolore inguinis a lapſu ex alto.	Inteſtinum ileum valde conſtrictum, & ſolito majus. *pars* I. *obſ.* 495.
Poſt aſſumptum helleborum, convulſionibus ſtipatur.	Ventriculus aqua turget, & ſubſtantia eroſa occurrit. *pars* I. *obſ.* 128.
Cum crebris lypothymiis, poſt caſum ab alto.	Sanguis effuſus in cranium, hepar maximum & gangrænoſum. *pars* I. *obſ.* 803.
Excipit dolores circa præcordia.	Omentum conſumptum, pancreas ſcirrhoſum, pylorus tumens. *pars* I. *obſ.* 1015.
Crapulam.	Stomachus partim ſcirrhoſus, & putridus. *pars* I. *obſ.* 84.
Poſt aſſumptum crocum martis.	Ventriculus valde contractus. *pars* I. *obſ.* 28.
Helleborum convulſiones lethales accerſit.	Ventriculus eroſus, aqua turgidus. *pars* I. *obſ.* 127.
Anorexiæ.	Abdomen aqua turgidum, omentum exeſum. *pars* I. *obſ.* 124.
Diuturnum acidorum uſum excipit.	Ventriculus craſſus & ſcirrhoſus. *pars* I. *obſ.* 94.
Vomitui erant medicamenta terrea.	Ventriculus inflammatus. *pars* I. *obſ.* 55.
Fungi eundem patrant effectum.	Epiploon putridum, hepar tuberculoſum, & cyſtis bile turgida; inanis ventriculus ulcere eroſus & perforatus. *pars* I. *obſ.* 120.

Diu-

VOMITUS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Diuturnæ alvi adſtrictioni.	Fæces induratæ in inteſtinis. *pars* I. *obſ.* 29.

Extiſpicia.

Abſceſſus in rene ſiniſtro. *Pars* I. *obſ.* 1100. Inteſtinorum volvulus. *pars* I. *obſ.* 463. Hepar putridum. *pars* I. *obſ.* 760. Lapides in altero rene, cæteris viſceribus illæſis. *pars* I. *obſ.* 1189. Inteſtinorum abſceſſus. *pars* I. *obſ.* 359. Steatomatoſus tumor orificio ſuperiori ventriculi adnatus. *pars* I. *obſ.* 103. Abſceſſus ventriculi. *pars* I. *obſ.* 92. Ventriculus contractus e ſede dimotus. *pars* I. *obſ.* 93. Ventriculus ingens, pylorus contractus. *pars* I. *obſ.* 185, 187, 195, 197. Pylorus quaſi cartilagineus, & ventriculus pure conſpurcatus. *pars* I. *obſ.* 90. Nummulus deglutitus, inſtar operculi, pylorum obturat. *pars* I. *obſ.* 205. Tumor cancroſus pyloro adnatus. *pars* I. *obſ.* 192. Ventriculus putridus & ſemi-laceratus in medio conſtrictus, quaſi duplex apparet. *pars* I. *obſ.* 33. Pancreas tumidum. *pars* I. *obſ.* 1056. Inteſtina flatu diſtenta, & lien ſcirrhoſus. *pars* I. *obſ.* 941. Calculi in tubo inteſtinali. *pars* I. *obſ.* 553.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Vomitus ſanguinolentus ad mortem uſque.	Pulmo ſiniſter paſſim putridis coſtis adhæret. *pars* I. *obſ.* 113.
Hypochondriacum, tumore hypochondrii ſiniſtri & difficultate ſpirandi laborantem invadit.	Lien ingens, & ſolito magis denſus. *pars* I. *obſ.* 914.
Cum cardialgia, prægreſſis ventriculi æſtu, & vomitu alimentorum.	Cor inane & corrugatum, diaphragma inflammatum, lien ſemi-putridus, ſtomachus tumidus & inflammatus ſanguine turgens. *pars* I. *obſ.* 100.
Doloribus abdominis, nauſeis & ſudoribus frigidis ſtipatur.	Inflammatus ſtomachus, & liquore virideſcente turgens. *pars* I. *obſ.* 59.
Poſt ſe trahit aſcitem.	Liquamen in abdomine, lien putridus. *pars* I. *obſ.* 968.
Accerſit dolorem lateris & pectoris.	Lien putridus. *pars* I. *obſ.* 960.
Cum cardialgia a propinato veneno.	Ventriculus lividus, lien gangrænoſus. *pars* I. *obſ.* 966.
Concomitatur dolorem hypochondrii ſiniſtri.	Lien putridus. *pars* I. *obſ.* 960.
Cum tumore ventris, & artuum œdematia.	Hepar tuberoſum. *pars* I. *obſ.* 665.
Excipit diuturnos bilis vomitus, & dolorem vetuſtum ventriculi.	Colluvies in abdomine, hepar purulentum ventriculo adnatum & eroſum, pus in ejus cavum depluit. *pars* I. *obſ.* 778.

VOMITUS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Sequitur contuſionem ſtomachi violentam.	Hepar & pancreas ulcerata. *pars* I. *obſ.* 772.
Spiritum poſt ſe reddit difficilem.	Hepar gangræna correptum. *pars* I. *obſ.* 784.
Vomitus ſanguineo-carnoſus ſeſe adjungit diarrhææ cruentæ & doloribus in hypochondrio ſiniſtro.	Lien ſcirrhoſus, omentum exeſum. *pars* I. *obſ.* 557.
	Meſenterii abſceſſus. *pars* I. *obſ.* 555.
Vomitus bilioſus, ad quem accedit dolor ventris vehemens, cum alvi adſtrictione, & febre lenta.	Hepar putridum, fellis veſicula inanis, inteſtina tenuia inflammata, colore flavo imbuta. *pars* I. *obſ.* 781.
Cum febre, alvi adſtrictione & doloribus ventris.	Veſicula fellis pſeudo-lapidibus ſcatet. *pars* I. *obſ.* 861.
Inter uſum medicamentorum intempeſtive adhibitorum ingruit, & pleuritidem poſt ſe trahit.	Veſicula fellea calculis bilioſis turget. *pars* I. *obſ.* 869.
Materierum atramento ſimilium, cum doloribus ventriculi.	Lien putridus. *pars* I. *obſ.* 961.
Cum dolore in regione hepatis, cardialgia & diarrhæa.	Vomica in hepate. *pars* I. *obſ.* 728.
Quatuor bilis libræ ejiciuntur.	Hepar mole maximum, ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 637.
Cum ructibus interdum erumpentibus.	Duo ulcera in ſtomacho liquore nigricante turgida. *pars* I. *obſ.* 126.
Stipatur tumore & dolore hypochondrii dextri.	Hepar & duodenum exulcerata; veſica fellea calculis fœta. *pars* I. *obſ.* 771.
Cum ſanguine permixtus poſt ictum temporibus inflictum.	Cranium fractum in parte oppoſita, qua infligebatur ictus. *pars* II. *obſ.* 37.
Succedit doloribus in abdomine.	Pancreas ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 1011.
Exoritur fluxu fiſtulæ cohibito.	Hepar ingens, tumor ſarcomatoſus meſenterio adnatus. *pars* I. *obſ.* 633.
Poſt meri ingurgitationem.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 333.

V O L V U L U S.

VOLVULUS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Volvulus cum alvo ſicca & dolore colico.	Inteſtinum ileum convolutum, gangræ-noſum & diſruptum. *pars* I. *obſ.* 457.
Hydropicum invadit.	Inteſtina diſtenta, intorta; hæpar corru-ptum, & lapillis ſcatens. *pars* I. *obſ.* 459.
Ad mortem uſque ſævit, alvo pertinaci-ter remanente ſicca.	Inteſtina fæcibus turgebant; inteſtinum rectum duplicatum, in ſcrotum prolapſum. *pars* I. *obſ.* 459.
Cum febre acutiſſima, & dolore ventris.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 339.
Stipatur dolore & ventris protumeſcen-tia.	Abdomen ſtercore & ſanguine turgens, tenuia inteſtina putrida. *pars* I. *obſ.* 411.
Seſe adjungit doloribus vagis capitis.	Tumor circa os ſacrum carie affe-ctum, inteſtina comprimit. *pars* I. *obſ.* 1636.
Succedaneus abdominis doloribus.	Tumor adnatus inteſtino recto, oſſibus & lapillis ſcatet. *pars* I. *obſ.* 1671.
Alvi ſiccitati diuturnæ.	Inteſtina quaſi cartilaginea. *pars* I. *obſ.* 370.
Dyſenteriæ.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 320.
Dolori in regione iliaca.	Inteſtinum colon ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 383.
Lumbari.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 335.
Hypochondrii dextri, & paralyſim poſt ſe trahit.	Hepar ingens & obſtructum, ventriculus aqua tumidus. *pars* I. *obſ.* 610.

Extiſpicia.

Vermium glomeramen obturat ductum inteſtinalem. *pars* I. *obſ.* 303. Inteſtinorum invaginationes. *pars* I. *obſ.* 477, 478, 479, 480, 481, 482. Tumor ſcirrhoſus in meſenterio. *pars* I. *obſ.* 538. Steatoma in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1658. Inteſtinum ileum conſtrictum. *pars* I. *obſ.* 501. Omentum & inteſtina gangrænoſa. *pars* I. *obſ.* 433. Lapides in inteſtinis. *pars* I. *obſ.* 220. Inteſtina fæcibus infarcta. *pars* I. *obſ.* 296, 297. Colon flatu turgidum. *pars* I. *obſ.* 281. Coalitæ inteſtinorum parietes. *pars* I. *obſ.* 491, 504.

VOLVULUS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Vomitus purulentus cum dolore & tumore in hypochondrio dextro.	Hepar abſceſſum maximum recondit. *pars* I. *obſ.* 742.
Excipit hæmorrhoidum ſuppreſſionem.	Meſenterium purulens. *pars* I. *obſ.* 558.
Febrem tertianam ſequitur.	Liquamen in abdomine, omentum putridum, ventriculus corrugatus, & ulcere eroſus. *pars* I. *obſ.* 124.
Vomitus chyloſus cum flatulentia.	Epiploon craſſum, ventriculus contractus. *pars* I. *obſ.* 238.
Excipit colicam nephriticam.	Ventriculus ingens, inteſtina flatu turgida, hernia inguinalis, cyſtis fellea calculis turgida. *pars* I. *obſ.* 21.
	Bubonoceles. Pancreas ſcirrhoſum, ventriculus valde diſtentus & inflammatus. *pars* I. *obſ.* 211.

A N O R E X I A.

ANOREXIA.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Anorexia invadit chloroticam medicamentis intempeſtive adhibitis.	Pericardium aqua turgidum. Ventriculus contractus, cyſtis fellea calculos recondens. *pars* I. *obſ.* 27.
Cum imbecillitate ſumma corporis & febre lenta.	Ventriculus contractus, hepar ingens & induratum. *pars* I. *obſ.* 70.
Cum nauſea in vomitum lethiferum degenerat.	Pylorus ſcirrhoſus. *pars* I. *obſ.* 181.
Stipatur doloribus hypochondriorum & tabem accerſit.	Hepar totum fere abdomen replens, ſtomachum e ſede depellit, pulmo purulentus. *pars* I. *obſ.* 218.
Diuturna cum tuſſi ſicca & ſpirandi difficultate.	Ventriculus niger & durus, pulmones tuberculoſi. *pars* I. *obſ.* 259.
Cum tumore abdominis dolente, febre lenta & vomitu materiæ puri permixtæ.	Viſcera putrida. *pars* I. *obſ.* 159.

FA-

F A M E S.

FAMES.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Fames cum ventris torminibus.	Pylori laxitas. *pars* I. *obſ.* 206.
Item.	Ductus pancreaticus duplex. (An pro cauſa haberi poſſit?)

Extiſpicia.

Ventriculus liquore atramenti inſtar ſcatet. *pars* I. *obſ.* 44. Ventriculo inculpato. *pars* I. *obſ.* 225. Lien putridus. *pars* I. *obſ.* 974. Œſophagus in thorace valde dilatatus. *pars* I. *obſ.* 108.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Canina, quam excipit atrophia poſt aſſumptos pediculos ad icterum debellandum.	Pediculi in ſtomacho. *pars* I. *obſ.* 53.

Extiſpicia.

Hepar ingens & ſanguine turgidum; adipis quantitas maxima in abdomine. *pars* I. *obſ.* 596. Abſceſſus meſenterii. *pars* I. *obſ.* 565. Abſceſſus meſenterii & inteſtina invicem accreta. *pars* I. *obſ.* 569. Inteſtinum unicum. *pars* I. *obſ.* 492. Inteſtinum colon valde dilatatum. *pars* I. *obſ.* 298.

S I T I S.

SITIS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Sitis in febre ardente inextinguibilis.	Viſcera inflammata. *pars* I. *obſ.* 1567.
Cum tumore in hypochondrio dextro.	Viſcera ſcirrhoſa. *pars* I. *obſ.* 1572.
Poſt aſſumptum arſenicum.	Ventriculus eroſus. *pars* I. *obſ.* 154. (*a*)
Sitis intenſa per totum vitæ curriculum perdurat.	Hepar exſuccum & aridum. *pars* I. *obſ.* 824.
Sitis ingens cum diſpnæa.	Aqua ſalſa in thorace, & pulmones partibus vicinis adhærentes. *pars* I. *obſ.* 21.

SITIS.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Sitis intenſa per annum integrum ſcandeſcit, & tandem in æſtum thoracis cum orthopnæa degenerat.	Pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 148.
Melancholicum excruciat.	Cordis ventriculi pituita infarcti. *pars* II. *obſ.* 508.

INÆDIA.

Extiſpicia.

INÆDIA.

Ventriculus contractus. *pars* I. *obſ.* 30. Omentum pinguedine obrutum. *pars* I. *obſ.* 232.

CHOLERA-MORBUS.

CHOLERA-MORBUS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Cholera-morbus ictero ſuccedit, & dolorem in regione ventriculi cum tumore in hypochondrio dextro ſibi adjungit.	Hepar ſteatomatoſum, cyſtis fellea calculoſa, pancreas ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 810.
Cum ventris ſæviſſimis torminibus.	Inteſtinum ileum ſphacelatum. *pars* I. *obſ.* 427.
Cui ſuccedit febris leypirica & inflammatio hepatis.	Veſicula fellea bile atra turgida. *pars* I. *obſ.* 217.

Extiſpicia.

Hepar exſuccum. *Pars* I. *obſ.* 48. Omentum ad iſchion protenſum, lien duplo major. *pars* I. *obſ.* 217.

DIAR-

D I A R R H Æ A.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Diarrhæa ſex menſes perdurat, ſuppreſſa ſibi vomitum nigerrimum, & tandem lienteriam adjungit.	Pulmones gangrænoſi & inteſtina inflammata. *pars* II. *obſ.* 303.
Concomitatur appetitum caninum.	Cyſtis fellea calculoſa. *pars* I. *obſ.* 890.
Cum febre intenſiſſima.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 334.
Cum vomitu in epilepſiam degenerat.	Ventriculus inflammatus, hepar ſcirrhoſum, & cyſtis fellea calculoſa. *pars* I. *obſ.* 160.
In febre maligna exoritur, mortem adducit.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 345.
Cum tuſſi & febre lenta ſeſe adjungit ventris torminibus.	Viſcera putrida. *pars* I. *obſ.* 1595.
Pectoris dolores, & ſpirandi difficultatem accerſit.	Pulmones coſtis adhærentes, cor tumidum; aqua in cerebro & medulla ſpinali. *pars* I. *obſ.* 18.
Cum ſudoribus & ſpirandi difficultate, & febre lenta.	Pulmonum tubercula. *pars* I. *obſ.* 337.
Sibi accerſit tuſſim & maciem. Sputa purulenta ejiciuntur, & nullus ſævit dolor. Convulſiones dein exoriuntur.	Pulmonum putredo. *pars* I. *obſ.* 344.
Febris hecticæ comes.	Glandulæ meſenterii infarctæ & putridæ. *pars* I. *obſ.* 517.
Cum febre lenta, & tumorem abdominis concomitatur.	Meſenterium, & hepar ſcirrhoſa. *pars* I. *obſ.* 526.
Item.	Infarctæ glandulæ meſenterii. *pars* I. *obſ.* 85.
Orta in pleuritide recrudeſcit.	Pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 85.
Cum vomitu hydropicam enecat.	Serum in abdomine, hepar ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 588.
Cum cardialgia, vomitu bilioſo, & dolore in regione hepatis.	Hepar vomicam recondit. *pars* I. *obſ.* 728.
Aſcitem poſt ſe trahit.	Hepar obſtructum. *pars* I. *obſ.* 901.
Febrem.	Uterus lapideſcens. *pars* I. *obſ.* 1382.

Con-

DIARRHÆA.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Contumax & æruginoſa.	Veſicula bile æruginoſa turgida. *pars* I. *obſ.* 836.
Per quatuordecim annos perſeverat.	Calculi biliares in cyſtide fellea. *pars* I. *obſ.* 879.
Lienteriam cum inappetentia accerſit.	Viſcera ſcirrhoſa & ſtrumoſa. *pars* I. *obſ.* 1577.
Febrem lentam ictero ſeccedaneam concomitatur.	Vermes in hepate. *pars* I. *obſ.* 836.
Aſciticum invadit & enecat.	Meſenterium ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 524.
In febre maligna exoritur.	Ventriculus & inteſtina paſſim gangræ-noſa, meſenterium putridum. *pars* I. *obſ.* 162.
Cum abdominis intumeſcentia & ſpirandi difficultate.	Jecur pallidum, cyſtis fellea bile turget, omentum craſſum inteſtina coercet. *pars* I. *obſ.* 235.
Intempeſtive curata ſingultum mortis prodromum accerſit.	Ventriculus & inteſtina inflammata, colon flatibus diſtentum; *pars* I. *obſ.* 70.
Per ſeptem annos perſeverat; erumpuunt dein puſtulæ circa hepar, & ingruit febris hectica.	Hepar ingens ſcirrhoſum, veſicula collapſa. *pars* I. *obſ.* 646.
Æruginoſus ſpiritum reddit difficilem.	Pulmones coſtis annexi. *pars* I. *obſ.* 24.

Extiſpicia.

Atheroma in hepate. *pars* I. *obſ.* 157, 713. Hepar maximum. *pars* I. *obſ.* 51. Inteſtina perforata. *pars* I. *obſ.* 401. Ventriculus ulcere eroſus. *pars* I. *obſ.* 135. Tumor ſteatomatoſus circa ſtomachum. *pars* I. *obſ.* 172. Abſceſſus inteſtinorum; *pars* I. *obſ.* 358.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Succedanea diarrhææ colliquativæ cum ſpiritu difficili, tuſſi & dolore immodico, ſequitur menſium ſuppreſſionem.	Tuberculis pulmones ſcatent. *pars* I. *obſ.* 241.
Cum febre lenta excipit ſpirandi difficultatem.	Pulmones, & thymus lividi & ſcirrhoſi, cor marcidum. *pars* I. *obſ.* 448.
Poſt tormina & tumorem ventris.	Meſenterium ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 532.
Cum torminibus inter quam paralyſi corripitur corporis latus ſiniſtrum.	Cerebrum tumore gelatinoſo ſcatet. *pars.* III. *obſ.* 139.

Suc-

DAIRRHÆA.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Succedit ſopori & vertigini, cum dolore icterico.	Hepar exiguum & contractum, cyſtis fellea bile plena, meſenterium ſcirrhoſum.
Febri inflammatoriæ.	Hepar ingens & putridum. *pars* I. *obſ.* 713.
Putridæ.	Inteſtina ſcirrhoſa. *pars* I. *obſ.* 371. (*a*)
Accedit poſt dolores lumborum, & claudicationem; & ſibi pectoris anguſtias, anorexiam & apoſtema in lumbis accerſit.	Ventriculus & inteſtina putrida. Pulmones pure exeſi, & cruſta obducti. *pars* I. *obſ.* 154.
Delirio.	Abdomen inculpatum, hydatides in meningibus, & aqua in ventriculis cerebri. *obſ.* 4.
Dolorem lateris dextri excipit.	Hepar ingens & pulmones putridi. *pars* I. *obſ.* 582.
Cum vomitu & convulſionibus viget, aſſumpto croceo metallico.	Ventriculus coarctatus, hepar induratum. *pars* I. *obſ.* 29.
Excipit ventris intumeſcentiam.	Hepar tuberculoſum. *pars* I. *obſ.* 677.
Uſum intemperatum fructuum horeariorum.	Pancreas calculoſum. *pars* I. *obſ.* 1045.
Dolores vagos & intumeſcentiam abdominis.	Pectus & abdomen ſero turgentia, pancreas & meſenterium ſcirrhoſa. *pars* I. *obſ.* 522. (*a*)
Vomitum.	Tumor ſteatomatoſus in abdomine ovi columbini volumine. *pars* I. *obſ.* 1668.
Fæces fluunt per umbilicum.	Inteſtina perforata. *pars* I. *obſ.* 405.
Alvo pertinaciter ſicca.	Tumor ſcirrhoſus meſenterio adnatus, inteſtinum rectum comprimit. *pars* I. *obſ.* 405.
Diarrhæa chyloſa cum ventris torminibus tabem accerſit.	Glandulæ meſenterii materia caſeoſa infarctæ. *pars* I. *obſ.* 519.
Bilioſa cum febre, inter quam ingruunt animi deliquia.	Cyſtis fellea inanis, inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 531.
Concomitatur dolores in regione hepatis.	Hepar gangrænoſum. *pars* I. *obſ.* 806.
Colicam excipit.	Inteſtina pituita infarcta. *pars* I. *obſ.* 513.

Flu-

	Symptomata.	*Extiſpicia.*
DIARRHÆA.	*Fluxus ſanguinis.* Per alvum fœtus oſſa rejiciuntur.	Uterus inteſtino recto adnatus foramine inteſtino recto proſpicit. *pars* I. *obſ.* 1399.
	Alvi fluxus ſubcruentus loturæ carnium ſimilis, hypochondriis flatulentia ultra modum tumeſcentibus.	Inteſtina inflammata, hepar ſcirrhoſum & putridum, pulmones maculati, coſtis accreti. *pars* I. *obſ.* 759.

D Y S E N T E R I A.

	Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
DYSENTERIA.	*Dyſenteria* aſthmaticum invadit & enecat.	Inteſtina ulcuſculis eroſa. *pars* I. *obſ.* 392.
	Epidemica in India graſſatur.	Cicatrices inteſtini obducunt & obturant oſcula venarum lactearum. *pars* I. *obſ.* 370.
	Cum doloribus atrociſſimis potatorem ardentium liquorum invadit.	Inteſtina exulcerata. *pars* I. *obſ.* 399.
	Cui ſuccedit vomitus lethalis.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 340.
	Interdum difficilis evadit ſpiritus cum tuſſi.	Pulmones purulenti, & cruore infarcti. *pars* I. *obſ.* 220.
	Intempeſtive curata, ſibi accerſit ventris intumeſcentiam, cum ſpirandi difficultate, & alvi fluxu.	Hepar ingens & purulentus. *pars* I. *obſ.* 711.
	In febrem intermittentem abit.	Ventriculus & omentum inflammata. *pars* I. *obſ.* 229.
	Variolis laborantem enecat.	Inteſtina puſtulis varioloſis obruta. *pars* I. *obſ.* 364.
	Chronica cum ſpirandi difficultate, ſenſu ponderis in ſcrobiculo cordis, & morte ſubſequente poſt ſeceſſum copioſiſſimum ſanguinis gummoſi.	Appendix vermicularis infarcta, aqua in pericardio, & pulmo gangrænoſus. *pars* II. *obſ.* 12.
	Stipatur ſummis abdominis torminibus.	Putrefacta inteſtina. *pars* I. *obſ.* 142.
	Juvenem febre laborantem jugulat.	Inteſtina corrupta. *pars* I. *obſ.* 392.
	Cum ſputo ſanguinis.	Inteſtina eroſa. *pars* I. *obſ.* 393.
	Subito ceſſat.	Inteſtinorum parietes coalitione adnati. *pars* I. *obſ.* 142.

DYSENTERIA.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum hydrope.	Hepar ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 644.
Calculo & hemorrhoidibus laborantem invadit.	Renes & inteſtina putrida. *pars* I. *obſ.* 440.
Succedit convulſionibus cum dolore ventriculi, &c.	Omentum putridum, ileum & colon putrida, hepar & pulmones putrida. *pars* I. *obſ.* 436.

Extiſpicia.

Inteſtina calloſa. *pars* I. *obſ.* 354, 369. Inflammata. *pars* I. *obſ.* 357. Gangrænoſa. *pars* I. *obſ.* 429, 430, 433. Puſtulis obruta. *pars* I. *obſ.* 363. Scatent vermibus. *pars* I. *obſ.* 239. Purulentia. *pars* I. *obſ.* 361. Abdominalia viſcera putrida. *pars* I. *obſ.* 421.

T E N E S M U S.

TENESMUS.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Teneſmus cum ſtranguria cruciat quemdam calculo laborantem.	Calculi in appendicibus veſicæ reconduntur. *pars* III. *obſ.* 1308, 1316.
Iſchuria, affectu comatoſo, & dein convulſionibus ſtipatur.	Veſica eroſa calculos fovet. *pars* I. *obſ.* 1266.
	Calculus veſicæ. *pars* I. *obſ.* 1310.

L I E N T E R I A.

LIENTERIA.

Extiſpicia.

Inteſtina craſſa gangrænoſa. *pars* I. *obſ.* 432. Meſenterium abſceſſum recondit. *pars* I. *obſ.* 565. Meſenterium putridum, & inteſtina invicem coadnata. *pars* I. *obſ.* 569.

ALVI ADSTRICTIO.

ALVI ADSTRICTIO.

Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
Alvi adſtrictio cum iſchuria ſeſe adjungit tumori abdominis.	Tumor ſteatomatoſus e meſenterio erumpens. *pars* I. *obſ.* 1638.
Concomitatur colicam & vomitum.	Abſceſſus inteſtinorum. *pars* I. *obſ.* 358.
Cum dolore abdominis.	Inteſtina tuberculoſa. *pars* I. *obſ.* 373.
Ventriculi.	Pancreas ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 1011.
Ictericum invadit.	Veſicula fellis bile turgida. *pars* I. *obſ.* 860.
Cum vomitu bilioſo, cruciatibus ventriculi & febre.	Veſicula fellis obruta bile atra, & calculis fœta. *pars* I. *obſ.* 861.
Cum tumore & dolore ventris.	Meſenterium ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 531.
Vomitum interdum ſibi accerſit.	Calculi biliares in cyſtide. *pars* I. *obſ.* 889.
Stipatur tumore in ſiniſtro latere abdominis.	Lien ingens laxatur ligamentis pendulis. *pars* I. *obſ.* 916.
Dureſcit alvus in febre cum dolore abdominis & vomitu continuo.	Inteſtinum colon, omentum & hepar gangrænoſa. *pars* I. *obſ.* 423.
Febrem poſt ſe trahit.	Parietes inteſtini recti ſimul evoluti. *pars* I. *obſ.* 503.
Vomitum ſibi adjungit.	Inteſtinum colon gangrænoſum. *pars* I. *obſ.* 423.
Item.	Inteſtina fæcibus infarcta. *pars* I. *obſ.* 291, 294.
Cum vomitu & tumore circa umbilicum.	Tumor ſcirrhoſus pyloro adnatus. *pars* I. *obſ.* 183.
Cum vomitu & tympanitide.	Flatus intra & extra inteſtina paſſim phlogoſi tacta. *pars* I. *obſ.* 270.
Inſignitur tumore ventris & doloribus colicis.	Scirrhoſum meſenterium. *pars* I. *obſ.* 536.
Per novem dies durat, & dein lethalis evadit.	Coalitio parietum inteſtini duodeni. *pars* I. *obſ.* 509.
Cum dolore in imo ventre.	Inteſtina coalitione adnata. *pars* I. *obſ.* 496.

Cum

ALVI ADSTRICTIO.

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Cum ventris torminibus a nativitate ad obitum fere uſque viget.	Inteſtina fæcibus infarcta, & flatu turgida. *pars* I. *obſ.* 295.
Gravidam cruciat & ſecum intumeſcentiam, cum ventris torminibus profert.	Colon gangrænoſum, & inteſtina ſuperiora vento turgida. *pars* I. *obſ.* 413.
Cum ſumma luis venereæ ſuſpicione.	Inteſtina ſcirrhoſa compreſſa. *pars* I. *obſ.* 377.
Tandem paſſionem iliacam accerſit.	Inteſtina ſcirrhoſa. *pars* I. *obſ.* 378.
Nativa puellam viginti dierum enecat.	Sarcoma circa inteſtinum rectum. *pars* I. *obſ.* 381.
Tumorem abdominis, & vomitum accerſit.	Inteſtina fæcibus induratis infarcta. *pars* I. *obſ.* 291.
Interea oborto vomitu enecatur quidam vertigini & flatulentiæ obnoxius.	Item. *pars* I. *obſ.* 292.
Vomitum ſibi adjungit, & viginti quatuor annos perſeverat.	Pancreas ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 107.
Concomitatur tumorem umbilici, quo dein diſrupto, per umbilicum fluunt fæces.	Inteſtina tenuia perforata. *pars* I. *obſ.* 443.
Excipit uſum adſtringentium.	Inteſtinum cæcum obturatum corporibus extraneis. *pars* I. *obſ.* 327.
Interea ſcandeſcit febris maligna.	Inteſtina inflammata. *pars* I. *obſ.* 339.
Cum tumore ventris & artuum, & vomitu ſanguineo.	Hepar tuberoſum. *pars* I. *obſ.* 665.
Succedanea alvi profluvio, febre, & vomitu ſtipatur, cum tumore in abdomine.	Inteſtina perforata. *pars* I. *obſ.* 402.
Accedit poſt cœnam intemperatam, cum ventris doloribus.	Inteſtinum colon putridum. *pars* I. *obſ.* 446.
Poſt aſſumptos fructus horreorum, & hauſtum lactis & cereviſiæ exurgit cum lateris dolore.	Item. *pars* I. *obſ.* 447.
Poſt uſum pillularum aloeticarum, cum ſingultu & vomitu excrementorum.	Inteſtina coalitione accreta. *pars* I. *obſ.* 502.
Viget ab inflicto vulnere circa hepar.	Bilis effuſa in abdomine. *pars* I. *obſ.* 1762.

	Symptomata.	*Extiſpicia.*
ALVI ADSTRICTIO.	Vomitu bilioſo.	*Pars* I. *obſ.* 781.
	Diuturnam excipit dyſenteriam.	Inteſtina coalita. *pars* I. *obſ.* 507, 508.

Extiſpicia.

Inteſtina annulo cartilagineo coarctata. *pars* I. *obſ.* 383. Colon & rectum fæcibus induratis dilatata. *pars* I. *obſ.* 491. Lapides in inteſtinis. *pars* I. *obſ.* 319. Inteſtinum ileum quaſi nodo conſtrictum. *pars* I. *obſ.* 454. Inteſtina calloſa. *pars* I. *obſ.* 374. Calculus in veſica urinaria. *pars* I. *obſ.* 505. Inteſtinum rectum veſicæ proſpicit, & fæcibus induratis obturatur. *pars* I. *obſ.* 514.

I C T E R U S.

	Symptomata morborum.	*Extiſpicia cadaverum.*
ICTERUS.	*Icterus* cum ſopore & vertigine interdum recurrentibus, quibus ſeſe adjungunt diarrhæa, tumor in cordis ſcrobiculo cum pectoris anguſtia.	Hepar contractum vicino hærens, bile cyſtis fellea turgens, meſenterium ſcirrhoſum, aqua intus & extus cerebrum ſtagnat. *pars* I. *obſ.* 275
	Pediculis aſſumptis fugatur, ſed denuo recrudeſcit, cum fame canina, quam excipit atrophia.	Pediculi acervatim in ventriculo colliguntur. *pars* I. *obſ.* 53.
	Cum ventris ſumma intumeſcentia.	Inteſtina craſſa, flatu turgida. *pars* I. *obſ.* 272.
	Sequitur ſpirandi difficultatem cum dolore in hypochondrio ſiniſtro.	Tumor pleuræ adnatus; diaphragma & hepar comprimit. *pars* I. *obſ.* 750.
	Seſe adjungit tumori & dolori hypochondrii dextri.	Viſcera putrida. *pars* I. *obſ.* 1594.
	Cum dolore immani capitis.	Tumor ſteatomatoſus circa duram matrem. *pars* III. *obſ.* 220.
	Cum capitis dolore continuo.	Cerebrum cum membranis colore flavo tinctum, plexus choroides glanduloſus. *pars* III. *obſ.* 100.
	Anaſarcæ comes.	Pulmones calculoſi. *pars* I. *obſ.* 273.
	Spirandi difficultatem ſibi adjungit.	Cor dilatatum. *pars* I. *obſ.* 518.
	Interdum enaſcuntur verrucæ in dorſo, & artubus; & dein hydrops.	Aqua in abdomine, hepar induratum. *pars* I. *obſ.* 623.
	Cum hydrope.	Hepar exſuccum & aridum. *p.* I. *obſ.* 823.

Quem

Symptomata.	*Extiſpicia.*
Quem excipiunt cordis palpitatio, reſpiratio anheloſa, pedum intumeſcentia, & hydrops pectoris.	Aqua in pectore, hepar ſolito majus, veſicula fellis calculos fovet biliares. *pars* I. *obſ.* 866.
Oborto vomitu bilis, enecatur ictericus.	Hepar durum & magnum; lien major, ſed mollis. *pars* I. *obſ.* 650.
In hydropem aſcitem degenerat.	Hepar ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 652.
Cum duritie circa regionem hepatis comes febris tertianæ.	Veſicula fellea bilis libram unam continet, & peritoneo hæret. *pars* I. *obſ.* 859.
Cum alvo pertinaciter adſtricta.	Bilis in veſica fellea ſtagnat. *pars* I. *obſ.* 860.
Febrem accerſit.	Veſica fellea calculoſa. *pars* I. *obſ.* 876.
Interea exoritur lethalis vomitus.	Hepar ingens, veſicula felle turget; lien & pancreas ſcirrhoſa occurrunt; pulmones erant putridi. *pars* I. *obſ.* 640.
Colore icterico ad ungues uſque defœdatur mulier.	Ductus cyſticus calculo felleo obturatur. *pars* I. *obſ.* 897.
Arthriticum invadit, & hydropem poſt ſe trahit.	Veſicula fellea unico calculo adimpletur, hepar colore flavo tinctum, & inteſtina inflammata occurrunt. *pars* I. *obſ.* 868.
Cum vomitu continuo.	Calculis turget veſica fellea; ductus choledocus obturatus lapide felleа. *pars* I. *obſ.* 870.
Cum dolore ventriculi immani, quem accingunt hepatis dolor & ventris intumeſcentia.	Cyſtis fellea calculis biliaribus fœta. *pars* I. *obſ.* 874.
Inſignitur tumore in hypochondrio dextro, & dein febre lenta.	Hepar purulens. *pars* I. *obſ.* 705.
Doloribus in regione epigaſtrica, & vomitu materierum nigrarum.	Pus in abdomine ſtagnat; veſicula fellea calculis turget; ſtomachus inflammatus. *pars* I. *obſ.* 715.
Icterici quamplurimi aſcite extinguuntur.	Hepar mole majus ſcirrhoſum. *pars* I. *obſ.* 657.
Ictericus hemorrhagia narium enecatur.	Lien ſcirrhoſus. *pars* I. *obſ.* 945.
Invadit quemdam anaſarca laborantem.	Hepar tumidum, albicans & putridum, lien ingens & calculoſus. *pars* I. *obſ.* 744.

Biba-

	Symptomata.	*Extiſpicia.*
ICTERUS.	Bibacem aggreditur cum nauſeis, ventris doloribus, & deinde manuum tremore.	Pancreas ſcirrhoſum & tumidum. *pars* I. *obſ.* 1018.
	Cum aſcite.	Aqua in abdomine ſtagnat; hepar tuberculoſum. *pars* I. *obſ.* 691.
	Nullus.	Cyſtis fellea calculis fœta. *pars* I. *obſ.* 873, 1087.
	Poſt ſe trahit abdominis intumeſcentiam cum aſthmate.	Aqua in abdomine, hepar ſcirrhoſum & flavum; felle & calculo obruta cyſtis; pulmonum vomica. *pars* I. *obſ.* 626.
	Hepatis dolorem cum febricula crebro rigore ſtipata.	Abſceſſus hepatis. *pars* I. *obſ.* 72.
	Aſcitem cum duritie hypochondrii dextri.	Hepar diſcolor, lapides in veſica fellea. *pars* I. *obſ.* 876.
	Succedaneus hepatis obſtructioni, & acerſit febrem lentam cum fluxu alvi.	Hepar inteſtino colo adnatum, ingens, putridum. Cyſtis fellea & ductus biliaris felle obruta. Vermibus ſcatet hepar. *pars* I. *obſ.* 736, 836.
	Febri tertianæ quæ abit in continuam, cum dolore in hypochondrio dextro, & affectu comatoſo lethali.	Hepar ſcirrhoſum, viſcera colore luteo diffuſa. *pars* I. *obſ.* 539.
	Colicæ hepaticæ, & febri continuæ.	Veſicula fellea lapillis ſcatet, hepar albicans. *pars* I. *obſ.* 881.
	Apparet diſcuſſo tumore hypochondrii dextri.	Calculi biliares in ductu choledoco. *pars* I. *obſ.* 306.
	Poſt crapulam evenit, & dementiam ſibi adjungit.	Inteſtina conſtricta, lien mollis, pericardium aqua ſcatet. *pars* I. *obſ.* 969.
	Poſt ictum hypochondrio dextro inflictum, riget cum febre lenta, lypothimiis interdum recurrentibus, quas excipit puris rejectio per os.	Hepar purulentum, diaphragma eroſum, & pus bronchia appellebat. *pars* I. *obſ.* 716.
	Poſt lapſum ex equo in hypochondrium, ſcandeſcit febris; apparet icterus; reſpiratio difficilis evadit; exoritur dolor partis contuſæ; fluit alvus, urina ſupprimitur.	Aqua in abdomine, hepar putridum, diaphragma coſtis & pulmonibus hærens. *pars* I. *obſ.* 717.
	Anaſarcæ ſuccedit.	Lien lapidibus infarctus. *pars* I. *obſ.* 232.
